
# P.F. CAROLI LANTERIJ GENUENSIS ... TRACTATUS DE SS. INCARNATIONIS...

Carlo Lanteri







# P. F. CAROLI LANTERII GENVENSIS

ORD. MIN. REG. OBS. PROVINCIÆ TERRÆ LABORIS
SAC. THEOL. LECTORIS IVBILATI,
Et Ex-Ministri, totius Ord. iam Diffinitoris Generalis,
& ad præsens in Romana Curia Commissarij
Generalis

# TRACTATVS DE SS. INCARNATIONIS MYSTERIO


EX NOSTRI SVBTILISSIMI
IOANNIS DVNS SCOTI
CELEBRATA DOCTRINA

*Cum triplici Syllabo, de Disputationibus, & Propositionibus; de Rebus notabilibus; & de locis Sacræ Scripturæ.*

EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO
D. FRANCISCO BARBERINO
S. R. E. CARDINALI, AC VICECANCELLARIO.
Inter Generales Inquisitores aduersùs hæreticam prauitatem vigilantissimo, atque Seraphicæ Religionis Protectori, Correctori, & Gubernatori optimo D. & C.



NEAPOLI, Ex Officina Nouelli de Bonis Typogr. Archiep. 1665.
*Superiorum licentia.*



EMINENTISS. AC REVERENDISS. DOMINO

# D. FRANCISCO BARBERINO

## S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, AC VICECANCELLARIO.

Inter Generales Inquiſitores aduersùs hæreticam prauitatem vigilantiſſimo, atque Seraphicæ Religionis Protectori, Correctori, & Gubernatori optimo.



Vod diù meo verſabatur in animo, *Eminentisſime Princeps*, Tuam ſemel obſequioſiſſimè reuereri *Purpuram* quodam gratitudinis vectigali: tandem ſe obtulit non obſcura teſtificandi animi anſa, dùm has Diſputationes Theologicas præ manibus habeam,

omni, quo poteram, ſtudio elaboratas; quas ſub celſiſſimi Tui Nominis Auſpicijs in lucem proferre propoſui. A quo omnes cùm non mediocrem recipiant fauorem, & has maximum recepturas ſplendorem, minimè ambigo;

. . . . . . *Quanto pretioſa metallo*
*Hermi ripa micat* . . . . . . . . .

Et quamuis de myſterio pertractent à ſæculis abſcondito, depoſito quaſi velamine, cur à Tuo Honoris faſtigio, ad cuius patrocinium recurrunt, non abundè illuſtrarentur? in quo virtutes omnes agnoſcunt reconditas. Omnes enim ità in Te certant, omnes vincunt, omnes magnificè conſentiunt, vt nihil maieſtati ſimplicitas, nihil conſtantiæ facilitas, nihil grauitas demiſſioni, nihil comitas detrahat grauitati: vt mirer magis, quàm laudem vno in pectore, tanquàm in ſacrario, virtutem cum nobilitate ad miraculum connexam, vno in animo, velut adyto, fulgentem cum pietate ſcientiam, cum integritate facundiam, ſinè vanitate gloriam;

. . . *Et quæ partitè ſingula quemque*
*Nobilitant, & quæ efficiunt diuiſa beatos,*
*Viribus in vno collectis mixta micare.*

Vt verò de cæteris Tuis præſtantiſſimis virtutibus pertractare omittam, cur hęc non infima pars Theologiæ meæ, quæ de Sapientia agit æterna, non Tuam

inter

inter mortales rariſſimam amplecteretur ſapientiam: vtpotè, qui ab ineunte ætate nihil magis moliebaris animo, quàm de virtute in virtutem felices facere progreſſus, ipſius vſq; ſapientię adeptus ſis apicem. Vbi enim ille feruor, illa propenſio, illa auiditas ad litterarũ ſtudia meliùs, quàm in Te ab adoleſcentia ſedem habet? qui ſponte Tua in humilia etiã quęque clauſtra, pro concertationibus Scholaſticis lubenter auſcultandis, Te continuò ingeris, & demittis, vt ex Tuo nutu verticem ſapientia erigat altiorem. Tu etenim perindè ac ſi hæreditarium illud munus haberes *à Sanctiſſimo Patruo Tuo Vrbano VIII.* vt ſtudioſam diligeres iuuentutem, hanc opibus, & fauore ſemper foues, & protegis.

Tua etiam ſapientia in adminiſtratione Reipublicæ Chriſtianæ adeò inter Romanos eniteſcit, qualiter nec Semiramis apud Babylonios, nec Zenobia apud Syrios, nec Debora apud Hebræos vnquam commendabatur: vt meritò dicaris ille, ab ipſo Apolline non facilè inuentus,

*Vir bonus, & ſapiens, qualem vix reperit vnum*
*Millibus è multis hominum conſultus Apollo.*

Sed quid proferam, *ò Præſul dilecte Deo, cui militat æther, & coniurati veniunt ad claſſica venti:* quid, inquam, proferam de eximia Tua in Deum pietate, quæ omnium ore ità prædicatur, vt alio à ſe

non indigeat præcone? Hanc reuerà in Cœlum vſque extollunt pupillorum commiſeranda cohors, viduarum deploranda afflictio, inopum innuptarum deſolatio, & totius Religioſi cœtus Deo dicata paupertas: vel vt verbo dicam:

*Erga omnes cōmunis amor, pietaſquè, fauorquè.*

Ni ſingulariſſima Tua eſſet beneficentia erga nos tuos obſeruantiſſimos de Obſeruantia Franciſciades: cuius patrocinio fulcimur, cuius fauore fouemur, cuius liberalitate viuimus;

*Nam Tua larga manus fluuios ſuperauit Iberos.*

Non ampliùs igitur Diuina hæc Aſſerta mea tutelæ cupida, per longa vallium euolabunt deſerta, non ad multorum montium quantumuis amæna confugient cacumina, nec in ipſis Cecropijs ambient ob ambulare campis, ſed ad liminaria Tui aluearij, vt beatè quieſcant, gradum ſiſtunt: præteritorum hactenus oblita laborum, quæ Tuarum murmurella Apum ad diuum quendam prouocabunt ſomnum: nec hoſtiles formidabunt excurſiones, aut inuidorum liuores, quæ ambabus alis Tuæ gentilitiæ velabunt Apes.

Non dedignaberis itaque, *Princeps Eminentisſime,* hoc qualecumque vectigal laborum meorum, ea, qua ſoles, regali humanitate ſuſcipere, & ſub alarum tegmine Apum Tuarum patrocinari, qui to-

tam

tam nostram Seraphicam Religionem tanta cum felicitate tot annorum curriculo protegere, regere, & gubernare non desinis. Vale, & diù viue, *Eminentissime Princeps,* ad maximum Reipublicæ Christianæ emolumentum, Inclytæ Tuæ Familiæ ornamentum, ac Seraphicæ Religionis perpetuum decus, & incrementum.

Tuæ Eminentiæ

*Humillimus, deuinctissimus, & obsequentissimus in Christo Seruus*

Fr. Carolus à Genua.

# APPROBATIO ORDINIS.

EX Reuerendissimi Patris Fr. Michaelis Angeli à Sambuca totius nostri Seraphici Ordinis Ministri Generalis mandato vidimus, ac attentè legimus eruditissimum *Tractatum de Diuini Verbi Incarnatione* ab A. R. P. F. Carolo Lanterio à Genua eiusdem Instituti Sac. Theol. Lectore Iubilato, iam Diffinitore Generali, in Romana Curia Commissario Generali, & huius nostræ Prouinciæ Terræ Laboris bis Ex-Ministro Prouinciali concinnè compositum, & elaboratum, in quo non solùm Orthodoxæ Religioni, ac Christianis moribus repugnans nil reperimus, sed multa sanè inuenimus, quæ altum, absconditumquè Diuinæ Incarnationis Mysterium mirè elucidant, & clarificant: hinc dignissimum reputamus, vti Scoticæ doctrinæ apprimè conducentem, ac vtilem, vt publicæ luci mandetur, atque Typis edatur. Data in nostro Regali Sanctæ Mariæ Nouæ Neapolis Conuentu die 25. Maij 1664.

*Fr. Theophilus Nolanus in eodem Conuentu Sacræ Theologiæ Lector Generalis.*

*Fr. Ægidius à Mariliano Artium, & Sacræ Theol. Professor.*

FRA-

*FRATER BONAVENTVRA CABALLVS Ord. Min. Strict. Obseruantiæ S. Patris nostri Francisci, Sacræ Rituum Congregationis Consultor, ac in Cismontana Familia Obs. ac Refor. Commissarius Generalis, ac Seruus. Dilecto Nobis plurimùm in Christo Adm. R. P. Fratri Carolo à Genua eiusd. Ord. Prouinciæ verò nostræ Terræ Laboris de Obs. Concionatori Generali, Lectori Iubilato, bis Ex-Ministro Prouinciali, Ex-Diffinitori Generali, & ad præsens in Romana Curia Commissario Generali. Salutem in Domino sempiternam.*

CVm ex commissione Reuerendissimi Patris Ministri Generalis præteriti Theologicum quoddam opus à Paternitate Vestra compositum, & elaboratum: cui titulus est, *Tractatus de Mysterio Incarnationis, &c.* duo nostræ Religionis Lectores Theologi, Pater Frater Aegidius a Mariliano, & Pater Frater Theophilus à Nola reuiderint, & approbarint; dignumquè prælo ob multiplicem solidæ eruditionis vbertatem, subtilitatem, facilitatemquè in profundi Scoti sententijs exponendis existimarint: Nos vt illud publici iuris fiat, tenore præsentium facultatem ipsi quamlibenter impertimur, vt seruatis seruandis, Typis mandare queat: imò, vt reliquos ingenij vestri fœtus, non parùm rei litterariæ, & Scholasticæ Theologiæ Professoribus, præsertim in via Subtilis nostri Doctoris profuturos, quàm citiùs in lucem edat, enixè adhortamur, ipsique ad salutaris obedientiæ meritum iniungimus. Beneualeat, nostri apud Deum in orationibus memor. Datis Romæ in hoc nostro Ara Cœlitano Conuentu, die 12. Iunij 1664.

Fr. Bonauentura Caballus Commiss. Gener.

Loco ✠ Sigilli.

*De mandato S. Reuerendiss. Paternitatis*
*Fr. Agnellus de Neapoli Secret. Generalis.*

*Registrata fol.* 188.

IN

IN Congregatione habita coram Eminentiss.& Reuer. D. Cardinali Philamarino Archiepiscopo Neapolitano sub die 22. Decembris 1663. fuit dictum, quod Reu. Pater Fr.M.Hilarius de Rossis Ord.Min. Conuentualium reuideat, & in scriptis referat eidem Congregationi.

Paulus Garbinati Vic.Gen.

*Canonicus D.Matthaeus Renzi S.T.D.& S.Offic.Cons.*

EGo Fr.Hilarius de Rossis Artium, & Sac. Theol. Doctor Ord. Min. Conu.Sācti Francisci Prouinciæ Neapolis Definitor perpetuus ex Commissione Eminentissimi, ac Reuerendissimi Domini Ascanij Cardinalis Philamarini, perlegi opus Incarnationis Dominicæ editum ab Adm.Reu.Patre Fratre Carolo Lantero Ianuensi Ord. Min. Reg. Obseruantiæ Sacræ Theologię Lectore Iubilato,Ord.Pater Prouincię Terræ Laboris bis Ministro Prouinciali, & in Romana Curia Commissario Generali,in quo nihil à fide Catholica obsonum reperi; quinimmò omnia, quæ ibi continentur, redolent non minus maximum Auctoris ingenium, quàm pietatem: quare censeo,quòd opus tam dignum Typis detur tanquàm publicè omnium Theologorum commoditati cōsentaneum, & vtile; in quorum fidem,&c. Datum in Conuentu Sancti Laurentij Maioris Neapolis die 9. Augusti 1664.

*Fr.Hilarius de Rossis, qui supra confirmauit manu propria.*

IN Congregatione habita coram Eminentiss.& Reuer. D. Cardinali Philamarino Archiepiscopo Neapolitano sub die 16. Septembris 1664. fuit dictum, quòd stante relatione supradicti Reuisoris, Imprimatur.

Paulus Garbinati Vic.Gen.

*Canonicus D.Matthaeus Renzi S.T.D.& S.Offic.Cons.*

## ILLVSTRISS. ET ECCELLENTISS. SIGNORE.

NOuello de Bonis Stampatore de libri in questa Fedelissima Città di Napoli, supplicando fà intendere à V.E. come desidera stampare vn libro di Theologia del P. Fra Carlo Lantero da Genoua de' Padri Min.Ofs.di S.Francesco, intitolato De Incarnatione Diuini Verbi. Per tanto supplica V.E. resta seruita ordinare li siano concesse le solite Regie licenze, che l'hauerà à gratia, vt Deus,&c.

Reuer.P.Fr.Thomas Tonti videat, & in scriptis referat.

*Galeota Reg.* *Vlloa Reg.* *Nauarra Reg.*

Prouisum per Suam Excellentiam Neap. die 24. Mensis Ianuarij 1664.

*De Amico*

## EXCELLENTISSIME DOMINE.

REgia dignius corona, quàm censura, Theologicum Opus ( de Incarnatione Diuini Verbi ) à Reu. Adm. Patre Sacræ Theologiæ Lectore Iubilato Fratre Carolo Lantero à Genua Minorum Obseru. Terræ Laboris Prouinciæ Neapolitanæ semel, & iterum, Ministro Prouinciali ad subtilium Principis mentem, quamsubtilissimè enucleatum, & à me plusquam Subtili, dulcique acie reuisum, & recogitatum, Typis quamprimùm dignissimè tradendum censeo. Datum in Regali Conuentu Hospitaletti Neap.die 5. Martij 1664.

*Ego Fr. Thomas Tonti Illustriss. Domini Nuntij Apostolici in hoc Regno Theologus, Reuisor Deputatus.*


Visa retroscripta relatione Imprimatur. Verùm ante publicationem seruetur Regia Pragmatica.

*Galeota Reg.* *Vlloa Reg.* *Nauarra Reg.*

Prouisum per S.E. Neap.die 11. Mensis Martij 1664.

*De Amico.*

# REVERENDI ADMODVM
# P.F. CAROLI LANTERII
## SAC. THEOL. LECTORIS IVBILATI
### TRACTATVS INCARNATIONIS DOMINICÆ
## DISPVTATIO PRIMA.
### *De Possibilitate, Cognoscibilitate, Conuenientia, & Necessitate Incarnationis.*

1 Pud Theologizantes, atque Philosophantes est vsu frequentissimum, quòd nominis explicatio rei definitionē præcedat, vt habet Scotus in 4. dist. 1. q. 2. & docet Iuris Consultor lib. 1. §. de origine iuris. Hinc in tanto Incarnationis Mysterio, in quo rationis humanæ, atque Angelicæ oculus caligat, præmittenda terminorum explicatio, simulque notandū est, quòd nomina, cùm sint ad placitum significatiua, multoties non imponuntur ad explicandam substantiam ipsam, vt hoc nomen, *lapis*, desumitur à læsione pedis, & vocis rigore ipsam tantùm repræsentat, quæ est actio lapidis, & tamen ex impositione lapidem significat. Incarnatio ergo Verbi, & si plura obtineat vocabula, quibus significatur; vt *Exinanitio*, ad Philippenses 2. *exinaniuit semetipsum*. *Incorporatio*, ex Hieronymo in Prologo super psalmos: *mixtura admirabilis*, ex Augustino Epistola 3. ad Volusianum: *Inhumanatio*, & sic de alijs huiusmodi. Nullum tamen vsitatius est in Ecclesia, ac nomen, *Incarnatio*, quo vsi sunt Patres Latini ad hoc Mysteriū significandum, vt Cyprianus lib. 2. contra Iudæos; Lactantius Firmianus lib. 4. institutionum cap. 11. Leo I. serm. 2. de Natiuitate, Hieronymus in caput 1. Marci; Ambrosius in cap. 23. Lucæ Augustinus lib. 9. de Ciuitate Dei, & lib. 10. cap. 24. & 29.

2 Fundamentum habetur ex varijs Scripturæ locis, vt Ioannis 1. *Verbum caro factum est*: ex quo Patres Concilij Niseni in Symbolo sumpserunt illud, *&*

A *incar-*

*incarnatus est de Spiritu sãcto.* Nec dicendum est, hanc vocem esse nouam, aut non latinam, ex eo quòd minimè in vsu fuerit ante hoc Mysterium: Etenim satis est, supradictos Patres de lingua abundanter benè meritos, ita vocasse, & regula Ciceronis lib. 1. Acad. & Oratij in arte Poetica est, quod nouis adinuentis rebus, necesse est, vt noua inueniantur vocabula. Quæ regula obseruanda est contra modernos nostri temporis Hæreticos irridentes Ecclesiam Catholicã, propterea, quod vtatur huiusmodi vocabulis de nouo adinuentis, & non in vsu apud antiquos Grammaticos, vt est verbi gratia illa vox, *transubstantiatio,* quæ est inuenta in Concilio Lateranensi sub Innocẽtio X. ad significandam mirabilem mutationem, qua in Eucharistia, substantia panis in substantiã Corporis Christi, & substantia vini in substantiam Sanguinis Christi conuertitur. Neque hæc cõsuetudo noua est in Ecclesia Catholica; sed Sacra Concilia antiqua eam obseruarunt, quæ ad res nouas explicandas, noua excogitauere vocabula. In Concilio enim Niceno inuẽta est noua vox ad explicandam consubstantialitatem Patris, & Filij cõtra Arium. Et in Cõcilio Ephesino primò inuenta est illa vox, *Deipara, seù Dei Genitrix*, ad significandum, Virginem Sanctissimam Matrem Dei, & hominis appellari debere.

3 Idem ergò dicendum est de hoc nomine, *Incarnatio*, quod apud Patres, & Theologos, ab ipso ferè mysterij exordio in communi vsu reperitur. Et licet Catholici aliquando eo vti formidauerint, nè viderentur fauere hæresi Apollinaris, qui asseruit, *Verbum Diuinum, solam carnem, & non animam assumpsisse*, vt refert Athanasius in libro de Incarnatione, & Aduentu Filij Dei; Hoc tamen iam nõ est timendum: quia vox, *Incarnatio,* non solùm significat, carnem fuisse assumptam, sed etiã naturam humanam integram: Quemadmodũ igitur in Ecclesia Catholica, nomine, *Christus*, intelligitur vna persona, quæ tamen verus Deus, & verus homo existit, non confusione aliqua vtriusque naturæ, nec conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, vt ait Diuus Athanasius in symbolo, & Augustinus de bono perseuerantiæ cap. 24. vbi cum dixisset, *humanitatem Christi, qua minor est Patre, non diminuere diuinitatem, qua æqualis est Patri,* statim subiungit: *hoc autem vtrumque vnus est Christus.*

4 Ita hæc vox, *Incarnatio,* ex cõmuni vsu Ecclesiæ significat coniunctionem duarum naturarũ in Christo, Diuinæ scilicet, & humanæ; itaut natura Christi humana nullo modo per hypostasim, aut personam creatam, &

suam

suam propriã subsistat, sed per Diuinam; sic vt eadem persona Verbi Diuini sit, & verus Deus ratione Diuinæ naturæ in ipsa subsistentis, & verus homo ratione naturæ humanæ subsistentis in eadem persona Diuina. Vnde hæc vox, *Incarnatio*, plus ex cõmuni vsu significat, quam videtur ex natura sua exprimere: quia videtur exprimere humanam carnem à Verbo assumptam fuisse: Significat autem, non solum carnem, sed etiam naturam ex anima, & corpore constantem, assumptam à Verbo fuisse; & in hac significatione vtitur sæpè hac voce Sacra Scriptura, vt Lucæ 10. *videbit omnis caro salutare Dei*. Ad Galatas 1. *non acquieui carni, & sanguini*. Genesis 6. *omnis quippè caro corruperat viam suam*; quibus in locis nomine carnis sacra Scriptura intelligit hominem. Vndè Cyrillus Alexandrinus in Scholijs de Incarnatione Vnigeniti capite 25. ait: *quoties igitur audimus, carnem factam esse Verbum, hominem intelligimus ex anima, & corpore factum*. Ex his patet, quid nomine Incarnationis in tota hac materia intelligendum sit.

# QVÆSTIO PRIMA.

## *Vtrum Deum Incarnari sit possibile.*

5 Non vertitur in dubium inter Christianos possibilitas Incarnationis: nam Diuinũ Verbũ hominẽ esse factũ, ex fide credimus: Sed propterea possibilem esse huiusmodi Incarnationem Theologi probant, vt nouerint infideles; sicuti in reliquis Fidei Catholicæ Articulis, ita in hoc, qui est aliorum fundamentum, nihil esse absurdi, & quòd naturæ principijs non repugnet; nunc est agendum de hac possibilitate, & non repugnantia. *Moneo* primò ex Sco. in 1. dist. 2. q. 3. & dist. 6. q. vnica, quòd possibile accipitur dupliciter. *Vno modo* pro non repugnantia terminorum, & definitur à Scoto: Modus compositionis formatæ ab intellectu rei illius, cuius termini non includunt contradictionem, & hoc dicitur possibile logicũ. *Altero modo* pro eo, quod sumitur à potentia inhærente alicui, vel terminata ad aliquid, vt materia physicè potest recipere formam, & forma potest materiam informare. *Item noto* (relictis multis receptionibus naturæ, quæ legi possunt apud Aristot. 5. Met. cap. 4. & apud Boetium in lib. de duabus naturis, & vna Persona Christi,) quòd natura

tura humana sumi potest tripliciter; vel pro natura in cõmuni, quæ de pluribus indiuiduis in quid prædicatur, vel pro natura singularizata aliquo positiuo; vel pro natura personata. Hic non loquimur de natura in suo esse specifico separato à singularitate, vel indiuiduo: non enim Platonici sumus, vt secundas substantias (genera inquam, & species,) extra singularia putemus existere: sed cum Arist. in primis substantijs, atq; singularibus ea esse putamus. Non est natura assumpta, quatenus est sub omnibus indiuiduationibus, & singulis indiuiduis; quia tunc Christus esset omnis homo, & Verbum Diuinum vnitum esset cum omnibus, & singulis hominibus; non est quoq; hæc natura sub sua personalitate; nam personalitas dicit incõmunicabilitatem, & independẽtiam; at humanitas à Verbo Diuino assumpta, non est in se incommunicabilis, aut independens, sed actu ei communicatur, & ab eo dependet. Superest igitur, vt natura humana assumpta fuerit singularis, & indiuidua, scilicet priusquã assumeretur propria indiuiduatione, & singularitate, fuerit indiuidua, singularis, & hæc; vt videlicet Christus non solùm esset homo, sed etiam hic homo, haberetq; vltimam actualitatem positiuæ naturæ humanæ.

Tandẽ noto ex Scoto in 19. quæst. quolibetali lit. A. quòd tripliciter aliqua realiter possunt vniri; vel per informationem, vt materia vnitur formæ, & è conuerso, & de hac nihil ad præsens; cum nec Verbum se habeat vt forma, nec vt materia respectu naturæ humanę. Secũdò aliqua vniuntur per aggregationem, & associationem, vt multi lapides simul, nec de hac in præsentiarum agimus. Tertiò aliqua vniuntur, quia habent inter se talem ordinem, quòd vnũ tenet rationem dependentis, alterum independentis, & terminantis dependentiam sine vlla tamen informatione.

# PROPOSITIO PRIMA.

*Possibilis est Incarnatio Dominica, duarum videlicet naturarum, Diuinæ, & Humanæ vnio sub vnitate personali Diuina.*

6 Probatur. Id possibile Deo est, quod nullã dicit cõtradictionem: sed duas naturas vniri modo supra explicato, nullam dicit

dicit contradictionem: ergo possibilis est illa vnio, atque Incarnatio Verbi. Minorem tàm Iudæi, quàm Aethnici constantissimè negant; hanc nos hunc in modum probamus. Si aliqua est in huiusmodi vnione repugnantia, ea est vel ex partæ personæ Diuinæ, vel ex parte personæ Verbi, vel ex parte hominis assumpti; sed ex nullo horum est contradictio, aut repugnantia: ergo, &c. *Dicere non possunt* repugnare personæ Diuinæ huiusmodi assumptionem naturæ humanæ; Siquidem huiusmodi assumptio nihil ponit in Diuina persona indecens, & repugnans: nàm ex huiusmodi assumptione, nulla resultat in Diuina persona assumente potentialitas, cõpositio, aut limitatio, quæ tria sola sunt, quæ mens nostra fingere potest aduenire Deo ex Incarnatione. *Non repugnat etiam* personæ Verbi huiusmodi solitaria assumptio; hoc est non implicat, solam Verbi personam incarnari, & vniri naturæ humanæ: nàm ea sola opera Dei ad extra sunt communia tribus personis, quæ à Deo emanant, quatenus Deus est, & efficiens causa; opera verò ipsa habent rationem effectus; sed ea, quæ emanant à persona Diuina, quatenus persona est, & propter distinctionem realẽ cuiuslibet personæ Diuinæ ab alia, & propter incommunicabilitatem, quam includit persona, possunt ita esse ab vna persona, vt alterius non sint. Talis autem est Incarnatio, quæ non est effectus, neque est à Deo, vt Deus est, nec respicit Deum vt causam efficiẽtem, sed solam respicit personã Verbi, quæ sola terminat Incarnationem. *Non est quoque repugnantia* ex parte naturę assumptæ; Tum quia illa est creata, seu creatura, ac proinde est in potentia obedientiali Dei; Tum quia potest Deus separare omne posterius realiter distinctum à priori, facereque, vt prius maneat, destructo posteriore. Est enim personalitas creata posterior singularitate: ergo potest Deus præseruare hominem singularem, & indiuiduum carentem sua personalitate, quã supplebit postea personalitas Diuina, reiectis omnibus imperfectionibus, quas ex huiusmodi suppletione, cęca mens nostra somniare posset.

PRO-

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Possibilitas Incarnationis demonstratur varijs exemplis Sacrorum Doctorum.*

7 PRimi exempli *Author est D. Athanasius in Symbolo: Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus, & homo vnus est Christus.* Claudicat illa similitudo: nam vnio Animæ cum Corpore naturalis est: cùm Verbi Diuini, & hominis cõiunctio fit præter naturam Vnitur Anima Corpori, vt pars parti, Verbum autèm homini, vt totum toti. Anima vnitur Corpori, vt forma materiæ; absit autem, vt idipsum dicamus de Verbo, & homine. Tamen hæ omnes dissonãtiæ, necnon aliæ, si quæ sũt, excluduntur illa dictione (*Vnus*) posita in textu Athanasij; est nãque sensus (in hoc dumtaxat conueniunt hæ duæ vniones Animæ cũ Corpore, & Dei cum homine) vt quemadmodũ non obstante distantia, & disparitate Animæ Rationalis, & Corporis, resultat nihilominus vnitas substantiæ primæ, atque Personalis; Ita non obstante disparitate Dei, & hominis, vniuntur tamẽ duæ naturæ, Diuina, & Humana in vnitate Hypostatica, & Personali, ita vt non sint duo, sed vnus Christus; Quapropter licet ita argumentari. Possibilis est vnio Animę Rationalis cum Corpore in vnitate Personali: ergo à simili possibilis est vnio Dei, & hominis in eadem vnitate, quam appellamus Incarnationem.

8 Secundi Exempli *Author est Sco. q. 1. lib. 3. art. 1.* quod desumitur ex coniunctione accidentis, & substãtiæ. Claudicat illud, sicut, & præcedens: Nàm ex substantia, & accidente fit ens per accidens, quale non est Christus: imò detrahenda est ab vnione naturali substantiæ, & accidentis imperfectio illa, quæ consistit in informatione. Nàm etsi informet accidens substantiam, nõ tamen Diuinitas hominem; aut humanitas Deum. In hoc ergo sita est similitudo Scoti, vt quemadmodum substantia est prior accidente, illudque substentat, & dependentiam terminat, possetquè Deus efficere, vt accidens vniretur substãtiæ, nec tamen illam informaret: quia informatio est posterior existẽtia accidentis, pari modo duæ naturæ, humana, & Diuina possunt ita vniri, vt Diuina, quæ est prior, substentet humanam, quæ est posterior, terminetquè

eius

eius dependentiam sine vlla tamen informatione.

Tertij Exempli *Author est Durandus q.1.* tertij & desumitur ex mixtione arborum: docet namque experientia, arbores duas, aut plures per insertationem ita vniri, vt efficiatur arbor vnica, non solum eiusdem speciei, sed etiam diuersissimæ, itaut ex Ramusculo, qui inseritur cũ Trunco cui inseritur, fiat vnum vnitate numerica secundùm quantitatem molis sine naturarũ permixtione. Pari modo in Incarnatione Dominica: Naturæ duæ quantumuis diuersæ vniuntur in vnitate quantitatis virtutis singulari, & personali, fitque arbor vnica, scilicet vnus Christus, manente vtraque impermixta cum altera. Habetque Diuina Natura rationem Trũci, humana autèm rationem arbusculi, ita vt dicere possimus, insertum esse hominem Diuinitati; qua ratione ausus est D. Paulus ad Rom. dicere fideles esse insertos Christos eo modo, quo oleaster inseri solet cum oliua bona.

## PROPOSITIO TERTIA

### *Possibilitas Incarnationis Dominicæ probatur ex facilitate soluendi argumenta, quæ contra ipsam afferri solent.*

9 PRimum *Argumentũ*. Actus purus non concurrit ad cõpositionem. Sed Deus est actus purus: ergò non potest concurrere ad compositionem, quæ in Incarnatione est. *Concessa Maiore, & Minore*, negatur sublumptum, si compositio sumatur in sua significatione propria, & non cõfundatur eius significatio cum vnione, ac proinde negamus id, quod in cõclusione sumitur, nẽpè Incarnationem esse compositionem; Est enim vnio simpliciter dicta, quæ omnem excludit compositionem. Posse autem actum purum vniri alteri sine compositione, cõstat ex vnione, qua Angelus, qui actus purus est (scilicet physicè non compositus) vnitur corpori assumpto sine vlla compositione.

*Secundum Argumentum*. Inter vnibilia debet esse proportio; sed inter Deum infinitum, & hominem finitum, nulla excogitari potest proportio; cum sit distantia infinita inter vtrumque, ergò non possunt Deus, & homo vniri in Incarnatione. *Maior est distinguenda* de duplici proportione, scilicet Geometrica, & habitudinis, seù ordinis; Maior propositio est vera de proportione habitudinis, seu ordinis, falsa verò de proportione Geometrica. Ad minorem dicimus, inter Deum infinitum, & hominem finitum

finitum reperiri proportionem habitudinis, seu ordinis; Hinc neganda conclusio.

10 *Explicemus* aliquãtulum datam responsionē. Continet enim eruditionem non contemnendā. Quotiescunque duo inter se cōparantur, quæ sunt diuersæ perfectionis, necessarium est vt vnū altero sit perfectius, idque cum aliqua ꝑportione, quæ aliquādo talis est, vt sciri & deprehēdi excessus valeat; Est enim duplo, aut triplo perfectius, & tunc inter ea dicitur esse perfectio Geometrica, seu proportio. Vel nec sciri, nec depræhendi potest ille excessus, qui, quantusque sit, nō impedit quominùs ea duo dicātur habere ad se inuicem quamdam habitudinem, seù ordinem, secundùm quem ita conueniunt, vt conuenire insimul possint, simulq; vniri; Et huiusmodi proportio, quæ facit, vt vniri valeāt, dicitur habitudinis seu ordinis, qualem reperire licet inter res maximè distantes, vt inter obiectum, & potentiam, formam, & & materiam, superficiem, & colorem. Vnde fit, vt aliquando quæ magis distant, faciliùs vniantur propter hanc proportionē habitualem, quàm, quæ minùs distant. Siquidem magis distat forma à materia, quàm duæ formæ substantiales à se inuicem, & tamen naturalis est vnio formæ cum materia, & contra naturam est duarum formarum substantialium vnio, nisi vna subordinetur alteri, sitque ad illam necessaria dispositio, vt videre est in forma corporeitatis, & Anima Rationali. Idipsum in alijs exēplis patet. Nam magis distant superficies, & albedo, quàm albedo, & nigredo, tamen vniuntur superficies, & albedo, cum albedo, & nigredo vniri nequeāt. Inter Deum, & hominem finitū, & infinitum non est Geometrica proportio, quia infinitè excedit perfectio Diuina creatam, seu humanam, estque infinita distantia perfectionis inter finitū & infinitū; sed ea nō impedit quominus sit ꝑportio habitualis seu habitudinis, quam appellare possumus entis ad ens, seu dependentis ad id, quod est depēdentiæ terminus, ac proinde Natura humana dependens vniri potest cum Natura Diuina, quæ est terminus huius dependentiæ.

11 *Tertium Argumentum*. Deus mutationis expers est: sed si Deus incarnaretur, esset in eo mutatio: ergo Deus incarnari non potest. Sequelā indè probatur. Personam Diuinam incarnari, est eam vniri intrinsecè humanitati: ergo vnio foret intrinsecè in Persona Verbi, & mutaretur. *Nec valet si dicas*, vnionem esse extrinsecam Verbo. *Contra*, nam indè haberetur Deum nō esse intrinsecè hominem; quippè, qua ratione Persona Diuina vniretur, emanaret denominatio vniti: ergo, si vniretur extrīsecè, diceretur extrin-

extrinsecè homo.

*Aliqui*, concessa maiore, negãt cum Gregorio de Valẽtia disp. 1. q. 1. pun. 2. Verbum mutari: Siquidèm vera mutatio in hoc cõsistit, vt res, quæ mutatur simpliciter, & absolutè, & secundùm vllum modum non habuerit antea id, quod secundùm aliquem modum incipit habere de nouo; ac proindè cum Persona Verbi, in quantùm Deus est, ante Incarnationem in se habuerit naturam humanam, non formalitèr, aut secundùm esse reale, sed eminẽter (cùm omnes creaturarũ perfectiones in Deo sint) non potest Persona Verbi dici mutata, cum eamdem naturam humanam assumpsit formaliter, & secundùm esse reale in Incarnatione. *Refellitur* hæc Doctrina, patitur quippè difficultatẽ: nam, & si Natura Diuina eminentèr contineat naturam humanam, non tamen illam continet Verbum, vt falsò supponebatur. Etenim relationes Diuinæ non sunt infinitæ, nec perfectæ ex Sco: quolib. 5. *Sit alia difficultas*. Aqua, etsi pro illo signo, quo suam anteit frigiditatem, virtualiter eam contineat; cùm tamen postea eam continebit formaliter, minimè dices eam non esse mutatam. *Sit aliud argumentum*. Si Piper, quod est virtute calidum, fiat actù & formaliter calidum applicatione ignis, verè cẽsetur realitèr mutari: ergo idem posset quis dicere de Verbo, etiam gratis concessa in ipso eminentiali continentia humanitatis.

12 *Nominales* ad tollendas realitates semper parati, respondẽt, vnionem inter extrema, siuè ea naturalis sit, siuè supernaturalis, nihil de nouo superaddere illis, sed extrema vnibilia se ipsis vniri; Hinc vniri naturam humanã Verbo absque Verbi mutatione concludunt.

*Doctrina ista* nobis probari non potest; hinc illam sic impugno ostendendo, vnionem esse aliquod realitèr distinctum ab extremis. *Primò*: Quod per se tale est, semper, & necessariò est tale: ergò si humanitas per se, & non per aliud à se distinctum dicitur vnita: ergo pari ratione humanitas quælibet dicenda vnita de facto. *Sit aliud argumẽtum*: Verbum Diuinum dicitur hypostaticè vnitum naturæ humanæ in tali tempore, & non priùs: ergo ratione alicuius adiuncti dicitur natura vnita, alioquin non maiori ratione diceretur hæc humanitas vnita, quàm altera. *Respondent Nominales* ea doctrina, qua in physicis scilicet, vltra entitates absolutas, fore necessariam indistantiam. *Contra* insurgo doctrina physica. Corpori perfectè disposito potest Deus de potentia absoluta plures indistantes apponere animas, quarum nulla informaretur: ergo, vt Corpus dicatur informatum, necessariò requi-

requiritur aliquod superadditũ partibus vltrà indistantiam.

13 *Respondent aliqui,* cum sola indistantia illam animam informaturã corpus, quã Deus vellet. *Contra*. Vel enim hæc Dei volitio ponit aliquid noui ad partes vniendas, vel nihil: si ponit aliquid noui, habetur intentum; si nihil apponat partibus, certè partes in eodem statu permanebunt, proindequè nõ magis intelligentur vnitæ, quàm anteà. Non potest enim facere Diuina volitio, vt res aliter se habeat, si nulla fiat mutatio: alioquin faceret, vt AEthiops euaderet albus, non superaddito candore. *Sit altera ratio.* Petrus, & Paulus ponantur simul diuinitùs penetratiuè; certè tunc anima Petri erit localiter intimè præsens Corpori Pauli. Nunc tale sit argumentum. Anima Petri indistans à corpore Pauli facit nè cum ipso vnum totum, vel non? Non dicendum primum; alioquin anima Christi è matris vtero prodeũtis, ipsiusque carnem penetrantis, verè carnem Virginis informasset, quo nihil absurdius: ergò dicendum, solam indistantiam minimè sufficere ad faciendum vnum; ergò superaddenda vnio. *Transferamus* quæstionem ad formam accidentalem, puta Petri calorẽ ad Pauli calorem; cùm enim calor ille possit saltem diuinitùs esse indistans à corpore Pauli, dùm Petrus Paulum penetrabit, vel iste calor vniatnt physicè corpori Pauli, vel non? Respondent negatiuè; Vnde infero: ergo vnio huius caloris cum suo subiecto est aliquid reale præter entitates subiecti, & caloris sũptas cum intima vtriusque præsentia locali, proindequè licebit à pari concludere de vnione formæ substantialis in physicis, & de vnione naturæ humanæ ad Verbum in Schola Theologica. *Itèm* licèt negent Aduersarij, animam Petri coniunctam ipsius corpori, posse naturaliter informare corpus Pauli positũ penetratiuè, id tamen diuinitùs fieri posse, nõ negant. Ponamus ergo id fieri, certè hoc posito valet argumentum; Nàm quæro, quid tunc de nouo partibus adueniet? *Respondent* in facta Hypotesi, animam Pauli non fore ampliùs vnitam corpori Pauli; *Hoc gratis dicitur*: quippè in Schola, contra quam disputamus, nulla proferri posset contradictio, quominùs duæ formę simul informant eamdem numero materiam: Sed de hoc in physicis.

14 *Dies contra Nos*: Verbum dicitur vnitum, nulla forma in ipso recepta; cur ergò id non dicendum de humanitate? *Debilis discursus*: Nàm noua denominatio in termino non potest haberi, si non sit noua acquisitio, vel deperditio in altero extremorum. *Explicatur doctrina ista discursu Sco. quolib. 9. litt. M. & in 2. d. 14. q. 1. fine*

1.in fine & in 4 d.45. q.1.§. *Ad gumenta principalia*, quibus in cis docet, quod cùm partes mpoſiti ſint eſſentialirer imrfectæ, & perficiantur in comſito,neceſſaria eſt illis vnio,vt media,perficiãtur. Hinc cum tura humana perficiatur, & gnificetur hoc in Myſterio,nõ Verbum; concludendum, negata vnione in Verbo, eam e admittendã in humanitate *& aliud argumentum.* Indiffeis ad plura, vt perdat indiffetiam,& reſtet determinatum vnum, indiget acquiſitione, deperditione alicuius. Non quippè tranſitus de contratorio in contradictorium ſine qua mutatione; Hac ratione; genus eſt indifferẽs ad plures erentias, ſeù ſpecies,nunquã itur huius determinatæ ſpei, niſi per differentiã adiunm:ergo idem deHumanitate. e *recurras* ad nouam indiſtann; Etenim Natura eſt indiiſſima à Patre, & Spiritu Sã, cum tamen illis non dicavnita.

*Quæ faciũt* pro Nominalibus: cipe. Proceſſus in infinitũ nelus;daretur proceſſus talis, ſi et vera noſtra doctrina: ergò ſa. *Sit hoc argumẽtum.* Vnio bet vniri:ergò vnione, ergò vnio altera vnione; idem de eris: ergò clarus proceſſus in nitum. *Reſpondent nonnulli*, onem vniri ſe ipſa.*Contra*, idẽ am ego de humanitate. *Solno* argumentum cum Sco. in 4. d.12.q.1.dicendo, primam vnionem vniri per ſecundam, ſecundam verò ſeipſa. *Replicabis*, nos ſine ſolido fundamento eſſe philoſophatos, cùm non habeatur maior ratio de ſecunda vnione, quàm de prima. *Soluimus argumentum* notando, ſecundam vnionem eſſe identificatam realiter cum prima. Quippè illa eſt relatio realiter identificata cum fundamento, cui per locum intrinſecũ repugnat eſſe ſine fũdamẽto verò ſecũdæ: vnioni repugnat eſſe ſine prima,ergò identificatur cum prima; Hinc fit vt propter talem identitatem realem ſecunda vnio ſe ipſa vniatur, non verò prima. *Si placet*, ſolue argumentum alia doctrina Sco. in 4. d. 13. q. 1. vbi docet, vnionem non vniri, *vt quod*; ſed tantùm eſſe rationem vniendi. *Exemplum* aptum nobis prȩſtat metaphyſica de vnitate,quæ eſt paſſio entis,& dicimus ſuperadditam enti,cùm tamen nil ſuperaddatur vnitati, & ſit ens in quale. Ratio apud Methaphyſicos eſt: quia vnio non habet rationem *quod*, ſed rationem *quo*: Eſt quippè ea, qua ens dicitur vnum:ita etiam actio,ea eſt, qua producitur,non tamen quȩ producitur: Motus non eſt id,quod mouetur,ſed quo aliud mouetur Dilectione diligo Deum, cum tamen illa dilectio non ſit, quæ diligitur,Ita diſcurrendũ in præſẽti noſtro negotio Theologico.

16 *Restat*, vt præsupposito argumēto principali, n. 11. nostrā applicemus solutionē. Cōcedimus ergo, Verbum esse immutabilē; sed negamus ex isto mysterio, aliquam in ipso concludi mutationem. Ratio est, quia mutatio non consistit in eo, quod aliquid se habeat nunc aliter, quàm priùs, nisi alter modus habendi sit per aliquod positiuum reale; at id, quod aduenit Verbo per Incarnationem, non est aliquod reale, aut positiuum, sed dumtaxat relatio rationis, quę rem, cui aduenit, non mutat, vt videre est in omnibus, quæ tantùm extrinsecè denominant. *Hinc replicamus*, triplicem esse vnionem, scilicet, informationis, aggregationis, & ordinis. Informationis est, quando duo ita vniuntur, vt alterum se habeat vt actus, alterum vt potentia; hac ratione vnio, quę intercedit inter corpus & animam, venit appellanda, *informationis*: quippè corpus se habet vt potentia, anima verò vt actus. Vnio aggregationis est, qua multa discontinuata simul vniuntur. Vnio ordinis ea est quando vnum, quod est posterius, per dependentiam dependet à suo priore. *Optimum exemplum* præsentis rei subministrat nobis Scotus in accidēte, & substantia, quia (inquit) præscindendo ab omni influxu substantiæ, adhuc accidens, cum entis ens sit, dependet in substentari à substantia, & vt sic substantia nullam dicit ab accidente depēdentiam, quinimò, tota dependentia est in accidente, quod, qua posterius, dependentiam dicit à substātia, vt ab aliquo priore. Vnio hæc ordinis in suo formali conceptu nō importat, nisi dependentiā posterioris, vt substentetur à suo priore tanquam à termino substantiuo, qui terminus sit complementum naturæ dependentis, & indigētis substentatione; Vndè dependentia passiua tota se tenet ex parte naturæ substentabilis.

17 *Hinc notandum*, vnionem istam ordinis ex suo conceptu formali minimè expostulare afficere vtrumque extremum vnibile, sed solùm, vt per illam afficiatur id, quod dependet. Cuius doctrinæ ratio ea est: quia esse terminum dependentiæ dicit esse id, à quo aliud dependet; Vndè collige, minimè esse necessarium informari Verbum: cùm Verbum, & humanitas non vniantur, vt actus, & potentia, vt perfectibile, & perfectiuū, quasi verò partes incompletæ sint, sed est vnio dependentiæ naturæ humanæ indigentis substentatione. *Dico ergò*, Verbum non esse mutatū, sed totam mutationem esse ex parte naturæ humanæ. Cùm vnio hypostatica non sit informationis, de cuius ratione est, vtrumque extremum vnibile afficere; est ergò vnio ordinis, seu unio posterioris, ut substentabilis à suo priore, ut à substentatiuo

tiuo

tiuo; vnio ergò illud extremum dumtaxat afficit, in quo formaliter est dependentia: ergò cùm tota dependentia fuerit ex parte naturæ humanæ, ista mutabitur, non Verbum. *Rem nostram* declarat id, quod habet Sco. in 3. d.p.q.1. vbi docet: vnionem hypostaticam esse relationem disquiparentiæ, & non mutuam. Hinc nobis est documentum, quod relationes sub duplici cadunt differentia; quædam sunt mutuæ, & æquiparentiæ; aliç nó mutuæ, & disquiparentiæ. Mutuas illas appellat, quæ in vtroque extremo sunt eiusdem rationis, v.g. relatio Patris ad Filiũ, & Filij ad Patrem. Relationes non mutuæ illç sunt, quando extrema non ita se habent, vt vnũ referatur ad aliud relatione reali, & alterum consimili relatione respiciat alterum; solum ergò alterum extremum relatione rationis refertur. Talis est relatio scientiæ ad scibile: nam scientia relatione reali respicit scibile; cùm tamen scibile, sola relatione rationis referatur ad scientiam. Huius farinæ est vnio hypostatica in Verbo. Nil ergò reale ponit in Verbo assumente.

18 *Dices*. Ergò si ad vnionem Verbum Diuinum merè terminatiuè, & extrinsecè se habet: ergò Verbum Diuinum solùm extrinsecè erit homo. *Respondetur*, debile esse argumentum, & hoc ex eo ostenditur, quòd in probabili sentẽtia anima rationalis, & corpus eadem vnione in solo corpore accepta, & ad animam terminata, faciunt hominem: ergò pari ratione Verbum, sola terminatione vnionis existentis in Humanitate, dicetur Homo. Si intendas, Verbum dicendum extrinsecè hominem; quia intrinsecè in se non recipit vnionem; Hoc placato animo tibi do. *Moneo tamen*, quod aliquod potest dici intrinsecũ dupliciter. *Primò* quia perficiat & perficiatur intrinsecè per informationem, & informabilitatẽ. *Secundò*, dici potest intrinsecũ, quod est per se requisitũ, & hac ratione terminus dicitur essentialiter expostulatus ad relationis pullulationem. Hac obseruantia posita; Distinguo de intrinsecitate vnionis. Vnio est intriseca, quia per illam Persona Diuina perficiatur; nego. Vnio est intrinseca, scilicet requisita, vt extrema vniantur, & vt humanitas denudata propria subsistentia, actualem dependentiã importet ad Verbũ substentans; Concedo, tali modo esse intrinsecam: attamen falsò inde deduces mutationẽ in Verbo: cùm ad illam Verbum minimè se habeat receptiuè, sed dumtaxat terminatiuè.

19 *Quartum Argumentum*. Incarnatio dicit passionem; sed passio nó cadit in Deo: ergò nec Incarnatio. *Maiorem* concedimus propositionem. Omni enim actioni correspondet passio, ac proinde

proinde necessarium est, vt in Incarnatione, quæ sine actione esse non potest, passio reperiatur. Ita tamen, vt illa passio non significetur per hanc dictionem, *Incarnatio*, sed per vnionem, aut assumptionem; sitquè tàm vnio, quàm assumptio in natura humana, quæ vnitur Diuinitati, & assumitur à Diuina Persona. Hinc constat, concedendam esse minorem, & negandam conclusionem secundùm interpretationem datam in maiori; nàm passio non est in Diuina Persona assumente, sed est in natura assumpta. *Vel* (si placet) nego maiorem: nàm quamuis secundùm gramaticalem vsum Incarnatio dicat passionem, non tamen secundùm Fidei Catholicæ, & Scholæ Theologicæ vsum: etenim apud nos *Incarnatio*, quāuis deducatur à Verbo passiuo, *incannari*, tamen non retinet passiuam significationem, sed actiuam accipit: cùm grammaticæ leges plerumque Ecclesia spernat. Itaque Incarnatio significat actionem propriam, & peculiarem secundę Personæ Diuinę, quatenùs Persona est, qua actione assumit naturam humanam, terminatquè illius dependentiam, assumere autèm, & terminare, potiùs actionem sonat, quàm passionem. *Vide Scotum in 3. d. 1. q. 1. §. ad argum. vers. ad 4.*

20 *Quintum argumentum*. Anima Christi nequit fieri cognoscens per scientiam Dei increatam: ergò nec subsistens per subsistentiam increatam. *Nonnulli respondent* negando paritatem eo ducti fundamento, quod nemo intelligere potest intellectione ab eo non producta, & addunt, hoc deduci ex conceptu vitalitatis. *Nobis* hic philosophandi modus non probatur; credimus quippè, intellectum posse intelligere intellectione à Deo producta, & ad quam intellectus merè passiuè se haberet, sed de hac re nōnulla notabo in dispositione de Scientia Christi. Pro nunc hæc accipe. Conceptus vitæ non dicit ab intrinseco actiuitatem actualem, quinimò amore à Deo in mea volūtate producto amare me posse, docet communis Scotistarum: Amor ille in voluntate productus, nulli non viuenti deseruire posset ad operandum: ergò clarum argumentum, quod amor ille esset vitalis. *Sit aliud argumentum*, intellectio, qua Deus intelligit, vitalis est, non tamen producta; ergò vitalitas minimè exposcit ab intrinseco efficientiam ab ea potentia, quæ illa vtitur.

21 *Ad argumentum ergò in se*. Respondeo primò, Vgonem de Sācto Victore, Ioannē de Ripa, & alios apud Suarez disp. 24. Sect. 2. non abhorrere, potentiam creatam reddi posse intelligentē intellectione Dei. Hinc patet, argumentum hac in opinione sup-

supponere falsum. Pro nunc negamus paritatem assumptam, & hoc, quia visio est vitalis, & intellectus dicitur viuere intellectione; Cùm ergo nemo viuere possit vita sibi extrinseca, fit pallam, quod intellectus intelligere non poterit intellectione Dei; quæ illi est prorsus extrinseca, & nulla ope ipsum informare valet. *Adde*, quod vitalitas dicit principiū viuum, prout principium viuū distinguitur à principio mortuo; Principium mortuum nullam habet, nec habere potest operationē: ergò principium viuum, si non actû, ad minùs potentia valet influere in actum, quo dicitur viuere. Hinc cum creata potentia nullū habere possit influxum in intellectionem increatam, concludimus, repugnare intellectū creatum fieri intelligentem intellectione Diuina. *Sit aliud argumētum*. Cognoscens debet fieri simile cognito ex communi Philosophorum consensu; at intellectione Diuina nequit intellectus fieri similis obiecto cognito (cum similitudo debeat esse intrinseca intellectui;) ergo intellectus non potest fieri cognoscens cognitione increata. *Aliter* tamen philosophandum de subsistentia: Ista enim est secundùm dependentiam præcisè in ratione substentabilis, & substentatiui, dependentis, at dependentiam terminantis, quod terminans debet esse extrinsecum, & non informans] substētificatum, &c.

22 *Sextum Argumentum*. Subsistētia suum præstat effectum in genere causæ formalis; at Deus nequit supplere genus causæ formalis: ergò nec agere vices subsistentiæ creatæ. Accipe hoc argumentum. Subsistentia propria Naturæ est eiusdem naturæ modus, sicut sessio est modus sedēdis, & vbicatio modus rei vbicatæ: ergò quando suppletur necessariò supplenda in genere causæ formalis; quod si alio in genere suppleretur, fieret, humanitatem non recipere à subsistentia Verbi, quod sibi præstandum postulabat à subsistentia propria: ergò si subsistentia propria dat effectum in genere causæ formalis, & cōceptus causę formalis intrinsicè pugnat cū Personalitate Verbi, subsistentia creata à Diuina minimè suppleri poterit:

*Pro solutione*. Suppono ex metaphysica, fuisse aliquorum sententiam, quod subsistentia formaliter in se sit modus. Alijs placet, conceptum subsistentię minimè de per se habere rationem modi, sed solùm importare esse vim complentem naturam existentem, scilicet vt natura substantialis, quæ præscindendo à subsistentia solùm erat per se negatiuè, non verò positiuè, fiat in se, & per se positiuè. Hanc sententiam secutus sum in Metaphysica; Ibidem notabam d-

scri,

scrimen inter concurrere in genere causæ formalis, & concurrere formaliter. Obseruabam; quod genus causæ formalis expostulabat concurrentiam se habere per modum actus, & potētiæ, informati, & informantis; ita quod ex illis partibus substantialibus resultaret tertia entitas à partibus alia. At concurrere formaliter, notabam, se habere terminatiuè dumtaxat; Sic se habet terminus respectù relationis: Punctus terminatiuus respectù lineæ, & subsistentia respectù naturæ dependentis.

23 *Hac stante Doctrina* facilis est Responsio ad argumentum, dicendo, subsistentiam esse formā extrinsecam, non verò causam formalem intrinsecam; Genus autem formæ extrinsecè terminantis, minimè repugnare Deo, concedunt omnes vno ore clamantes, Deum ad se terminare dependentias Creaturarum; & in tempore, nulla interueniente in Deo mutatione, ipsum de nouo denominari Creatorem. *Replicabilis*. Natura per subsistentiam subsistit intrinsecè: ergò subsistere est effectus formalis subsistentiæ. *Occurrimus difficultati isti* solutione, qua vtitur *Scotus in 3. d. prima qu. prima*, ita dicens: Quod communicare sic esse, non est idem, quod esse Diuinum informare formaliter naturam humanam; nec etiàm effectiuè communicare, quod scilicet Persona assumens effectiuè det aliquod esse naturæ assumptæ: Sed istud communicare, est terminare dependentiā existentiæ actualis naturæ assumptæ, & hoc est, quod subsistentia sit ratio terminādi naturam creatam. Habes ergò de conceptu subsistētiæ solùm esse terminare, & complere naturam. Quod si Personalitas creata informaret humanitatem; Non inde sequitur, Verbi subsistentiam, eamdem humanitatem informaturam. *Nec putes*, subsistentiā Verbi in omnibus suppleturam subsistentiam propriā humanitatis: quippè subsistētia propria reddit humanitatem in se, & per se; Non ita tamē subsistentia Diuina. Cùm per istā humanitas perdat propriā sùbsistentiam; & non sit in se. Satis ergò est ad rem nostram; vt per subsistentiam Diuinam terminetur dependentia Naturæ, constituaturquè vltimatè completa, & satis ad operandum.

24 *Vltimum argumentum*. Ex duobus entibus in actu non potest fieri vnum ens per se: Sed ens Diuinum est ens perfectissimum in actu, & etiam natura humana est ens in actu: ergo nequeūt facere vnum per se. Maior est omnium Philosophorum communiter, & ratione patet, quia quod est ita in actu, est substātialiter completum, & consequenter non carens vllo comple-

plemẽto subſtãtiali: at natura nõ carens vllo cõplemẽto ſubſtãtiali, nequit facere vnũ per ſe cũ vllo, quod ipſi ſuperaddi poſſit: ergo &c.

*Reſpondent Thomiſtæ*, & aliqui etiam Scotiſtæ, & moderni communiter concedendo maiorem; & negando minorem pro ſecunda parte; quia putant, naturam humanam aſſumptam à Verbo, ſi ſecundùm ſe conſideretur, non eſſe in actu completo, & perfecto: cùm ſit in potentia ad ſubſiſtentiam tanquam ad terminũ ſubſtantialẽ vltimatè cõpletiuũ, & terminatiuũ dependẽtiæ eius.

Niſi me meum fallat iudiciũ, ſolutio iſta non ſoluit argumentum. *Primò*; quia Philoſophi naturales, quorũ eſt illud axioma, nullatenùs fortè cognouerunt talem ſubſiſtentiam diſtinctam ab ipſa natura indiuidualiter completa; nec de ipſa nũquàm fortè cogitauerunt independenter ab hoc myſterio; Sicut multa ſunt alia naturalia, quorum cognitionem, (ſaltem certam) habemus ex myſterijs fidei. *Secundò*, quia in probabili ſententia perſonalitas creata nil ſuperaddit naturæ ſingulari præter negationem communicationis ad quodcũque ſuppoſitum extrinſecum: Certum autẽ eſt, naturam ſingularem non eſſe in potentia ad faciendũ vnum per ſe cum negatione (cum ex negatiuo, & poſitiuo non poſſit reſultare vnum per ſe.) *Tertiò*; quia Ariſtoteles, & alij Philoſophi naturales æqualiter iudicarent impoſſibile, poſſe fieri vnum ens per ſe in ſenſu axiomatis ex duobus actibus, quorum quodlibet eſſet in actu cõpleto, & perfecto, ac ex duobus entibus, quorum vnum eſſet in tali actu; etiamſi alterum eſſet in potentia; nam ſine dubio dicerent, quòd ſicut nõ poteſt homo facere vnum per ſe cũ Aquila, ita nec facere vnum per ſe cum anima, aut materia Aquilæ: ergo eodem modo reſpõderent, quòd Verbum Diuinum, cùm ſit ens perfectiſſimum, & completiſſimum, non poſſet facere vnum per ſe cũ natura humana ſingulari, etiamſi hæc ſine perſonalitate, vt ſupponitur ab his authoribus, eſſet incompleta, & adhuc in potẽtia ad vlteriorem completionem.

25 *Vnde ad obiectionem aliter reſpõdetur*; & primò aduertendum, quòd ex Verbo Diuino, & natura humana non reſultat vnũ phyſicum, aut metaphyſicum tanquam ex actu, & potentia; de quo vno ſinè dubio intellexerunt Philoſophi illud axioma; Sed vnum ſubſiſtens ex natura, & ſubſiſtentia potente terminare eius dependentiã, quod vnũ, vt diſtinguitur à priori, non cognouerunt Philoſophi, nec nos etiam vnquam cognouiſſemus, ſi non eſſet reuelatum hoc myſterium. Vndè admitto totum argumentum in ſenſu Philophorum, & dico; vnum per ſe, quod

in hoc mysterio fit, non esse eiusdem rationis cum illo vno, quod Philosophi negauerunt, posse fieri ex entibus in actu; Christus enim dicitur vnum per se, non in hoc sensu philosophico, quo partes ipsius deberent se mutuò, mediante aliqua vnione perficere, & complere; itaut aliqua operatio physica conueniret ipsi, quæ non posset competere partibus separatis, & secundùm se: nam hoc puto esse falsum; constat: quia nulla potest assignari talis operatio; sed in sensu Patrum, & Conciliorũ, quæ solùm volunt contra Nestorium, quòd non vniatur natura humana, vel homo cum Verbo Diuino per accidens, hoc est vnione tantùm morali secundũ specialem affectum, gratiam, & dignitatem, sed per se; vt per se opponitur tali vnioni accidẽtali, hoc est vnione reali, & physica fundata in humanitate, & terminata ad subsistentiam Verbi; ratione cuius ad se inuicem, ita mutuò alligantur in ordine ad inseparabilitatem, vt non possit esse natura humana, stante illa vnione, physicè præsens, vbi nõ sit Verbum præsens physicè, nõ solùm ex eo, quòd Verbũ sit ex se necessarium vbique; sed etiam quamuis per impossibile non esset vbique, & in ordine ad hoc, vt ex vtroque resultet aliquid verè, & propriè vnum vnitate sufficienti, vt extrema prædicari valeant de toto, & de se inuicẽ admodum concretorum substãtiuorum; nam hoc ipso, quò admittitur talis virtus; habetur tota ratio vnitatis per se, quam requirunt Patres, & Concilia.

26 *Ab illis etiam* vocatur hæc vnio substantialis, essentialis & naturalis; non quòd in se sit substantia, aut immediata ad substantiam, seu essentiam, aut naturã Diuinam, aut naturalis, prout naturale distinguitur à supernaturali; nec volunt humanitatẽ esse vnitam ad vnitatem animæ, quando dicunt esse vnitam realiter Verbo, vel è contra; sed per hæc omnia solùm volunt excludere coniunctionem impropriã per affectum, inhabitationem, operationem, dignitatem, & authoritatem, qualem solummodò ponebat Nestorius. Vndè per talem vnionem intelligunt veram, & propriam, & realem coniunctionẽ oppositam accidẽtali cõiunctioni modo prædicto.

*Totũ hoc insinuare videtur Scotus in* 3. *dist.* 7, *qu.* 1. vbi dicit, hanc vnionem esse diuersissimæ rationis ab omnibus alijs vnionibus. & consequenter prædicationem in ea fundatam, non esse restringendam ad normam Aristotelis, cui illa fuit ignota: Et dicit non esse vnionem accidentalem, neque essentialem; sed substantialem, quod probat ex Damasceno lib. 3. de fide cap. 3. vbi ait: substantialem enim dicimus vnionem, scilicet verã, et non secundùm phantasiam:

sub-

ſubſtantialem autē, non vt duabus naturis perficientibus vnam compoſitam naturam, &c.

*Hic notandum*, quòd Sanctus per vnionem ſubſtantialem nil aliud intelligit, quàm vnionem veram. His tamen non obſtantibus, poſſet admitti, naturam non eſſe in actu completo ſubſiſtendi antecedenter ad unionē; non quòd deſit ipſi aliquod cōplementum poſitiuum naturale; ſedquia deeſt ipſi negatio ſiſtēdi in alio, à qua formaliter intelligitur in ſe ſubſiſtere, & cōſequēter eſſe pſonā pſonalitate ppria.

27 *Dices cum Lugo diſp. 12. de Incarnatione ſeſſione 7*, naturam humanam, ſi ex ſe ſit completa poſitiuè, nō poſſe recipere unionem realem ad Verbum, quod ſine dubio eſt complementum ſubſtantiale ipſius, & conſequēter ſi natura humana recipiat talem unionem, debet eſſe incompleta, & in potentia ad ulterius complemētum. *Reſpondetur* primò, Verbum non complere naturam alio modo, quàm iam diximus, quatenus ſcilicet natura dependeat hypoſtaticè ab ipſo dependentia à poſteriori, ſicut dependeret à propria perſonalitate, itaut non poſſit eſſe ſinè propria, uel ſinè aliena ſupplente defectum propriæ: debet enim neceſſariò ſubſiſtere, hoc eſt ſiſtere in ſe, uel in alio; ut autem ſiſtat in alio, non requiritur, quòd deſit ipſi aliquod complementum naturale poſitiuum: ſed ſufficit, quòd ſit in potentia obedientiali adhoc, ut alteri uniatur hypoſtaticè. *Reſpōdetur ſecūdò*; naturā cōpletā nō poſſe naturaliter recipere talē unionē; poſſe tamē ſupnaturaliter: Sicut Còrpus, cuius capacitas repletiua loci naturaliter exhauritur uno loco, ſupnaturaliter poteſt replere aliū. *Ad illud autem*, quod dicit; Verbum Diuinum propterea non poſſe recipere unionem ad naturam, ſed ſolum terminare, quia eſt completum, falſum eſt, ſed quia eſt completum tale infinitum, ſcilicet cui repugnat quæcumque mutatio intrinſeca, & phyſica; mutaretur autem phyſicè, ſi ex ſe reciperet unionem.

## PROPOSITIO QVARTA.

*Quāuis nè pias aures offēdamus, affirmemus ſolā naturā humanā à diuino Verbo aſſumi poſſe; tamē in rei veritate cū Sco. in 3. d. 2. defēdimus valere diuinum Verbū quācūq; aliā aſſumere ſubſtātialē naturam.*

28 VNdè probatur maximè Incarnationis poſſibilitas, ſi ita dicamus: quæcumque alia ſubſtantialis natura tàm intelle-

tellectualis, quàm animalis imò & inanimata substantia, est vnibilis cum Verbo, & ab eo assumptibilis: ergò & Natura humana. Antequàm demus probatum antecedens, monitos volumus lectores, propositionem hanc, aures quidem simplicium offendere, non tamen minùs esse veram. Horret sanè animus audire, Verbum Diuinum posse vnire sibi Diabolicam Naturã, Asininam, & lapideam, quibus stantibus, resultarent illæ propositiones, *Deus est Diabolus; Deus est Asinus, Deus est lapis*; Vndè extra Scholã sunt tacendæ: cùm tamen veræ sint, & sinè periculo erroris eas proferunt Theologi. Verumtamen hoc pacto probamus, prædictarum naturarum assumptio non magis implicat in Diuino Verbo, quàm naturæ humanæ assumptio; sed iam probatum est n. 6 neque ex parte Personæ Diuinæ, neque ex parte naturæ humanæ aliquid esse, quod impediat assumptionem, ergò idipsum est sentiendum de alijs naturis; nàm sicut natura humana, quia est in potentia obedientiali Dei assumi potest à Verbo; cùm omnes aliæ substantię sint in eadem potentia obedientiali, nihil prohibet, eas vniri Verbo.

29 *Quod si quis interroget*, quare non obstante hac possibilitate, diximus, solam naturam humanam esse assumptibilem. *Respondemus*, eo sensu nos id dixisse, quo dicere solemus, morbũ aliquem esse insanabilem, qui licèt si in se, & in sua malitia absolutè, & simpliciter consideretur, talis est, vt non videatur esse aliquod remedium sanatiuũ, tamen certum est, nullum posse reperiri morbum tantæ malitiæ, qui expelli non possit. Simili modo, si spectetur dignitas, quæ aduenit creaturæ, dum assumitur à Creatore, videbimus, omnes alias creaturas homine esse inferiores. Tantæ esse indignitatis, & tales, ac tantas habere imperfectiones, vt si in se considerentur absolutè, dignare eas non debeat Altissimus assumptione, & vnione. Sola est natura humana, quæ si in natura sua consideretur, habet dignitatem naturalem, qua non dedeceat, eam sibi vnire. Non reijcimus Angelos ab huiusmodi dignitate, sed quia non erat necessitas exigens vnionem naturæ Angelicę cum Diuina, quę tamen necessitas in natura est humana; propterea solus homo dicitur vnibilis Deo. *Si certum est* ergò posse Deum omnipotentia sua absoluta vniri cuicunque naturę substantiali, quę sit inferior natura humana, certum quoquè erit, possibilem esse vnionem naturę humanæ cum Verbo.

30 *Duo sunt*, quę vrgentur argumenta contra nostram propositionem. *Primum sit tale*. Vbicunquè impossibile est, quod minus est, impossibile quoquè est, quod

maius est; sed vnio beatifica cuiuscumque naturę irrationalis cum Verbo, quæ minor, impossibilis est: ergò & vnio hypostatica impossibilis, quæ maior est. *Pondus argumenti* est in maiore propositione, quę etsi appareat vera, est tamen negāda vt falsa, vel distinguenda. Nàm quotiescunquè magis, & minùs sunt eiusdem ordinis secundùm superiùs, & inferius, vera illa est. Quotiescunquè magis, & minùs non sunt eiusdem ordinis, & vnū alteri non subijcitur, falsa est; ut videre est in anima rationali, quę multa potest maiora his, quę fiunt ab irrationabilibus, nec tamen minora potest, quę faciunt animalia. Nàm generat homo hominem, non canem; ita se res habet in proposito; nàm vnio beatifica est alterius ordinis, & rationis, nec supponitur necessariò vnioni hypostaticę.

31 *Sit secundum argumentum.* Non eleuatur natura aliqua secundùm esse, nisi sequatur eleuatio operationis, itaut impossibile sit eleuari aliquam naturam secundùm esse suum ad unionem, cum aliqua natura superiori, nisi sit possibile, huiusmodi naturam eleuatā habere operationes correspondentes operationibus naturę eleuantis, & vnientis: sed impossibile est, substantias irrationales, & inanimatas eleuari secundùm operationem, & effici capaces operationis Diuinę: nō enim intelligere, aut videre, aut frui possunt: ergò impossibilis est eleuatio earumdem naturarū secundùm esse, itaut vniantur cum Diuino Verbo. *Si rationem naturalem* spectemus, & cōmunalem modum operandi, vera est maior propositio. Erit tamen falsa, si ad Diuinam Omnipotētiam aspiciamus, vt ex alijs rebus exemplū habere possumus. Lex quidem naturę est, vt operatio sequatur esse, talisque sit actus primus, qualis est actus secundus; Sed hanc legem, quam Deus constituit, destruere ad libitum potest; *ac proinde* ad argumentum respondemus, veram esse minorem propositionem; nàm si Verbum vniretur alicui substantiæ inanimatę, & irrationali, non mutarentur illius naturę operationes, nec illi concederentur operationes intellectualis naturę; hoc tamen non impedit, quin Deus possit vniri quātùm ad actum primum cum huiusmodi natura, & secundùm esse, non tamen secundùm operari: quia actus secundus, & operatio est posterior actu primò, seù esse rei, ac proinde separabilis.

QVAE

# QVÆSTIO SECVNDA.

## Vtrum possibilitas incarnationis potuerit naturaliter cognosci ab aliqua creatura, antequam Mysterium factũ esset, vel postquam factum est.

31 PRęmitto non esse omninò eamdem difficultatem, si dicatur: *vtrum posse Deum incarnari, sit naturaliter cognoscibile*, & si dicatur *vtrũ Verbum Diuinum incarnari posse, sit naturaliter cognoscibile*: plura enim requiruntur, vt hęc secunda propositio sit euidens, & cognoscatur lumine naturę, quàm requirantur, vt sit euidens, & cognoscatur prima. Vt enim sit euidens lumine naturę, Deum posse incarnari, non est necesse, vt habeatur notitia mysterij Trinitatis: quippè Deus secundùm quòd à nobis concipitur non explicat aliquã personam particularem Sanctissimę Trinitatis, sed tantùm naturam Diuinam per se subsistentem, quę ex communi Theologorum sententia potest lumine naturę per effectus naturales cognosci, cum tamen ad hanc notitiam: *Verbum posse incarnari*, omninò necessaria sit Mysterij Trinitatis notitia: siquidem Verbum est persona secunda Sanctissimę Trinitatis.

*Aduerto secundò*, triplicem esse modum, aliquam rem probandi *Primus est*, vtendo medio à Deo reuelato mediatè, vel immediatè, & per ipsum demonstrationes Theologicas conficiendo. *Secundus est*, vtendo medio necessario procedẽte ex euidentibus, & necessarijs, quomodo, hominem esse risibilem demonstramus. *Tertius est*, assumendo mediũ probabile ex pręmissis probabilibus procedens, quomodo ducere, vel non ducere vxorem alicui adolescentulo, esse conueniens probamus.

33 *Tertiò suppono*, Patres, & Prophetas, ac alios fideles veteris Testamenti habuisse cognitionẽ supernaturalem huius mysterij, quia habuerunt fidem Christi uenturi. Si Angelis etiam uiatoribus concessa sit gratia propter merita Christi futura; uerissimile est, concessam etiam ipsis fuisse cognitionem huius mysterij, quantum ad eius substantiam, ut grati erga Christum existerẽt; non tamen illud cognouerunt quantùm ad plures circumstantias, ut quòd esset ex Virgine ta-

li tempore, tali loco &c. imò nec ipsi Angeli Beati ab initio suę beatitudinis tali cognitione cõdecorati sunt, ut colligitur ex Dionysio de Cęlesti Hyerarchia cap. 7. ubi dicit, uocem illam psalmi 23. num. 8. & 10. *Quis est iste Rex gloriæ?* esse Angelorum inferioris ordinis interrogantiũ superiores, qui responderunt: *Dominus fortis, & potens &c.* & uerba illa Isaię 63. nu. 1. *quis est iste, qui venit de Edom tinctis vestibus &c.* esse Angelorum supremi ordinis. Et illa alia uerba, scilicet: *Ego qui loquor iustitiam, & propugnator sum ad saluandum etc.* esse responsionem Dei, & hominis Christi Iesu mediatoris. Et multi Sancti Patres, ut Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus & alij, ex uerbis Apostoli ad Ephesios 3, n. 10 ubi dicit; *Principatibus & Potestatibus in cęlestibus innotescere per Ecclesiam, multiformem Sapientiam Dei*, colligunt Mysterium Incarnationis multis Angelorũ innotuisse per prædicationem Apostolorum, quòd debet intelligi quoad circumstantias particulares. Restat nunc, vt uideamus, quid intellectus creatus de eo naturaliter, & proprijs uiribus scire possit. Quæ nobis dicẽda sint, quę subsequuntur propositiones, ostendent.

# PROPOSITIO PRIMA.

*Hoc incarnationis mysterium, sicut Fide Catholica tenendum est esse possibile; ita credendum firmiter, nulla posse ratione demonstrari, esse impossibile.*

34 *Probatur primò*: quia mysteria nostrę fidei, licèt supra rationem sint, non tamen contra illam militant: ergò ratio nõ potest euidenter conuincere, aut falsa, aut impossibilia esse; sed pręcipuum mysterium fidei est Incarnatio Verbi Diuini: ergò eius impossibilitas non potest euidenter demonstrari.

*Secundò probatur*, Incarnationem esse possibilem, & factam esse; est de fide: ergò erit certum, & uerum (cum fidei non possit subesse falsum: quippè nil potest cadere sub Fide Diuina, nisi sub ratione primę ueritatis, scilicet Dei reuelantis: sed primæ ueritati falsum subesse non potest: ergò neque fidei potest subesse falsum. *Adde*, quod si fidei posset subesse falsum, Deus posset men-

mentiri, & fallere: sed hoc est absurdum: ergò &c.) ergò propositum, scilicet Incarnationem esse impossibilem, & non factam, est omninò falsum; sed id non potest euidenter demõstrari, cum demonstratio constet ex veris, & necessarijs: ergò &c.

*Tandem* verum verò cõsonat: sed hoc mysterium est verum: ergò ex veris non potest ostendi, hoc mysterium esse impossibile, nec lumen rationis ex se ab impossibilitate huius mysterij declinare potest: alioquin Deus, qui est author immediatus huius luminis, & inclinationis, inclinaretur ad falsum, quòd est alienum à vera Theologia: ergò à primo ad vltimum infertur, quòd incarnationis impossibilitas nullatenus potest euidenter demonstrari.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Futuritio huius Diuini Mysterij, antequam ipsum poneretur in esse, nullatenus potest demonstrari.*

35 PRobatur: nam illa, quæ tantùm dependent à Diuino liberæ voluntatis decreto, non possunt alicui intellectui patefieri, nisi per liberam talis decreti manifestationem; & licèt Angelus cognoscat, Petrũ verbi gratia esse possibilem; futuritionem tamen illius non cognoscit, nisi manifestetur à Deo. Aliud enim est de pluuia, aut tempestate futura, quam Angeli, & homines cognoscere possunt ex connexione quam habent cum causis naturalibus iam positis in esse.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Possibilitas Mysterij Incarnationis nequit cognosci naturaliter ab aliquo intellectu creato, antequam fiat.*

36 THeologi omnes propriũ votum dant huic propositioni, illamque demonstrant pluribus authoritatibus in 3. dist. 1. & probatur ex modo loquendi sacræ Scripturæ. D. namque

que Paulus ad Ephesios 3. nu. 9. hoc mysteriũ vocat *Sacramētũ absconditũ à sæculis, & generationibus* Similiter ad Coloss. 1. n. 26. vocat *mysteriũ hoc absconditũ à sæculis*, & 1. Corinth. 2. n. 7. vocat illud *Sapientiam in mysterio, quæ abscondita est*. propter quòd multi censent, Isaiam vocasse cap. 45. nu. 15. *Deum absconditum*, quem sensum indicauit ibi D. Hieronymus, Eusebius lib. 5. cap. 4. Ambrosius in 2. cap. epistolæ ad Corinth. vbi ista concludit: *abscondita est ergò Diuina Sapientia, dum non in verbis, sed in vnitate est; non humana ratione possibilis; sed spiritus efficacia credibilis*. Vndè D. Leo Epist. 10. de humana generatione intelligit illud Isaiæ 53. n. 8. *generationem eius quis enarrabit? &c.* Super quæ verba Chrysostomus homilia de Sancto Ioanne Battista, quæ habetur tomo 3. dicit, *omnem creaturam hoc mysterium ignorare, nisi reueletur illi.*

37 *Secundò probatur* authoritate Sanctorum Patrum, & in primis D. Ambrosij lib. 1. de fide ad Gratianum cap. 6. vbi loquens de æterna generatione dicit: *mihi cui impossibile est generationis scire secretum, mens deficit, vox silet, nõ mea tantùm, sed etiam Angelorum*; subdit; *non solùm admirabilis ex Patre generatio, sed admirabilis etiam generatio ex Virgine*; Quapropter D. Aug. Epist. 3. ad Volusianum de hoc mysterio loquens, ait: *Hic si ratio quæritur, non est mirabile, si exemplum, non est singulare*; vndè concludit; *demus ergò, aliquid Deum posse, quod nos fateamur inuestigari nõ posse, in his enim rebus tota ratio facti est potentia facientis*, quæ verba vsurpauit Concilium Toletanum secundum, quibus assentitur Cyrillus Alexandrinus lib. de Incarnatione Vnigeniti cap 3. dicens: *admirabilem Verbi cum carne humana vnionẽ omni humana cognitione esse superiorem*. Quãobrem. *D. Dionysius epist. 4. ad Caium* dicit: *hoc mysterium per negationem potiùs esse explicandũ à nobis, quàm per affirmationem.*

*Sit altera probatio.* Impossibile est haberi iudicium euidens alicuius obiecti, nisi habeantur species naturales talis obiecti, uel illud sit principium per se notũ: sed de mysterio isto, antequam fiat, nequeunt dari species naturales, neque aliquod principium per se notum in rebus, ex quo possit euidenter inferri: ergò circa tale mysterium nequit dari demonstratio naturalis.

38 *Aliqui* probare solent nostrã propositionem ab inconuenienti, sic discurrendo. Si daretur cognitio naturalis possibilitatis mysterij incarnationis, daretur etiam cognitio naturalis mysterij Trinitatis; sed hoc implicat: ergò &c. Maior probatur, quia mysterium incarnationis supponit necessariò mysterium Trinitatis, scilicet personam filij assumere posse naturam humanam,

D ac per

ac per consequens cognosceretur naturaliter persona filij, & cōsequenter Trinitas. *Nisi hac in re* me meum fallat iudicium, probatio hæc inefficax est, absolutè loquendo, quidquid aliqui loquantur cum distinctione, & dicam quòd si cognosceretur hoc mysterium in indiuiduo, quòd de facto est, ignosceretur etiam mysterium Trinitatis; sed conclusio non loquitur, nisi de possibilitate incarnationis vt sic, ad quam sufficit, quod subsistentia diuina terminet naturam humanam, siue sit subsistentia filij, siue patris, siue subsistentia absoluta, vel alicuius subsistentis personæ, quæ neque habeat filium, neque spiritum Sanctum à se productū: nam mysterium incarnationis abstrahit ab hoc, quare cognita possibilitate illius vt sic, non cognoscitur mysterium Trinitatis. Cognito tamen mysterio incarnationis, quod de facto est, in quo persona filij terminat naturam humanam; benè infertur etiam cognitio naturalis mysterij Trinitatis.

39 *Ego quantùm* ad hoc secundum credo etiam inefficacem esse solutionem, quia dato casu, quòd aliquis naturaliter cognosceret, personam diuinam filij terminare naturam humanam; solùm poterat naturaliter inferre, esse in diuinis personam filij, & personam patris, cuius est filius. Non tamen poterat naturaliter aliquid inferre circa personam spiritus Sancti, & in diuinis esse tres personas, nec pauciores, neque plures, quòd requiritur ad cognitionem Trinitatis. *Neque approbo* sententiam aliquorū dicentium, quod si Angelo fieret reuelatio mysterij Trinitatis, inferret indè naturaliter possibilitatem mysterij incarnationis; quia Angelus cognoscit, magis repugnare, tres personas esse realiter distinctas in eadem numero natura, quàm duas naturas realiter distinctas esse in eadem numero persona, nam primum cognoscit per reuelationem; quapropter id iudicat esse possibile; secundum verò nequit iudicare esse possibile, quinimò nunquam de tali mysterio cogitationem haberet. Quòd si fingamus, Angelum in talem incidere quæstionem, & velle eam suo ingenio discutere, vel cohiberet ad sensum, & dubiosus penderet, vel potiùs in errorem incideret; quia plura argumenta inueniret, quæ ipsum in talem assensum falsum induceret. Saluo meliori iudicio, loquendo de intellectu creato secundùm se, existimo probabilem aliquam opinionem de possibilitate incarnationis, posse haberi per quædam similia, quæ à Sanctis Patribus adducuntur, de quibus in prima quæstione egimus.

40 *Quæ nostram impugnant propositionem sunt, quæ sequuntur. Primum*; vel ratio naturalis iudicat hoc

hoc mysterium esse possibile, vel impossibile: sed non iudicat esse impossibile: ergò iudicat esse possibile. Maior patet; quia inter possibile, & impossibile non datur medium. Minor probatur: nàm ratio naturalis non inclinatur ad assensum falsum, sed falsum esset, iudicare tale mysteriũ esse impossibile, cum de facto ponatur in re: ergò ratio naturalis iudicabit esse possibile. *Vrgatur ratio*; quia si Angelo proponeretur difficultas nostra, illi foret clarum, nullam esse vrgentem rationem impugnantem possibilitatem, posse solui omnes difficultates contra illum. *Respondetur* negando maiorem, & ad probationẽ conceditur antecedens, & negatur consequentia; quia quamuis inter possibile, & non possibile non detur medium; benè tamen datur inter iudicare, aliquid esse possibile, vel impossibile; datur scilicet suspendere iudicium, seù non iudicare; quia in re tam ardua, atquè difficili nullus intellectus audet iudicare, sed iudicium suspendit. Quare si ante factum mysteriũ, Angelo proponeretur: *an sit possibile*, proposita ex vna parte Omnipotentia Dei, & ex aliâ parte examinanda difficultas, taceret, & nullum iudicium daret.

*Adde*, quòd non id demonstratur possibile, quòd non conuincitur impossibile: nam aliud est rem esse nõ repugnantem, quinimò possibilem, aliud verò non demonstrari euidenter esse impossibilem; potest enim aliqua compositio proponi, quæ reuera sit Chymerica, & repugnans in se, & tamen argumenta non habeamus, quibus eius repugnãtia conuincatur. Hinc obseruo, quòd, rem esse possibilem, & nõ repugnantem, est quid positiuũ; nempè prædicata essentialia rei, excludentia repugnantiam; at rem non demonstrari repugnantem; est quid negatiuum, nempè defectus euidentiæ, & luminis, quo nobis sit manifesta talis repugnantia.

41 *Replicabis*, quòd secundùm Theologos, possibilitas rei probatur ex principio illo, nimirũ: *non est negandũ Deo id, quòd nõ conuincitur repugnare. Dico* probabilitatem rei esse probandam hoc argumento, scilicet: possibile est Deo quidquid non repugnat; non autem bene probatur ex illo principio scilicet; quidquid non conuincitur repugnare, est possibile Deo, hoc enim secundum principium minimè concludit euidenter possibilitatem rei; sed tantùm probat quandam æquitatem, conuenientiam, & condecentiam. Non ergò benè probatur possibilitas incarnationis ex illo principio;

*Adde*, quòd si valeret, probaretur ex principijs naturalibus possibilitas Trinitatis; quippè Angelus posset soluere omnia argumenta impugnãtia talem possibilitatem. *Addo*, rationem

naturalem solùm negatiuè posse ostendere hoc mysterium non esse impossibile, hoc est soluendo rationes naturales in oppositũ, & hoc ipsum cum summa formidine de opposito, cum videat rationes contrarias esse valde, difficiles; & idem est de mysterio Trinitatis; hoc autem non est scire possibilitatem rei euidenter, nam ad hoc requiritur, vt positiuè ex terminis intrinsecis ipsius rei cognoscatur, nullam esse repugnãtiam, quominus res illa fieri possit. Vndè ad probationem consequentię, quòd non esse impossibile, & esse possibile sint idem; sed dico rationem naturalem in proposito, neutrum ostendere posse, nisi imperfectè, modo iam dicto.

42 *Secundò* impugnatur nostra propositio. Potest Angelus naturaliter cognoscere, resurrectionem esse possibilem, & accidens posse sine subiecto cõseruari: ergo potest cognoscere, hoc mysterium esse possibile. *Suarez* proponit hoc argumẽtũ disp. 3. in tertiam partem sancti Thomæ sess. 1. & respondet, antecedens esse satis dubium; Deinde dicit; hoc mysterium esse multò altius, quàm sint illa in *antecedente* posita, nam, inquit, in Incarnatione, non solùm separat Deus res omnes distinctas sicut etiam separat accidens à subiecto; sed etiã separat Deus (inquit Suarez) modum prorsus intrinsecum naturæ, & illũ supplet non per solam efficientiam, sed per intrinsecam, & mirabilem vnionem; Vnde mysterium hoc Deus in se attingit; & ex hac parte minùs potest cognosci, quàm cætera opera Dei. *Hæc Suarez*.

*Sed secundùm principia Scoti*, videtur mihi posse Dæmonem cognoscere existentiam accidentis sine subiecto: nam hoc cadit sub obiecto adæquato intellectus Angelici, & nihil vetat posse Angelum cognoscere rem absolutam distinctam ab alia, non necessariò ab ea dependentem, posse separari. Vtrùm verò posset naturaliter cognoscere Resurrectionem actualem, id non facilè assererem, nam licet cognoscat Dæmon, animam separatam esse propensam ad Corpus, non inde sequitur, quod cognoscat Resurrectionẽ; quippè videt, ex se ipsa animam effectiuè Corpori non posse vniri; quare necesse est, vt Corpori vniatur à Deo, & vt ipsemet Deus Corpus restauret; hæc autem cum sint contingentia, non possunt certò sciri à Dæmone, & ideo hæc propositio sibi remanet neutra: *Resurrectio est possibilis futura*. Sed concessa vtraque parte antecedentis, nego consequentiam; non enim oportet, quod cognita natura, & cognito Verbo abstractiuè, posset Dæmon cognoscere possibilitatem vnionis istius ad illam; cum nulla sit necessaria connexio inter

ter Verbum, & naturam.

43 *Replicabis*: Angelus cognoſcit Omnipotentiam Dei: ergo cognoſcit omne poſſibile, & conſequenter, hoc myſterium eſſe poſſibile. Prima conſequentia patet, quia ſunt correlatiua, quæ sunt ſimul natura, & cognitione, *Reſpondetur*, Angelos dãnatos cognoſcere omnipotentiã solùm abſtractiuè, & ex hac cognitione non ſequitur aliud, quã eos cognoſcere, à Deo poſſe fieri omne id, quod eſt poſſibile; Non verò ſequitur, quòd ſciant, hoc, aut illud in particulari eſſe poſſibile.

*Maior difficultas eſt* de Beatis, qui facialiter intuentur attributa Diuina. *Reſpondetur tamen*, eos videre attributa Diuina quo ad abſoluta, quæ dicunt attributa, non verò cum quocumq; ordine, quem ad terminos habent. *Replicabis*, Beatum non poſſe diſtinguere Omnipotentiã ab alijs attributis cognoſcendo eam ſic fundamentaliter. *Reſpondetur* hoc negando; quia intuendo eam ſic, videt eſſe illud attributum, ratione cuius competit Deo poſſe producere omne illud, quod non repugnat: ſed ut habeatur hæc cognitio, non requiritur, ut uideatur aliqua Creatura poſſibilis, saltem determinata, ſed ſufficit ut cognoſcatur creatura poſſibilis ut ſic, uel habeatur aliquis conceptus eius. *Ex hac verò* cognitione non ſequitur cognitio poſſibilitatis huius myſterij, aut aliarum rerum in particulari; ſicuti neque ſequitur ex eo, quod Beatus intueatur intellectum, aut uoluntatem Diuinam, eum uidere omnia poſſibilia intellecta à Deo, aut futura omnia à Deo volita, quæ tamen habent maiorem connexionem cum illis attributis; cum ſint eorum termini actuales, quàm quodcunque poſſibile cũm omnipotentia, quod eſt tantum terminus eius potentialis.

*Tertium argumentũ*. Poteſt Angelus cognoſcere ex ſuis naturalibus, hoc myſterium eſſe credibile: ergo, & quòd ſit euidẽter poſſibile; patet conſequentia: quia quod eſt impoſſibile non eſt credibile. *Conceſſo antecedente*, negatur conſequentia; nam benè ſtat, aliquid eſſe credibile, quod in ſe eſt impoſſibile, ut ex duobus cõtradictorijs, uerbi gratia: materia prima poteſt exiſtere ſine forma, & materia prima non poteſt exiſtere ſine forma; quelibet eſt credibilis & probabilis, & tamen altera neceſſariò eſt falſa, & impoſſibilis. *Ratio huius eſt*: quia poſſibile eſt illud, quod ex terminis intrinſecis non repugnat fieri; Vnde poſſibilitas non oſtẽditur undequaque, & ſimpliciter, niſi penes euidentiã nõ repugnãtiæ intrinſecæ terminorum; credibile autem eſt, quod dicitur à fide dignis, licet aliàs ſit res impoſſibilis. Vnde credibilitas non

reſ-

respicit euidentiam, aut non repugnantiam extremorum, sed authoritatem dicentis; nascitur enim, non ex terminis intrinsecis rei, sicut possibilitas, sed ex aliquo extrinseco.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Dæmon à principio prædicationis Christi. non nouit ipsum vt filium Dei.*

44 PRima pars est certa, si in propositione intelligamus de cognitione euidenti habita ex connexione extremorũ, fauet Sacra Scriptura: nam ad Ephesios 3. n.8 *inuestigabiles diuitias Christi, & Sacramentũ absconditum à sæculis*, Apostolus mysterium Incarnationis uocat. Idẽ repetit ad Colloss. 1. n. 26. & 1. ad Cor. 2. n.7. & Isaiæ 45. n.15. dicitur *Deus absconditus* ob hoc mysterium, teste sancto Hieronymo ibidem, & Ambrosio in 2. cap. 2. ad Cor. Chrysostomus etiam homilia de sancto Ioanne Baptista ait, *hoc mysterium esse omnibus Creaturis ignotum, nec sciri sine reuelatione*. Scotus in 3. dist. 20. q. vnica in fine explicans illud Apostoli primæ ad Cor. 2. n.8. *si cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent, etc.* de Dæmonibus explicat, quia inquit: *si sciuissent, eum esse verũ Deum, non instigassent homines ad eius mortem, & hoc propter bonũ secuturum ex morte, scilicet, Redẽptionem hominis, quod bonum nolebant accidere*. Huic expositioni fauet sanctus Hieronymus in caput primum Danielis.

*Ratio autem* est ea, quam habet Scotus in 3. dist. 7. quæst. 1. art. 2. vbi propositionem hanc, *Deus est homo*, inquit, non posse ostendi, nec cognosci naturaliter, esse veram. Ratio, quia, *aut* habetur conceptus proprius, & determinatus de Verbo, & tunc est vera, contingens, & immediata, sed non nota ex terminis; Probatur: quia nulla necessaria est connexio inter termiminos: alioquin oportuisset fuisse veram ab æterno. *Aut* habemus conceptum de Verbo confusum, & tunc est cõtingens mediata, nata cognosci in alia immediata contingenti, ex illius immediatæ contingentis termini concludunt necessariam cõnexionem; quare Dæmon non potest euidenter ex terminis cognoscere hanc veritatem.

45 *Adde*, quòd nullum habetur principium ex terminis notum, aut etiam probatum euidenter, vndè intellectus creatus possit naturaliter cognoscere existentiam

tiam huius mysterij euidentem: ergo non potest sic naturaliter cognosci ab vllo intellectu. Probatur antecedens; quia, vel illud principium esset intrinsecũ, vel extrinsecum. *Non primum*; quia vel esset Verbum Diuinum, & hoc non: Cum mysteriũ Trinitatis, aut alia persona ipsius secundùm suam rationem particularem nequeat naturaliter cognosci: vel esset vnio naturæ humanæ ad Verbum, & hoc etiam non: quia nulla relatio potest cognosci, nisi cognoscatur eius terminus sub ratione, qua eam terminat: sed vnio naturæ assũptæ est ad naturã Verbi sub ratione propria, quæ nequit euidenter cognosci lumine naturali: ergo neque vnio ad ipsam.

*Dices*: relatio Creaturæ ad Deum cognoscitur, non cognoscendo Deum sub ratione propria: ergo etiam vnio naturæ cognosci potest, non cognita persona sub ratione propria. *Respondetur* distinguendo antecedens: relatio creaturæ ad Deum cognoscitur transcendẽtaliter tantùm, & hoc modo cognoscitur ipse Deus ex creaturis, hoc est, vt earum primum principium, & causa, à qua essentialiter dependent. concedo antecedens; alio modo, nego antecedens, & consequentiam: quia nec transcendentaliter, nec sub ratione propria potest persona Diuina demõstrari ex creaturis: ergo nec vnio naturæ ad ipsam sub ratione propria. *Nec refert dicere*, relationem dependẽtiæ Creaturæ, quæ est ad Deũ, sub ratione speciali cognosci: quia cognoscitur solùm vt dependentia causati ad causam primam ex parte fundamenti; quatenus videtur transire de nõ esse ad esse, & non virtute propria, vel à se, & consequenter per aliud, & sic progrediendo vsque ad vltimum, quod est à se.

46 *Quod nullum sit* principium extrinsecum, ex quo possit probari hoc mysterium; probatur ita: quia omnis effectus ab eo dependens, est tantùm moralis; supernaturalis, & creditus, vt est Redemptio à peccatis, Prædestinatio, Gratia, Gloria, & media ad hæc ordinata, vt Sacramenta, fides, reuelatio, collatio donorum, miracula, & similia: sed hæc non possunt deducere intellectum naturaliter in cognitionem euidentem huius mysterij. *Primò*, quia ipsa in se, vt talia media ad vitam æternam, sunt credita, & non naturaliter nota: ergo non possunt deducere naturaliter in cognitionem huius mysterij, quæ est causa eorum moralis secundùm illud esse. *Secundò*, quia non habent necessariam connexionem cum hoc mysterio; cum Deus possit ea omnia operari per personam creatam, natura nullo modo assumpta.

47 Quæ hanc impugnant propositio-

sitionem, sunt quæ sequuntur. *Primò*; Angelus, & anima possunt, nisi impediantur, cognoscere alia supernaturalia posita in esse, vt gratiam, miracula, &c. ergo supernaturalitas huius mysterij; posito saltem in esse, non impedit, quominus ab Angelo naturaliter cognosci valeat. *Respondetur* distinguendo antecedens: alia supernaturalia, quæ non dicunt ordinē ad Deū, aut ad aliquid ad intra sub speciali ratione, concedo; quæ dicunt: nego. *Ratio* prioris est; quia talia dicūtur solùm supernaturalia ex parte Creaturæ, nō verò ex parte termini: & consequenter continentur sub obiecto motiuo naturali intellectus Angelici; vel etiam animæ separatæ, ex natura ipsius potentiæ: quia tale obiectum est omne ens creatum sinè speciali illo ordine ad Deum. Vndè cum hoc mysterium sit supernaturale cum tali ordine, non poterit intelligi, nisi intelligatur iste ordo specialis, scilicèt vnio, quæ est ad personam sub ratione propria. *Fauet* huic doctrinæ Scotus qu. 1. Prologi §. ad primum litt. D. vbi eadem ratione docet, hominem non posse cognosci naturaliter sub illa ratione, qua ordinatur ad Deum: Videatur quodlib. 14. §. Ad ista. &c. lit. G. vbi tradit, quòd ens limitatum ad se, & ens limitatum ad aliud limitatum, potest cognosci naturaliter ab Angelo; sed ens limitatum ad aliud illimitatum, non potest naturaliter cognosci; quia nequit cognosci relatio, non cognito termino; & ita non potest cognosci naturaliter, animā esse imaginem Trinitatis.

48 *Dices*: obiectum primum, & adæquatum intellectus creati, ex natura potentiæ, est ens vt sic: sed quidquid continetur sub obiecto adæquato, potest à potentia cognosci; hoc autem mysterium continetur sub ente, vt sic: ergo potest naturaliter cognosci. Vt respondeamus.

*Noto ex Scoto in 4. dist. 1. qu. 1.* in obiecto intellectus triplicem rationem inueniri, scilicet, motiui, mensuratiui; & terminatiui; quà motiuum, physicè cōcurrit vt concausa, per se, vel per suam speciem ad producendam suam notitiam. Vt terminatiuum non causat: vt communior opinio docet; sed tantum terminat respectum attingentię, vel tendentiæ potentię in ipsum; hæ autem rationes differunt, vt patet, in intellectu Diuino, cuius motiuum est solum sua essentia; sed terminatiuū est etiam creatura. Præterea motiuum dicit relationem realem ad intellectū, in quem producit effectum: Terminatiuum tantùm dicit respectum rationis, quia nihil in eo efficit. Est enim veluti mensura respectū intellectionis. Mēsuratiuum in re à terminatiuo non differt.

49 *Nunc ad argumentum* respondet

deo distinguendo maiorē: obiectum adęquatum naturaliter attingibile, nego: supernaturaliter; concedo. Distinguo similiter minorem, quidquid continetur, &c. sub obiecto naturali, transeat; supernaturali nego. *Hinc patet*, cur Angelus possit cognoscere, resurrectionem mortuorum esse possibilem, & accidens absolutum posse conseruari sine subiecto; & tamen non possit cognoscere hoc mysterium; quia scilicet illa cadūt sub obiecto naturalis attingentiæ, quod ex Scoto, quodlib. 14. est ens finitum, & limitatum, absolutum, vel respectiuum, cuius terminus non est Deus; hoc autem non.

50 *Dices*. Angelus, vel Dæmon euidentèr cernebat, Christi Domini naturam humanam carerē propria personalitate: ergo saltem post factum, hoc mysteriū videbat. *Vrgētur ratio*. Angelus cognoscit naturaliter personalitatem, quando inest; ergo & eius absentiam, quando abest, & consequenter cognouit, naturam esse vnitam alteri personalitati; sed non personalitati humanæ; quia hanc intuitiuè ipse videret: ergo Diuinæ. Probatur primum antecedens; quia talis personalitas est ens creatū. Probatur prima consequentia; quia qui cognoscit formā quando inest, potest cognoscere eius absentiam. Probatur secunda consequentia, quia cognouit dependentiam essentialem naturæ ad aliquam personalitatem, tanquam ad terminum vltimatum sui esse: ergo cognouit, illam debere necessariò habere aliquam personalitatem.

51 *Duplex mihi* occurrit modus soluendi hanc difficultatem. *Primus* est ad aures sententiæ dicentis, personalitatem consistere in duplici negatione, scilicet in negatione dependentiæ actualis, & aptitudinalis. Vndè in hac sententia negatur discursus, cum enim negatio non cognoscatur, nisi cognoscendo illud, quod negatur; & Angelus nequeat cognoscere personalitatem Diuinam, nec etiam ei erunt naturales vires sufficientes ad cognoscendam personalitatem creatam: quia hæc est negatio, non solùm excludens vnionem, & dependentiam ad omne suppositum creatum; sed omnem etiam dependentiam ad quamcumque personam extrinsecam, & consequenter ad personam Diuinam: aliàs natura assūpta haberet de facto personalitatem propriam, cum habeat negationem dependentiæ ad omnem personam creatam. Cum igitur natura non constituatur persona creata per negationem, prout excludit hanc, vel illam dependentiam determinatè in specie, vel in indiuiduo; sed vt excludit dependentiam ad omnem personam, & Angelus non cognoscat illam

sub hac ratione, quia non cognoscit dependentiam ad personam Diuinam, non cognoscit etiam illam negationem, vt cōstituit personam; quia sic constituit, vt opponitur huic dependentiæ ad personam etiam Diuinam.

52 *In sententia* verò collocante personalitatem in positiuo. *Respondetur*; supposito, quòd cognouerit Dæmon naturam illā carere propria suppositalitate; atque adeò non fuerit impeditus; non infertur: ergo potuit cognoscere, illam subsistere subsistentia Diuina; quia arguitur à cognitione negatiua ad positiuum. *Aliud enim* est dicere; cognosco rem illam carere aliqua perfectione: ergo cognosco illam habere talem perfectionē; ad hoc enim, quòd cognoscat Dæmon relationem naturæ ad Verbum, oportet, vt cognoscat vtrumque extremum intuitiuè, vt diximus, quod Dæmon non potuit; vel si abstractiuè cognoscit vtrumque extremum, non cognoscit tamen connexionem; cum nulla sit necessaria habitudo inter extrema, vt notat *Scotus in 3. dist. 7. qu. 1. art. 2. Potest etiam dici*, quòd à tali cognitionè fuerit impeditus; vel quòd iudicauerit, illam naturam esse sinè suppositalitate, cū nec propriam videret habere, nec alienam; & hoc non apparet impossibile.

# QVÆSTIO TERTIA.

## *Vtrùm Mysterium Incarnationis fuerit conueniens.*

53 TAmetsi maximū hoc opus, cū à Deo sit, conuenienter factum esse credere oporteat; tamen rationem huius conuenientiæ explicare, Theologicæ est inquisitionis. *Moneo* propterea conueniens alicui dici posse dupliciter, vel quod eius naturæ consentaneum sit, vel quod commodum dicat, & vtile. Et priori quidem modo, fuisse Deo valdè conueniens; hoc est optimè consonans cum Dei natura, & perfectione, quamuis commodum nullum inde retulerit, docent communiter Theologi.

*Sed hic animaduertere oportet*; aliud esse communicare se actū; & aliud potentem, & propensū esse ad se communicandum; & primum quidem præsupponit summum bonum: secundum verò est de ratione boni, & perfecti; & hoc est satis, vt hæc cōmunicatio sit conueniens sum-

mo bono. *Hoc verò bonum* posse se cômunicare; adhuc tribus modis intelligi potest; vel finaliter; quomodo accepisse (ni fallor) *visus est D. Thomas 1. p. qu. 5. art. 4. ad secundum*, quod facit, cum alia mouet, & attrahit ad se amandum: aut efficienter, vt cum sibi producit simile; modus quidē valdè perfectus, quia qui tali pacto se communicat, & alium perficit, nullum suæ perfectioni affert diminutionis incommodum: vel tandem, quod dicunt *formaliter*, cùm eamdem, quam habet bonitatem, alteri impertitur. Quod si absque sui diminutione fieri cōtingat, etsi summa sit communicatio, maximum tamen esse perfectionis indiciū, fateri oportebit; si verò diminuatur aliquo pacto bonum possidentis, adhibere oportet mensuram, & modum. His stantibus. Nostri ergo muneris est ostendere, huiusmodi Verbi Incarnationem esse conuenientissimam. Has propterea subijciamus propositiones.

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Congruum, & conueniens fuit, Deum hominem fieri, atque incarnari.*

54 A Diuina bonitate, & sūmi boni proprietate deducitur prima Incarnationis cōuenientia; nàm insitum est bono, non solùm, vt se communicet, sed etiam, vt omnibus modis possibilibus fiat communicatio. Hinc probamus, Deum, qui est summè bonus, suam cōmunicasse essētiam ad intra, non solùm per generationem, sed etiam per spirationem: quia hi erant duo modi, quibus communicari ad intra Diuinitas poterat. *Ex eadem bonitate* probāt Philosophi, mundum esse à Deo creandum, quamuis illius creatio merè sit libera, & non sit Deus necessariò agens: indecēs namque erat, Diuinam bonitatem in infinita æternitatis duratione nullo pacto se communicare, nullamquè producere creaturam, quam sui participē faceret, dans illi esse participatum. *Valet* eadem ratio non solùm ad probandam Incarnationem tanquam possibilem, sed etiam vt aliquando futuram.

55 *Siquidem* quadruplex est modus quo ad extra communicare se potest Deus humanę creaturæ. *Primus modus* est secundùm naturale, quòd habemus commune cum alijs creaturis;

& ita hæc communicatio non est soli homini peculiaris, & propria, quamuis fatendum sit, nostrum esse naturale, ob singularem eius dignitatem, tale esse, vt per illud Deus se communicet nobis modo quodam peculiari, qui designatur in ipsa hominis creatione tàm corporis, quàm animæ; nàm reliqua solùm verbo Dei sunt creata, homo autẽ singulari artificio. *Secundus modus* est per gratiam, qua cõmunicat se Deus homini conferens illi esse diuinum, atque cœleste. *Tertius modus* est gloriæ, quam in cęlis nobis pollicetur. *Restabat Quartus*, per vnionem hypostaticam naturæ nostræ cũ Diuina. Certum est, alijs tribus modis se Deum homini communicasse congruenter, & conuenientissimè; nullum ergò inconueniens erit, imò decet, congruitquè, hoc etiam quarto modo nos participes fieri Diuinitatis; imò in hac quadruplici cõmunicatione, Diuinum licet aduertere artificium: nàm in eo relucet tàm Diuina bonitas, quàm modi communicandi dignitas; siquidèm per esse naturæ, quod est omnium minimum, communicat se Deus singulis hominibus; per gratiam paucis; per gloriam paucioribus; per vnionem hypostaticam vni soli homini, videlicet Christo.

# PROPOSITIO SECVNDA,

## *Solum Dei filium incarnari ex tribus Triadis Personis congruum fuit.*

56 De possibilitate incarnationis aliarum personarum, sequenti disputatione agemus. Nostram probemus propositionem ex his, quæ sunt filio Dei propria. Nàm in primis est *filius Dei*, deinde est *Verbum, & sapiẽtia Patris*; est insuper *Media in Diuinis Personis*, quæ omnia viam parant ad illius incarnationem. Filij sumus Dei per creationem; sed labefactatum erat huiusmodi priuilegium ex primi parentis peccato; imò hęc filiatio, dispositio tantùm erat ad filiationem adoptionis, quæ confertur nobis adoptio cęlestis: quæ meliùs, & congruentiùs fieri non poterat, quàm per incarnationem illius personę diuinæ, quæ est natura filius Dei, vt adoptiui essemus filij Dei per eum, qui naturalis est eiusdem filius: hinc Ioan. 1. nu. 12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine eius*. Iste filius est Verbũ Patris, per quod, tanquam per exemplarem, & idealem

idealem causam, creata sunt omnia, hinc psalmus 32.num.6. *Verbo Domini Cęli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus corũ.* Hoc eodem Verbo reparari debuit homo, & sicut verbo magistri sui eruditur discipulus, ita homo erudiendus erat Verbo Diuino in assumpto homine. Hoc Verbum dicitur sapientia Patris, qua nos reparari decebat: vt ab illa insipientia liberaremur, qua delusa, & decepta fuit Eua.

57 *Est hæc sapientia* inter Patrẽ, & Spiritum Sanctum media persona, cui competit præcipuè incarnatio: quia per eam Deus incarnatus, seu, vt meliùs loquar, homo ille diuinitati cõiunctus, debuerat esse Dei, hominumquè Mediator: ait enim Apostolus *p ad Timot.2.n.5. mediator Dei & hominum homo Christus Iesus* mediator autèm appositissimè est, qui medius est. *His adde*, filium Dei in sacra pagina appellari *Imaginem Dei*, quę videtur quasi necessariò requisita, vt imago Dei in nobis detur pura, pristinumquè suum recuperaret splẽdorem. *Adde* si alia persona, quàm secunda incarnata fuisset, duos agnosceremus in Trinitate filios, vndè non solùm nasceretur confusio, quæ distinctionem filiorum obscuram nobis redderet, sed etiam oriretur inæqualitas: nàm nobilioris parentis nobilior proles, atquè filiatio; at secunda in diuinis persona ob filiationem diuinam, esset superior altera persona, quæ humanam tantùm haberet filiationẽ; ergò &c.

58 *Has nostras propositiones* commune argumentum impugnat: estquè tale. Non est magis conueniens naturæ humanę assumptio, quàm Angelicæ naturæ, Angelicę assumptio conueniens minimè fuit; aliàs Deus eã assũpsisset: ergò &c. *Confirmatur primò* quia natura Angelica lapsa est, sicut & humana. *Secundò* quia est nobilior, & consequenter illius reparatio foret conuenientior; quia melior.

*Negata paritate*; quæ subsequũtur, assignãtur disparitates. *Prima*, quod natura Angelica minimè tota ceciderit, sicut tota cecidit natura humana; hinc, nẽ tota natura humana in æternum periret, maximè decens erat, hominem reparari. *Nobis Scotistis*, qui ponimus, Angelos in eadem multiplicari specie, & consequẽter dicere possumus, nullam speciem Angelicam integrè cecidisse, bona est disparitas, *Thomistis verò*, qui cum *D. Thoma in 3. d. 1. q. 1. in solutione tertij articuli* ea vtuntur ratione, nescio, si prosit: cum ad aures eorũ Angelus quilibet alterius sit speciei ab alio, & consequenter tot sint species, quot indiuidua, & ex his quælibet est nobilior specie humana secundùm se. Videtur igitur magis inconueniens non reparari tot species nobiliores, quam

quàm vnam speciem infimam, cuiusmodi est tota species humana. Videant ergò Thomistæ quid illis melius sit.

59 *Alteram disparitatem* damus in hoc, quod homo, qui alterius tentatione, scilicet diaboli, cecidit, debuit reparari; Angeli verò, cùm propria voluntate ceciderint, minimè debita fuit reparatio. Vndè *Anselmus lib. 1. Cur Deus Homo c. 21. Sicut Angeli ceciderunt, nullo alio nocente, ita, nullo alio adiuuante, surgere debent.*

*Præsentem hanc* nostram disparitatem ita impugnabis: Lucifer peccando tentauit alios, imò & ipsum Michaelem, contra quem pugnauit secundùm id Apoc. 12. num. 7. *factum est Prælium magnũ in Cœlo, &c. Concedimus*, lapsum Luciferi cæteris Angelis tentationẽ intulisse, negamus tamen, illam adeò efficacem fuisse, quin maior fuerit hominum tentatio. *Adde*, quòd Angeli erant fortiores, & nobilioris naturæ ad resistendum, quàm homo, qui est naturæ fragilioris.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Incarnationis mysterium non fuit simpliciter necessarium.*

60 IMpugnat hanc nostrã propositionem *Raymundus Lullius teste Vasquesio disp. 1. de Incarnatione num.* 10. Nostram tamen propositionẽ propugnant cuncti Theol. Probaturq; ita: nullius creaturæ productio fuit simpliciter necessaria: ergò nec incarnatio. Consequentia probatur: quòd dependentiam habet ab aliquo simpliciter non necessario, simpliciter necessarium minimè dixeris; sed incarnatio dependet à productione alicuius creaturæ: ergò si nulla talis est simpliciter necessaria, id affirmandum de incarnatione. *Sit altera ratio*. Deus ex scriptura, & Patribus liberrimè produxit quã cunque creaturam: omnia quæcumque voluit fecit; sinè fundamento ergò diceretur, creaturam aliquã esse necessariò productã. *Adde*, quòd nullius creaturæ bonitas trascendit conceptum bonitatis finitæ, & limitatę: ergò nulla ratio est, ex qua inferatur, Deum necessitari ad alicuius creaturæ productionem.

61 *Dices primò*: Deus necessariò se amat, propter infinitam suam bonitatem: ergò necessariò vult suam perfectionem, & consequenter quidquid ad hanc perfectionem conducit: sed mysterium incarnationis ad hanc perfectionem

fectionem conducit: ergò Deus debuit illud necessariò velle. *Cōfirmatur.* Si Theophilus efficaciter, & perfectè amaret Ludouicum, vel se ipsum, deberet necessariò velle bonum sui ipsius, vel Ludouici (effectus enim potissimus amoris, est velle bonum rei amatæ) & si sciret, & posset illud consequi, vellet sine dubio quidquid sibi, & Ludouico vtilius, & melius esset; sed Deo clara, & aperta sunt cuncta, quæ vtiliora sunt, & ad suum proprium bonum plus faciunt; & sūma cum facilitate, ea sibi dare potest: ergò si summo se prosequitur amore, vt certum est, benè infertur, velle sibi maiora, quæ assequi potest.

62 *Respōdemus* ad argum. præmissa distinctione antecedētis: amat se necessariò, vt obiectū infinitę bonitatis voluntati ipsius propositum; damus antecedens; vt finē, negamus antecedens: quia bonitas Dei non habet rationem finis propriè loquēdo, nisi in ordine ad extra, quatenùs scilicet creaturæ ordinantur ad ipsum; hinc, cum liberum sit Deo creaturas ordinare, vel non, liberum erit ipsi se amare, vt finem creaturarum. *Nostræ intentionis* nō est asserere, in manu Dei esse ordinare creaturas ad se, ex suppositione, quod sint; hoc enim repugnare putamus. Dicimus ergò, hāc bonitatē infinitam manere liberam, & cum summa indifferentia ad dandum ipsis esse. Ratio huius est; quia ex esse ipsarū nullā, intrinsecā sibi accipit Diuina bonitas perfectionē; cū in se sit infinitæ perfectionis, & per consequēs sufficiens ad terminandum amorem perfectissimum absque eo, quod sit ad aliquid aliud propter ipsum. *Hinc distinguo* primum, & secundum consequens: necessariò vult suā perfectionem intrinsecam, & quidquid ad eam conducit; concedo; Perfectionem extrinsecā, quam solam à creaturis habere potest; nego vtramque consequentiam: quia sinè hac esset infinitæ perfectionis.

63 *Replicabis* si Deus vellet illa, quæ non sunt optima, ipsius amor esset imperfectus; hoc non est dicendum: ergò, &c. Maior probatur: amor Dei accipit suā perfectionem ex bonis sibi volitis: ergò si hæc non sint optima, hoc idem de suo amore. *Negata sequela maioris*, & antecedentis probatione, dicimus, amorem Dei minimè suam accipere perfectionem ex obiectis secundariò volitis; sed potiùs ex affectu erga bonitatē suam, propter quam vult cætera obiecta. Igitur quoad affectum erga bona intrinseca, Deus infinitè perfectissimoque modo se amat, & quidquid vult ex sūmo sui amore vult. Quoad extrinseca verò bona nō semper summo se prosequitur amore: quippè non vult sibi optima: cùm semper sibi velle posset maiora.

Ad

64 *Ad confirmationẽ n. 61. Respõdetur*, hominẽ perfectè alterũ, vel se ipsum se amantem quoad bona intrinseca, nõ debere semper quoad bona extrĩseca velle sibi, vel illi alteri quod melius est. Hinc iustus ardentissimè amans Deũ aliquãdo offert illi minima bona, cùm alius iustus ex charitate maiori erga Deũ, offert illi aliquod maius; amor prioris est maior quoad bona intrinseca; posterioris verò quoad bona extrinseca. Sic etiàm Peccatores ardẽtissimè, & intemperatissimè se amantes (de quibus 2. ad Timot. 3. n. 2. dicitur: *quòd sint homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, &c.*) non volunt sibi meliora bona, & maiora; sed inferiora, & caduca. Iusti verò, qui dicuntur odio habere animam suam, nolunt sibi meliora, & superiora bona. Priores quoad affectum magis se diligunt; Posteriores verò quoad effectum. *Nota tamen hìc*, quod si homo plura, & meliora potẽs facere in obsequium Dei, conuinceretur minùs perfectè diligere Deum, quando ea non faceret; hoc ideò esset: quia non faceret ea, quæ scit Deo magis placere; & indè concluderetur, illum minimè velle cum Diuina voluntate strictissimè vniri. *Ratio ista* locum non habet apud Deum: hic quippè semper facit ea, quæ sibi magis placent; Vndè ex amore perfectissimo sui nõ inclinatur ad volendum melius obiectum, vt concordet cum sua voluntate; cum quidquid velit, non possit vnquàm non summè concordare cum ipsa.

65 *Sit aliud argumentum*. Diuina voluntas rectissima semper est: ergò semper conformis Diuino intellectui; quippè perfectissima voluntas intellectui perfectissimo debet se conformare: sed Diuinus intellectus dictat, meliùs esse ità Deum se diligere, vt nil prætermittat, quod cederet in eius maiorem gloriam; ergò Diuina voluntas illud necessariò debet velle.

*Distinguimus* primum consequens. Conformatur Diuino intellectui ita, vt nihil velit, nisi quod proponitur ipsi vt obiectũ honestum ab intellectu; concedo; vt nil velit, nisi quod iudicatur ab intellectu esse melius in se ex natura ipsius, non tamẽ Deo, nego consequentiam. *Distinguo* etiam subsumptum: dictat nil prætermittendum, quod cederet in maiorem gloriam Dei simpliciter, & ex natura ipsorũ obiectorũ, nego; in maiorem gloriam, quæ magis Deo placet, & quam in his, & illis circumstantijs sibi vult, concedo subsumptum. Licet igitur Diuinus intellectus iudicet hoc, vel illud obiectum esse melius in se; non tamen iudicat, melius esse producere, vel amare hoc obiectum, quàm illud: quia actus, quibus Deus amat omnia obiecta, æquales sunt in sua perfectio-

ctione: quippè vt supra notauimus, suam accipiunt perfectionem, non ab obiectis volitis, sed potiùs ab affectu ergà obiectum primarium, propter quod alia sunt volita.

66 *Aliud argumentum*. Deus est sapientissimus artifex: ergò ipsum decet non solùm facere meliora in actu primo; sed in exercitio. *Neganda consequentia* pro parte secunda; aliàs non haberet terminum, cum semper valeat meliora, & excellentiora operari. Ergò Deum artificem sapientissimum dicimus non ex eo, quod ab ipso facta, omniũ possibilium sint optima; sed ex eo, quod à Deo operata, sinè defectu sunt operata; iuxta id Gen. 1.n.31. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*.

*Subsequens argumẽtum* fundatur in dictis sanctorum Patrum. Clemens Alexandrinus lib. 6. Stromatum: *prout erat capax*, inquit, *vniuscuiusque Natura, factũ est, et fit vnumquodq; ad ipsũ, quod est melius*. Basilius hom. 9. *Vnum quidèm hoc habere in mentibus nostris præsumptum, oportet, quòd nil eorum, quæ nobis accidunt, malum sit, aut tale, vt melius illo aliquid excogitare queamus*. Augustinus lib. *de quantitate Animæ*, *cap.33. tomo 1. Iustitia summi Dei factum est, vt non modo sint omnia; sed etiàm sic sint, vt omninò melius esse non possent*. Et lib. 3. *de lib. arbitrio cap. 5. quidquid tibi vera ratione melius occurrerit, hoc scias fecisse Deum, tanquàm bonorum omnium conditorem*. Concilium Francfordiense *in epistola ad Episcopos Hispaniæ tom. 3. Conciliorum: credamus, Deum omnia velle, quæ meliora sunt*. Ex his, & multis alijs sanctorum Patrum dictis concludi videtur; Deum semper velle, & facere id, quod optimum est.

67 *Breuiter tamen nos* ad hæc, & similia satisfacere credimus; *notando*, sanctos Patres non in ea fuisse sententia, Deum (simpliciter loquendo) non potuisse producere alios mundos perfectiores; tàm accidẽtaliter, quàm substantialiter, quàm sit præsẽs mundus, & plures alias creaturas meliores his (ad minùs aliquibus) quas de facto produxit. Sanctorum ergò Patrum est sensus, solùm velle Deum de facto, optimaquæque voluisse in ordine ad finem à se intentum cum omnibus suis circumstantijs, & spectata connaturali indigentia; & exigentia, non tantùm cuiuslibet creaturę in particulari, sed etiàm totius vniuersi conflati ex ordine tàm naturali, quàm supernaturali, prout de facto existit. Licèt enim Deus potuisset producere alium mundum meliorem, & excellẽtioribus partibus constantem; aliæ tamen creaturæ excellentiores, & nobiliores non congruerẽt fortassis ad proportionem, decorem, varietatem, pulchritudinem, & ordinatissimam

F con-

connexionē partium huius vniuersitatis, in qua omnes partes secundùm suos gradus optimè diuiduntur, & miro ordine, ac varietate constituuntur ita, vt nil vltrà desiderandum videatur. *Hoc in sensu* admittimus; Deum non potuisse quidquam meliùs facere, quàm fecit: ad finem enim à se intentum; perfectissima proculdubio media applicauit. In hoc etiàm; sensu à Patribus redarguuntur volentes arguere tanquam defectuosam operationem Dei in rebus naturalibus: Patres in sensu à nobis adductos, locutos esse, docebunt, quæ subsequuntur.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Incarnatio non fuit necessaria ex suppositione peccati primi parentis.*

68 FVndatur nostra hæc propositio in eo principio, quòd scilicet minimè necessariū fuerit, hominem à peccato liberari; ergò supposito peccato, non fuit necessaria Incarnatio. Consequentia patet; quippè Incarnationis necessitas fundari deberet in necessitate liberationis. *Sit aliud argumentum.* Non dedecet Deum facere, quod est secundùm Iustitiam; sed secundùm iustitiam homo ob primū peccatum fuit debitor pænæ, & damnationis æternæ: ergò Deus hanc potuit exequi. *Adde,* quòd ex scriptura, & Patribus Deus ex liberalitate, benignitate, amore, & misericordia hominē à peccato liberauit. *Deinde,* nō magis tenebatur Deus homini lapso, quàm Angelis, qui peccarunt; ergò qua ratione Deus remedium non dedit ad Angelorum redemptionem; tali poterat non consulere hominum saluti. *Pugnat* pro nobis sacra Scriptura ex D. Paulo ad Rom. 8. vbi comparatur genus humanum limo, & Deus artifici, vt ostendatur Diuina potestas ad relinquendum genus humanū, vel reparandum,

69 *Nostram hanc* propositionem acriter impugnat *sanctus Anselmus lib.1. cur Deus homo cap.4. & 25. & lib.2 cap.12,* contendens, quòd ex suppositione peccati, hominem redimi, fuerit necessarium: quippè homo ad gloriam creatus, non debebat Dæmonis fraude perire: hoc enim indignum esset Deo, & indecēs; Altera ex parte non potuit Deus peccatum sinè debita relinquere pæna; nec potuit peccatum compensari condignè, nisi per mysterium Incarnationis, & Passio-

sionis Christi: ergò de primo ad vltimum stante peccato, necessaria fuit Incarnatio.

*Occurrimus* dicendo, quòd quamquàm ex adductis locis colligant nonnulli Incarnationis necessitatem; tamen nos, Diui Augustini inhærentes sententiæ oppositũ reddimus probabiliùs. vt n.7. patebit *Adde*: Patrẽ Anselmũ intelligi posse de congruentiæ necessitate ad melius esse, & ad perfectiorem modum Redemptionis, vel de necessitate immutabilitatis, quæ supponit Decretum de incarnando Verbo. Non ergo Anselmum intelligimus de necessitate simpliciter. *Nota*, eumdem Anselmum super illa verba *ad Rom. 5. n.8. commendat autem Deus charitatem suam in nobis*; exhibere fundamentum explicandi modo à nobis notato. Etenim ibi constanter dicit: *Deum alijs multis modis nos liberare potuisse; hunc tamen elegisse: vt suam Charitatem commendaret*. Idem Anselmus *lib. 2. cur Deus homo cap. 16.* dicit, *hanc necessitatem esse immutabilitatis, & honestatis in Deo*: & licèt *cap. 17.* eam æquiparet cum necessitate, quam habet Deus nõ mentiendi, quæ videtur necessitas simpliciter; debet tamen intelligi, vt significat non implere promissum: vndè solùm vult, Deum ex suppositione sui Decreti de hoc mysterio, & reparatione hominis, per illud non potuisse aliter facere.

70 *Dices*: Deum, & naturam nil frustrà facere; sed frustrà fieret creatura rationalis, nisi posset summum bonũ propter se amare, & ei per cognitionem, & amorem propter se adhibere; hoc autem non posset post lapsum, nisi repararetur: ergò debet necessariò sic reparari: at reparari non potest, nisi per mysteriũ Incarnationis: ergò tale mysterium fuit necessarium.

*Respondetur primò*, non videri vllam implicantiam, quòd fieret creatura rationalis, & non ad fruendum Deo fruitione, saltem Beatifica, quam intendit argumentum; cur enim non posset fieri (si Deus vellet) ad seruiendum, & amandum Deum amore tantùm naturali, & non ordinari nec ad aliam gloriam, nec ad pœnam? *Respondetur secundò*, supposita etiàm ordinatione eius ad gloriam, quòd nõ frustrà fieret, etiàm si nunquàm restauraretur post lapsum: quia ista ordinatio poterat fieri cum conditione, si perseueraret in gratia accepta; quod si non perseueraret, Deus postea exerceret suam iustitiam puniendo ipsum propter transgressionem diuini præcepti; & sic non frustra fieret; sicut nec frustrà facti sunt Angeli mali, aut homines damnati, quibus nunquàm patebit additus ad æternam fælicitatem.

## PROPOSITIO QVINTA.

### *Non fuit Deo necessarium incarnari, etiàm supposito decreto de reparando homine.*

71 PVgnant pro veritate istius propositionis multi Doctores *cum Sco. in 3. d. 20.* Probatur primò ex sanctis Patribus clarè docentibus, Deum, etiàm posito peccato, potuisse sinè incarnatione hominem liberare. Athanasius *ser. tertio contra Arianos*. Eusebius Emissenus *hom. 6. de Paschate*. Leo *sermone 2. de Natiuitate Domini, & sermone 12. de passione*. Gregorius *lib. 17. Moralium cap. 18. & lib. 24 cap. 2.* Augustinus *lib. de agone Christiano cap. 11.* vbi dicit, *stultos esse, qui putant, non potuisse sapientiam Dei hominem liberare, nisi carnem assumendo, & lib. 13. de Trinitate cap. 10.* vbi dicit; *Parũ est, vt istum modum, quo nos per mediatorem Dei, & hominũ Christum Iesum, Deus liberare dignatur, asseramus bonũ. & diuinæ cõgruum dignitati; verùm etiàm, vt ostendamus, non alium modum possibilem Deo defuisse, cuius potestati cuncta æqualiter subiacent.* Ex quibus verbis colligitur, æquè fuisse in potestate Dei saluare genus humanum, si voluisset, aliter, ac per mysterium Incarnationis.

72 *Accedat ratio.* Deus potuit peccatum gratis dimittere, & liberaliter infundere iustitiam, sicut primò creauit hominem in iustitia; in hoc enim nulla apparet contradictio; ergò incarnatio non fuit simpliciter necessaria ad remissionem peccati. *Deindè* potuit creare purum hominem cum plenitudine gratiæ, & cõstituere ipsum, caput generis humani cum potestate merendi omnibus alijs, acceptando opera eius in Redemptionem, & satisfactionem peccati ita, vt iustitia ipsius transiret ad reliquos omnes, sicut peccatum Adæ, ex eo, quod fuerit constitutus caput generis humani, transiuit ad posteros omnes.

*Dices.* Supposito diuino decreto de homine redimendo, debet Deus velle illud medium, quod melius est, sed tale est hoc mysterium: ergò necessariò debuit velle hoc mysterium. Maior inde patet, quia aliàs operaretur imperfectè moraliter, sicut homo imperfectè procederet moraliter, qui ex duobus obiectis moraliter inæqualibus, eligeret imperfectius, relicto perfectiori.

73 *Vt soluamus, nota;* Imperfe-

ctio-

ctionem moralem, quæ dicitur esse in electione imperfectioris obiecti moraliter minimè obligare naturam rationalem ad eligendum perfectius: nulla quippè est culpa relinquere tale obiectum perfectum. Dicitur ergò imperfectio moralis ex eo, quod sit carentia maioris perfectionis moralis, quæ esset, si potentia eliceret actum circa obiectum moraliter melius. Vndè, & si homo non peccet eligēdo obiectum de se minus honestum; est tamen imperfectus, scilicet carens maiori perfectione intrinseca, quā haberet exercendo alium actum circa obiectum honestius; & ideò dicitur ad hoc teneri lege perfectionis: quia aliàs incurreret istum defectum moralem, qui consistit in carentia maioris perfectionis; at Deus nec hac quidem lege tenetur eligere obiectum perfectius: quia eligendo oppositum, nulla carebit perfectione intrinseca morali: cùm perfectio moralis actuum internorū Dei minimè augmentum recipiat ex maiori perfectione obiecti voliti; & cōsequenter actus, quo vult obiectum melius, & honestius, nequāquàm sit melior, & perfectior moraliter alio actu, quo vult obiectum minùs perfectum, sed vterque est æquale honestate ornatus: quia infinitè perfectus moraliter, ex eo, quod idētificetur cum infinita honestate Dei, in cuius per se conceptu minimè includitur necessitas, quod melius est, semper amplectendum, sed potius excluditur: etenim hoc destrueret conceptum eius, ad quem pertinet necessariò laudabilitas operationis, sicut ad inhonestatem spectat vituperabilitas.

*Ad laudabilitatem* verò perfectam necessaria est libertas, quæ non esset, si ex duobus obiectis honestis, Deus necessariò eligeret honestius; infinita ergo honestas Dei (ratione cuius omnes actus eius circa creaturas sunt infinitæ perfectionis intensiuè, ac proindè æquè perfecti, imò vnus æquè perfectus intensiuè, ac omnes, quia nulla perfectione caret; cùm postulet sibi identificari volitiones honestas Dei circa omnes materias morales, licèt à qualibet alia secundùm se cōsideratus præscindat,) inducit tantùm necessitatem non eligēdi obiectum inhonestum, nec etiàm indifferens, nisi ex honesto fine, & habendi complacentiam circa omnem honestatem, & operandi in omni materia, eam volendo, vel nolendo ex fine honesto, & ad Dei gloriam, & hoc perfectissimo modo. Ista necessitas radices habet in Dei sanctitate, qua necessitatur Deus non eligere obiectum: nisi honestum, &c.

74 *Hoc stante documento*, occurrimus argumento, negando maiorem, & illius probationem. Disparitatē iam tetigimus: quia ho-

homo relinquendo obiectum perfectius, careret aliqua perfectione intrinseca, cuius foret capax; Deus verò non ita; quia illa, quam tunc haberet, ob idẽtitatem cum infinita honestate Dei, cæteras omnes virtualiter contineret. Ita videtur nos docere *Vgo de sancto Victore in sũma sentẽtiarũ tractatu primo cap. 14. tom. 3.* dicens. *Nihil ipse ex debito, sed sola bonitate facit: Homines ex debito faciunt; quia meliores indè fiunt, vel deteriores, si non faciunt.*

*Partem illam* à nobis assertam n. 72. *peccatum scilicet, posse gratis dimitti*, ita impugnabis. Ille, cui sic peccatum condonaretur, non redderet Deo, quod illi deberet; sed iniustus est omnis homo non reddens Deo quod debet, qua etiam ratione iniustus diceretur, qui homini, quod deberet, minimè redderet. Teste *D. Anselmo cap. 24. & 25. lib. 1. cur Deus homo*; sed nullus iniustus accessum habet ad æternam fœlicitatem: ergò nullus peccator potest saluari, nisi quod debet Deo, reddat. *Distinguitur minor* cum sua probatione: iniustus est, qui non reddit, si ipsi non dimittatur; concedo; si dimittatur, nego. Et per hoc patet ad subsumptum, eiusque consequentiam.

75 *Obiectiones*, quibus dicitur, nullam creaturam posse satisfacere de condigno ob improportionem Personæ offendentis, & satisfaciẽtis in dignitate ad personam offensam, erunt solutæ in disputatione de satisfactione Christi. *Moneo* tandem Lectorem, quòd, etsi verùm esset, nullam creaturam posse eo pacto satisfacere Deo; non tamen indè liceret aliquid contra nostram propositionem concludere: quia Deus posset acceptare minorem satisfactionem ea, quę esset condigna. *Tandem*, si talẽ satisfactionem acceptare non posset: aut gratis peccatum dimitteret, aut relinqueret naturã ęternaliter in suo peccato; & ita adhuc Incarnatio non esset necessaria: Valeret quippè, Angelicam assumere naturam, & in ea tam benè satisfacere, ac in natura humana: Quæ enim in hoc contradictio?

DIS-

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De Possibilitate Incarnationis secundùm alios modos.*

EXplicato iam in superiori disputatione Incarnationis Dominicæ mysterio quantùm ad possibilitatem, & congruentiam secundùm eum modũ, qui Deo placuit, & hoc mysterium compleuit; nunc quia mens nostra multa posse fieri à Deo, quæ facta non sunt, ingenuè fatetur; vt illius appetitus in perfecta cognitione satietur; inuestigandi sunt: quinam sint alij modi possibiles, vel impossibiles vnionis naturæ nostræ cum Diuina? Satisfacient, quæ subsequuntur, propositiones.

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Potuit essentia Diuina, quæ in tribus personis est, ad se assumere naturam nostram, atque adeò incarnari, itaut natura Diuina esset terminus dependentiæ naturæ humanæ.*

1 SVpponit propositio nostra ex *Sco: quodlib.* 1. §. *de primo*, in Diuinis vnam primam dari entitatem actù existentem, & absolutam. Dicimus illam *primam*, & veluti radicem omnium, quæ sunt in Deo; nè cogamur ad processum in infinitũ. Eamdem vocamus *actù existentem*: cùm à prima illa entitate pullulent omnia, quæ in Deo. *Accipe* istam breuem rationem. In Deo est vna æternitas absoluta, & essentialis iuxta illud *Athanasij in symbolo*: *Non tres æterni, sed vnus æternus*: ergò est vna essentialis existentia. Patet: nam æternitas est duratio, & duratio, vel est omninò idem cum existentia, vel necessariò supponit existentiam, tanquàm proprietatẽ, vel modum eius intrinsecum. Illam entitatem dicebamus itidem *absolutam*; quia, vt benè *Augustinus 7. de Trinitate cap.* 4. *omnis essentia, quæ relatiua dicitur, est aliquid excepto relatiuo*; hinc idem *Augustinus in* prin-

*principio tertij capitis concludit: si non est aliquid ad se* (intellige absolutum) *non est, quod relatiuè dicatur.*

2 *Supponit etiam:* naturam diuinam a proprietatibus relatiuis præscindentem, propriam, absolutam subsistentiam habere. Ita docet Scotus pluribus in locis. Videatur in primo d. 5. q. 2. vbi subsequentia habet verba: *in diuinis incipiendo à primo signo naturæ, omninò primò occurrit essentia diuina, vt est per se, & de se, quod non competit alicui naturæ creatæ, quia nulla natura creata habet esse priùs naturaliter, quàm in supposito. Ista autem essentia secundùm Augustinum 7. de Trinitate est, qua Pater est, & qua filius est, licèt non sit, qua Pater est Pater, & qua Filius est Filius: isti igitur essentiæ abstractissimè consideratæ, vt priori omnibus personalibus, conuenit esse per se. Et in isto priori occurrit, non vt aliquid receptiuum alicuius perfectionis, sed vt infinita perfectio potens in secundo signo naturæ communicari alicui non, vt forma informans materiam, sed, vt quidditas communicatur supposito, tanquàm formaliter existenti per eam.* Hactenus Scotus: Ex hac Scoti doctrina habes naturam diuinam in hoc distingui à creata substantia in tota latitudine illius, quòd cum esse creatum minimè sit illimitatum simpliciter in ratione essendi, non excludit formaliter complexionem eam, quæ simpliciter necessaria est, vt totale, & integrum ens dici possit. Hanc doctrinā tradit Scotus illis verbis: *occurrit essentia diuina, vt est esse per se, & de se, quod non competit alicui naturæ creatæ: quia nulla natura creata habet esse priùs naturaliter, quàm in supposito.*

3 *Stante hoc documento.* Naturam Diuinam præscindentem à proprietatibus relatiuis habere propriam subsistentiam, docebit hoc argumentum. Natura Diuina, præscindens ab omnibus proprietatibus relatiuis, est simpliciter illimitata in ratione essendi: ergò pro tunc apprehenditur, vt ens integrum, & completum in ratione essendi, ac per consequens, vt habens propriam subsistentiam (nam per subsistere tantùm intelligimus, rem ita esse completam, vt non indigeat aliquo, à quo substentetur, tanquàm à supposito) Antecedens patet: etenim esse simpliciter illimitato contradicit conceptus non integri, & incompleti.

*Accipe hoc aliud argumentum.* Subsistentia, de qua in præsenti agimus, est perfectio simpliciter: cum in quolibet habente illam, melior sit ipsa, quàm non ipsa, scilicet, quàm suum incompossibile: ergò tribuēda Deitati pro illo signo. Consequentia probatur ex doctrina illa deducta ex Sco. supra: *& in isto priori occurrit, non vt aliquid receptiuum alicuius perfectionis, sed vt infinita perfectio* Hæc Scotus, &c. ergo si essentia nullam perfectionem accipit

accipit à proprietatibus relatiuis, sinè sufficienti fundamento negabitur essentiæ propria subsistentia absoluta. Hanc concedit *Scotus in 3. d. 1. q. 2. §. si verò intelligatur secundo modo.*

4 *Subsistentiam absolutam* diuinæ essentiæ aliquo modo ab existentia absoluta eiusdem diuinæ essentiæ distingui, præsens probat argumentum: existentiā est præcisè actualitas rei: dans illi rei esse oppositum puræ possibilitati; at subsistentia supra actualitatem rei addit independentiam ab alio, tanquàm à sustentante: ergò subsistentia absoluta aliquo pacto distinguitur ab existentia Dei in se. *Mihi etiam* probabilior redditur opinio asserens, subsistentiam Dei absolutam minimè locum habere inter prædicata dicta de Deo in primo modo dicendi per se. Moueor ad hoc; quia ex supra notatis subsistentia absoluta non reciprocatur cum existentia absoluta; consequenter erit vel attributum, vel modus, vel proprietas eius: ergò non de conceptu essentiali Dei: cùm iuxta nostra principia attributa, proprietates, vel modi intrinseci non spectent ad lineam quidditatiuorū Dei.

*Vtrùm* subsistentia absoluta sit attributum Dei? sumus pro parte negatiua, loquendo de attributo propriè sumpto: nàm ad aures *Scoti in 1. d. 6. q. vnica §. ad argumenta principalia, &c. versiculo ad ista.* Illa dicuntur attributa propriè, quorum beneficio perficiuntur res in secundo esse, ad instar qualitatis, sed subsistentia absoluta non perficit naturā Diuinam, quasi qualitas eius, quemadmodum intellectus, & voluntas; ergò recta cum ratione dicimus, subsistentiam absolutam minimè esse Deitatis attributum proprium. *Quid ergò* ista subsistentia absoluta? Respōdeo esse attributum impropriè, propriè verò modum intrinsecum, sicut, & infinitas.

5 *Curiosè petes*: subsistentia ista absoluta trascendit nè formalitatem quamcunque absolutam Deitatis ita, ut præter subsistentiam absolutam Deitatis, tot sint subsistentiæ absolutæ, quot proprietates & attributa absoluta in Deo? *Noster Pater Theodorus Smisingh* pugnat pro parte affirmatiua; *nos* pro negatiua. *Sit tale argumentum.* Si sentētia Patris Smisingh foret vera: inde maximè quod tot sint subsistentię relatiuę, quot relatiuę proprietates, & quod subsistentia relatiua est modus proprietatis relatiuę, verbi gratia Paternitatis; sed hoc est falsū, ergò &c. Minor probatur: subsistentia paternitatis non est modus talis relationis, quinimò est ipsissima formalitas paternitatis, quæ se tota differt à paternitate creata, ac proindè non mirum, quòd illa formalissimè sit subsistentia, & personalitas, quantumuis intellectus no-

liter cũ fũdamẽto in re distinguat in paternitate diuina rationẽ paternitatis,& rationẽ subsistentię.

6 *Confirmatur*: nàm hęc paternitas, in quantùm talis, constituit personam Patris.: ergò formalissimè est suppositalitas,& personalitas, ac proindè subsistentia. *Dices*: existentia non potest non esse subsistentia: sed attributum gaudet formali existentia: ergò & propria subsistentia. *Maior est vera* in sensu identico, & non in sensu formali, nequè ad quamcunque existentiam, quæ est in Deo, sequitur specialis subsistentia; soli ergò lateri existentiæ absolutę totali indubitanter adhæret. *Hinc colligere licet* ad attributorum multiplicitatem sequi existentiarũ multiplicitatẽ absque plurificatione absolutę subsistentiæ.

7 *Audiantur rationes pro nostra principali propositione*: essentia Diuina, vt distinguitur, & antecedit relationes, est substantia completa per se existens, non indigens extrinseco complemento, non minùs quàm quæcumquè natura creata in se subsistens: ergò à subsistentia diuina poterit natura humana reddi completa. *Vrgetur ratio*: essentia diuina præscindens à personalitatibus habet tantam perfectionem existendi in se,& sinè adminiculo alterius, vt nequeat concipi indigens alterius complemento; ergò habet totùm,quòd requiritur ad supplendum personalitatem creatam quantùm ad omne complementum,quòd potest talis personalitas tribuere: sed nil impedit, quominùs possit assumere naturam creatã, nisi quòd non haberet ex se,quo suppleret defectum proprię personalitatis creatæ:ergò cùm habeat hoc,poterit assumere. *Sit tale argumentum*: subsistentia diuina (quocunque modo sit distincta ab essentia Deitatis) fuit satis ad reddendam Diuinitatem subsistentem, ergò etiam erit satis ad reddendam talem humanitatem. *Aliud argumentum*: subsistentia personalis Verbi reddens naturam Diuinam incommunicabilem alteri Verbo,facit etiam subsistere humanitatem: ergò subsistentia absoluta Deitatis erit satis ad terminandam humanitatem.

8 *Quæ pugnant contra* nostram propositionem; accipe. *Primò*: personalitas creata reddit naturam incõmunicabilem; sed subsistentia illa absoluta non redderet ipsam incommunicabilem (cùm ipsa sit communicabilis) :ergò nequit supplere defectum personalitatis creatæ. *Respondetur* distinguendo maiorem: incõmunicabilem suppositis realiter distinctis ab ipsa subsistentia creata, concedo, alio modo,nego. *Distinguo* etiam minorem: non redderet ipsam incommunicabilem cuicunque supposito realiter distincto ab ipsa existentia, nego; ipsi identificato, concedo

cedo

cedo. *Nota*, non esse necessarium, vt per subsistentiam alienam præstetur quicumque effectus, qui haberetur à propria: nàm de facto per subsistentiã Verbi hoc non præstatur. Personalitas igitur propria, & compleret naturam, quatenùs natura sinè ipsa esset incompleta, & imperfecta, & redderet naturam vlteriùs incommunicabilem, à quo habet, quòd sit vltimus terminus naturæ. Susibstentia essentiæ diuinæ suppleret primum effectum, complendo naturam, & reddẽdo ipsam perfectam ita, ut non indigeret vlteriori complemento; non præstaret tamen secundum effectum.

*Cur autem personalitas* creata vtrumque faceret; & non subsistentia absoluta diuina? *Respondeo*: quia illud, quod est terminus in creatis, est illud ipsum, quo natura vltimò completur, & perficitur; illud verò, quod est vltimus terminus naturę diuinę, scilicet personalitas, non est illud ipsum, quod formaliter reddit naturam Diuinam completam, quia ante omnem personalitatem, Diuina natura præintelligitur omnibus numeris cõpleta, & nullo indigens substentaculo, hinc, cùm subsistentia diuinæ essentiæ sit communicabilis, fit, quòd natura assũpta nõ redderetur incõmunicabilis.

9 *Aliud argumentum*. Ex nostra propositione deduceretur dari quatuor personas in diuinis. Probatur. Subsistentia illa communis constitueret aliam personam contradistinctam; ergò darentur quatuor personæ. *Confirmatur primò* subsistentia illa communis redderet naturam assumptam incommunicabilem, & consequenter personã. *Cõfirmatur secũdò*. Subsistentia illa absoluta præstaret id totum, quod haberetur per subsistentiã creatam; sed subsistentia creata redderet naturam incommunicabilem, & personam, ergò &c. *Cõfirmatur tertiò*. Subsistẽtia illa diuina foret infinita, ergò daret id totum, quod præstatur a subsistẽtia creata. Probatur discursus iste. Tribuens effectum formalem alicuius formæ, vel est ipsa forma, vel aliquod continens virtualiter illam formam, ergo &c. *Respondetur negando sequi* quaternitatem, & nouam cõstitui personam. Ratio est: quia persona dicit incommunicabilitatem; hanc autem minimè daret subsistentia diuina; nec argumentum desumptum ex infinitate subsistentię diuinę valet; ratio est, quia ratio terminationis nõ desumitur ex infinitate, vt probat Scotus: quippè personalitas Verbi non est infinita ex Scoto quolibeto quinto, & tamen est ratio formalis terminandi in Verbo. Ratio ergò terminandi est independentia ad quamcumque aliam personam: nam independens in aliquo genere dependentiæ, potest

terminare aliquod, quod tali genere dependentiæ dependet. Discurre, & applica &c.

10 *Aliud argumentum*. Licèt hic Deus non habeat rationem suppositi in diuinis, habet tamen rationem singularis, & ipsa singularitas est de eius conceptu quidditatiuo, si igitur ad hunc Deum, vel ad deitatem assumeretur humanitas, ipsa non assumeretur, nisi ad singularitatem huius Dei, sed hoc est impossibile, quia natura assumpta non potest perdere suam singularitatem, & ita non potest assumi ad aliam singularitatem, sicut non potest assumi ad aliam personalitatem, nisi possit perdere propriam. *Respondetur*, quòd non assumeretur ad singularitatem Dei ita, quòd ambarum naturarum esset vna singularitas, sicut est vna personalitas in Christo; quia non ad vnitatem naturæ diuinæ singularis, sed assumeretur ad vnitatem vnionis, vt ait Scotus. *Aliud* argumentum vide in fine subsequentis propositionis quintæ.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Non possunt tres Diuinæ Personæ vnam, eamdemquè numero naturam humanam sibi vnire.*

11 Propositio ista est *Scoti in 3. d. 1. q. 2.* cui, quia multi aduersantur, illi adhibenda est solida probatio. *Sit hæc prima*: nō potest aliquis effectus à pluribus causis totaliter pendere; nequè id solùm verū est de causis propriè dictis, verùm etiam de omnibus illis, quæ quomodocunque gerunt vices causæ; sed natura assumpta à tribus Personis, penderet ab illis, & à qualibet illarum totaliter, non quidem in ratione causæ propriæ; sed tanquàm à termino, quæ dependentia non minorem habet connexionem, quàm sit effectus ad causam: ergò non potest eadem numero natura assumi à tribus Personis. *Fundamentalis hæc doctrina* aliquantulùm est explicāda, & probanda: *Moneo ergò* per causam totalem in bona Philosophia intelligendam illam esse, quæ adęquatè explet indigentiā effectus; hinc causa partialis ea est, quæ sola adęquatè minimè explet indigentiam effectus.

12 *Nunc probo* impossibilitatem effectus à duplici causa totali. Nomi-

Nomine causæ totalis intelligũt Philosophi illam, quæ adęquatè explet indigentiam effectus, & consequenter totaliter explet in ipso effectu capacitatem dependendi; ergò reddit effectum incapacem alterius dependentiæ ab alia causa; ergò tantùm potest effectus dependere ab vna causa totali. *Sit tale argumentum*: effectus productus per vnam causam totalem habuit ab illa causa totum id, quod exigebat; ergò non remanet in potentia ad aliquod recipiendum. Omnis dependentia in aliqua indigentia fundatur. Nàm ideò causaliter effectus actualiter dependet à causa, quia habet illius indigẽtiam: ergò omnis dependentia actualis fundari debet in aliqua indigentia: conceptus enim dependentiæ dicit conceptum insufficientiæ, & imperfectionis: etenim quod in se ipso habet esse sufficiens, & perfectum, implicat contradictionem ab alio dependere; sufficientia namquè contradictoriè opponitur insufficientiæ, atquè indigentiæ; vndè si effectus habet expletam indigentiam, & insufficientiam in esse, non habet ampliùs capacitatem dependentiæ: ergò non potest habere actualem dependentiam; ergò ex negatione indigentiæ concluditur negatio dependentiæ.

13 *Dicamus ita*. Habere totum esse, & totaliter à causa, & habere aliquam indigentiam in esse, contradictionem dicit, sed effectus habet totum esse, & totaliter ab vna causa totali: ergò non potest habere aliquam indigentiam in suo esse. *Subinfero*: sed hanc indigentiam haberet, si actualem dependentiam haberet ab alia causa totali; ergò &c. Maior probatur: quia si effectus haberet aliquam indigentiam in suo esse, haberet aliquam carentiam in tali esse: ergò non haberet esse totale ab vna causa per sufficientem, & adæquatum concursum.

*Item* dependentia in esse vel est in fieri, vel in conseruari: Sed vtraq; dependentia fundatur in indigentia: ergò dependentia quæcunque in indigẽtia fundatur. Minor probatur quoad priorem partem. Ideò aliquid est capax dependentiæ in fieri: quia insufficiens est, vt fit à se, & ità necessariò expectat habere esse ab alio. Quoad posteriorem partem, probatur. Ideò effectus dependet in conseruari; quia non habet tantam sufficientiam, ac perfectionem, vt proprium esse manutenere valeat independenter ab alio; & ita necessariò dicit indigentiam causæ conseruantis: ergò si ponatur dependentia sinè indigẽtia, poneretur ratio posterior sinè ratione priori, quod implicat, sicut repugnat ponere risibilitatem sinè rationalitate.

14 *Dices*: indigentiam naturalẽ esse expletam per vnam solam cau-

causam totalem, non autem exigentiam obedientialem. *Cōtra*: implicat illam indigentiam non esse expletam, quæ non restat in potentia ad recipiendum aliquod plus (omnis enim indigentia debet esse in ordine ad aliquod receptibile) sed indigentia omnis in effectu expleta per vnam actionem totalem, non restat ampliùs in potentia ad recipiendum aliquod plus: ergo effectus habens esse ab vna causa totali restat incapax alterius dependentiæ, etiam obedientialis. Quare sit iste discursus.

*Nihil* potest dependere ab aliquo, tanquam à causa, nisi indigeat causalitate ipsius ad hoc, vt existat; sed posito, quòd aliquis effectus habeat totum suū esse ab vna causa totali, non indiget effectus ille causalitate alterius causæ: ergò non potest vnus effectus dependere totaliter à duabus causis totalibus simul. Maior patet; quia sicut albedo huius parietis, *verbi gratia*, est ratio fundādi similitudinē, inter hūc parietē, & alterū parietē albū, sinè qua ratione fundādi, nunquā esset alteri similis; ita indigētia causalitatis est ratio fundādi dependentiā alicuius ad causam, sinè qua indigētia, nusquàm posset effectus dependere ab aliqua causa. *Hinc* quia Deus non indiget vlla causa ad hoc, vt existat, nunquàm potest dependere ab vlla causa.

*Minor probatur*: Eatenùs effectus totaliter productus ab vna causa totali, posset indigere alia causa simul, quatenùs illa alia causa posset aliquid ipsi præstare, quod aliàs non haberet; vel quatenùs aliquid ipsi vtile conferret ad existendum; sed effectui totaliter producto ab vna causa totali, alia causa nihil posset prętlare conducens ad ipsius esse: ergò ipse effectus nullo modo indigeret tali causa.

15 *Confirmatur* exemplo de Petro; si Petrus verbigratia haberet totum suum esse à Paulo, tāquàm à Patre totali, ad nihil cōduceret ipsi habere simul alium Patrem, verbigratia Carolum: ergò Petrus non indigeret Carolo: ergò Petrus à Carolo non posset dependere: ergò ipse non posset esse ipsius Pater. *Dices*: duo Patres possunt meliùs alere filium, quàm vnus. *Contra*: ergò saltem quando vnus Pater posset tantum ei præstare, quantum mille Patres; secundus Pater ad nihil conduceret ipsi: ergo licèt secundus Pater cum primo meliùs alerent filium, hoc nihil facit ad probandum, quòd iuuaret ad existentiam primam datam filio.

16 *Caietanus dicit*: tria fore necessaria ad veritatem Scotici, & nostri discursus; quæ, cùm minimè inueniantur in tali discursu, cōsequenter vanus. *In primis*, ait, requiri; quòd loquatur de dependentia propria, scilicet, quæ

est

est causati ad causam, non autèm de impropria, quæ est inter ea, quorum vnum non potest esse sinè alio vniuersaliter, vt est inter duas relationes, duo relatiua, &c. *Secundò* requirit, quòd sermo sit de dependentia eiusdē rationis: nàm à multis causis alterius rationis vnum dependere minimè repugnat. *Tertiò* dicit Caietanus, maiorem propositionem Scoti tunc esse veram, quando illud, quod terminat dependentiam, terminat illam totaliter intensiuè, & extensiuè. *Hac stante doctrina*, ad Scoticum argumentum dicit, Scotum in suo discursu non obseruasse primam conditionem requisitam; nec etiàm obseruasse Scotum secundam conditionem: nàm Pater, Filius, & Spiritus sanctus terminarent, non in quantùm conueniunt, sed in quantū distinguntur; & ita dependentia, qua Natura Humana depēderet ad Patrem, foret alterius rationis, qua dependeret ad filium.

17 *Debilitatem Caietani discursus* facili negotio intelligemus ostendendo, falsam esse doctrinam ab eodem assignatam. Primam conditionem ab eo obseruatam esse parui momenti, ex eo fit clarum, quòd linea depēdet à puncto dependentia non propria, seù causati ad causam, & tamen non potest, nisi ad vnū punctum vltimum terminari. *Item*, si foret vera doctrina Caietani, sequeretur contrà eumdem, quòd Natura subsistens propria personalitate assumi valeret. Sequelam probo. Secundùm Caietanum idem dependere potest duabus dependentiis totalibus, quando illæ dependentiæ non sunt veri effectus à causa, sed tantùm dependentia sit, veluti terminati à termino: ergò cùm natura dependeat à subsistentia, veluti à termino, etiàm si habeat dependentiam totalem ad propriam subsistentiam, valebit & etiàm alteram dependentiam dicere ad subsistentiam sibi non propriam. *Sit aliud argumentum*. Dependentia fundatur in indigentia: ergò vbi nulla indigentia, nulla poterit esse dependentia. *Dicamus ita*: Impossibile est, quòd sit relatio sinè fundamento: ergò & quòd sit relatio dependentiæ actualis sinè indigentia: at per vnam totalem subsistentiā sufficienter, totaliter, & adæquatè expletur, & satiatur indigentia in natura: ergò in eadem nullus restat locus pro altera indigentia, seù sustentatione.

18 *Secundam Caietani conditionem* non minùs esse falsam, ostendo: *Primò* indè sequeretur contra eumdem, quòd natura subsistēs propria subsistentia posset assumi: nàm subsistentia propria, & subsistentia personæ Diuinæ ad aures Caietani sunt alterius rationis: ergò si dependentiæ alterius rationis possunt simul stare

stare in eadem natura, vndè habet Caietanus quod natura habens dependentiam ad propriã personalitatem non posset etiàm habere dependentiam ad sibi extrinsecam personalitatem? *Adde*; quod, etsi entitatiuè subsistentia vniùs esset distincta specie à subsistentia alterius; tamen in ratione terminandi, forent eiusdem rationis.

*Tertia conditio*, nec etiam facit ad rem nostram. Vndè enim habet Caietanus subsistentiam Verbi terminare totaliter naturam intensiuè, & non extensiuè? *Item* personalitas creata terminat totaliter extensiuè: ergò & increata. Probo consequentiã. *Primò*, quia subsistentia increata agit vices subsistentiæ creatæ. *Secundò* personalitas Verbi est prestantior personalitate creata. *Tertiò* in sententia Caietani personalitas Verbi est infinita, & vt talis terminat: ergò si personalitas creata finita, & limitata, terminat totaliter intensiuè, & extensiuè; cur non idem præstabit subsistentia Verbi?

19 *Ab alijs* nostro principali argumento occurritur notando: non sequi eumdem numero effectum, vel quasi effectum depẽdere à multiplici causa totali. Obseruant enim, quòd natura non eodem modo penderet, à Patre, à Filio, & Spiritu sancto: nam à Patre haberet natura ista in concreto esse Patrem, à Filio, esse filium, à Spiritu sãcto esse Spiritum sanctum; & consequenter essent quasi tres effectus, & non vnus. *Contrà*. Natura non solùm penderet à Patre in hoc, quod est esse Patrem, sed etiã in eo, quod complectetur in suo esse totali; in hoc eodem esse, in hypotesi data, dependeret etiam à filio, & Spiritu Sancto: ergo quantùm ad suum esse substantiale dependeret natura totaliter à Patre, à Filio, & Spiritu Sancto, vt probabat nostrum argumentum.

*Hoc autem* repugnare ostendit ista altera ratio. Impossibile est, aliquod depẽdere ab aliquo, quo ablato, haberet omne esse, quod illo præsente haberet; sed per vnicam subsistentiam haberet natura totum integrum suũ complementum: ergo quantùm ad hoc complementũ nõ potest dependere ab alia subsistentia.

20 *Sit aliud argumentum*. Tres illi effectus enumerati repugnant: ergò nulla responsio. Repugnãtiam probo. Nequeunt esse illi tres effectus, nisi primo natura humana subsistat, seu vniatur tribus subsistentijs; sed longo sermone probaui, naturam non esse capacem vnionis ad triplicem subsistentiam: ergò nequeunt dari illi tres effectus. *Declaratur ista ratio*. Vnio naturæ ad personalitates est veluti via ad esse Patrem, filium, & Spiritum sanctum: ergò cum suprà sit à nobis probatum; repugnare vnionem naturæ ad triplicem sub-

subsistentiam, repugnabunt & etia illi tres effectus. *Perxistit ergò* in suo vigore nostra ratio fundamentalis, qua dicebamus, sequi ex doctrina aduersariorum, vnum, & eumdem effectum dependere simul à multiplici causa totali: nàm per primam subsistentiam adæquatè, & integrè compleretur natura, & satiaretur eiusdem indigentia, & consequenter, si aliæ aduenirent personalitates, idem numero complementum naturæ esset à multiplici subsistentia: ergò idem effectus à duplici, vel multiplici causa totali.

# PROPOSITIO TERTIA,

## *Aliæ Principales nostræ Propositionis rationes.*

21 SEcunda principalis ratio nostram ostendens propositionem est ista. Implicat cõtradictionem, naturam independentem assumi: ergò implicat, naturam pluries assumi. Consequentia probatur. Ex assumptione eiusdẽ numero naturæ à tribus personis, sequitur assumptio indepẽdẽtis natura: sed hæc implicat: ergò, &c. Maior hęc probatur: nam huiusmodi assumptæ naturæ dependẽtia sufficientissimè, & adæquatissimè intelligeretur expleta, & terminata à qualibet, & singula Diuinarum Personarum: ergò vel vna excluderet aliam à consortio subsistẽtiæ in eadem natura; vel sequitur assumptio independentis naturæ. Antecedens probatur: quia illius naturæ dependentia, etiam seclusis duabus Personis, adhuc esset perfectissimè terminata à reliqua: ergò &c. Consequẽtia adhùc ꝓbatur: si depẽdẽtia huiusmodi naturæ intelligitur expleta ꝑ vnã personã: ergò vt sic intelligitur õninò indepẽdẽs; ergò si assumitur ab alia etiã cõcomitanter; sequitur assũptio naturę ꝑsonatæ, & indepẽdẽtis.

22 *Aliquando mihi* fuit responsũ, quòd eo in casu tres Personæ Diuinæ contemperarent subsistẽtatiuum concursum ita, vt quęlibet non adæquatè, sed inadęquatè expleret dependentiam illius naturæ. *Contrà*: quia hoc est recedere ab opinione, quàm impugnamus. Quærunt quippè Theologi cum Scoto *vtrùm eadẽ numero natura possit adæquatè, & cõpletè terminari pluribus subsistentijs totalibus?* non autèm quærimus, vtrùm valeat vna natura subsistere pluribus subsistẽtijs partialibus. Nec multùm difficilis esset pars affirmatiua in ea ratione, qua Philosophi

communiter concedunt, eiusdē numēro effectus posse esse plures partiales causas. *Vtrū* verò valerēt Personæ Diuinæ contēperare substentatiuum influxum; *mihi* pars affirmatiua redditur difficilis: nàm si personalitas Verbi esset forma intrinsecè sanctificans, deberet necessariò cōmunicare omnem suam sanctitatem naturæ assumptę; ergò multò magis non poterit non communicare illi omnem substētatiuum influxum. Hoc satis videtur probare, quòd ratio suppositandi sit intimior supposito, quàm ratio sanctificandi, si ergò nō potest non communicare integrā sanctitatē; nō valebit pariter nō cōmunicare integrū substentificatiuum concursum.

23 *Tertia ratio principalis pro nostra propositione*. Natura, terminata per propriam subsistentiā, nequit terminati per alienam, siuè Diuinam, siuè creatam; ergo terminata per subsistētiam personalem Verbi, nequit per alteram terminari. Consequentia probatur. Ideò natura terminata per propriam subsistentiam, non potest terminari ab aliena: quia per propriam redditur interminabilis: sed similiter per subsistentiam Verbi natura redditur interminabilis: ergo natura terminata ꝑsonalitate Verbi nō potest ꝑ alterā terminari. Probatur minor: gerens vices alterius debet tribuere eumdē effectū, quem præstaret id, cuius gerit vicem: sed subsistentia Verbi gerit vicem subsistentiæ propriæ: ergo subsistētia Verbi debet tribuere eamdem interminabilitatem naturæ, quam tribuit subsistētia propria. Maior patet, quia aliàs non gereret perfectè vices illius. *Antecedens principale*, nimirum, quod natura subsistens subsistētia propria nequeat subsistere simul subsistentia aliena; ita probo: Patres, & Concilia colligunt nō esse in Christo personalitatem creatam: quia eius humanitas fuit assumpta à Verbo; at discursus Patrum, & Cōciliorum non valeret, quando natura, retenta propria personalitate, assumi posset: ergò rectè concluditur, quòd natura, personata propria personalitate, non valeat simul subsistere subsistentia aliena.

24 *Dices* ad intentum Patrum sufficere repugnantiam naturalem ad sic colligendum. *Contra*; quia si non esset, nisi repugnantia naturalis, & non in ordine ad potentiam absolutam, inter illas duas personalitates non deberet auferri propria personalitas, vt natura subsisteret in aliena. Sequela patet: quia maius miraculum est priuare naturam propria personalitate, quæ est passio ipsius, & generaliter ei debita, quam conseruare propriam personalitatem cum aliena: ergò, vt natura vniretur alienæ personalitati, nō deberet auferri propria.

*Dices*

*Dices secundò.* Concilia,& Patres collegisse negationem subsistentiæ creatæ ex eo,quòd natura assumpta subsistat subsistētia Verbi, & ex eo, quòd sacræ scripturæ loquantur de Christo homine,& Deo,tanquàm de vna, eademquè Persona: tribuunt enim homini, quæ sunt Dei, & Deo, quæ sunt hominis, dicuntquè: *Deus nascitur: Deus moritur &c. Homo est Deus;Homo est omnipotens &c.* Si autem essent duæ personæ, vnicuique tribueretur, quæ essent ei propria. *Contrà* quia ex hoc ipso modo loquendi scripturæ, colligi licet,personalitatem propriam non potuisse manere cum aliena, quia sic non mansit: ergò generaliùs erat, vt non maneret, nè multiplicarentur miracula; sed id nō esset generaliùs,si solùm esset repugnantia naturalis, & non in ordine ad potentiam absolutā: igitur &c.

25 *Non me latet* insuper molesta disparitas aduersariorū ad nostrum argumentum, dùm negāt paritatem de propria, & aliena subsistentia. Disparitatem dant: quia propria subsistētia(inquiūt) adæquat naturam, & terminat dependentiam eius adæquatè, tàm intensiuè, quàm extensiuè; aliena verò tantùm intensiuè; & hinc volunt, naturam posse vlteriùs extendi ad alias personalitates. *Debile certè fundamentum*: petunt enim principium:quæstio enim est, vtrùm natura assumpta reddatur inassumptibilis, nedùm intensitiuè sed etiàm extēsiuè.

*Dant tamen* etiam aliqualem rationem, cur natura subsistens propria personalitate nō valeat secum alteram admittere, quāuis nō abhorreat duplicem subsistentiam alienam.*Obseruāt enim* quòd si natura personaretur per alienam personalitatem, postquàm per propriam est personata; tunc natura esset in se, & esset in alio, quòd implicantiam videtur inuoluere; non autèm si bis esset in alio, quòd fieret, si personaretur pluribus subsistentijs alienis.

26 *Contra ita argumentor*: esse in alio, & simul esse in se, non inuoluit vllam contradictionem, quàm nō inuoluit bis esse in alio aut bis in se: ergò si potest esse bis in alio, poterit esse in se, & in alio: vel si nō potest esse in se, & in alio, nec poterit esse bis in alio. Antecedens probo, quia esse in alio non negat esse in se, cùm sit affirmatio, & quid positiuum. *Nec dicas* trahere secum negationem essendi in se, quia aliena persona non est sua propria. *Nàm contra est*: quia similiter vna extrinseca persona non est alia, *verbi gratia*, Pater non est filius, nec Paternitas filiatio. *Accipe hoc argumentum*. Difficiliùs videtur, naturam personari bis extrinsecè, quā semel intrinsecè, & semel extrinsecè: ergò si natura non potest simul personari

nari propria, & aliena subsistentia; nec etiam poterit simul personari duabus subsistentijs sibi non proprijs. Antecedens probatur, quia priori via natura omninò est extra modum suum connaturaliter existendi; at verò secunda via licèt habeat modũ non connaturaliter existendi, tamen habet simul modum connaturaliter existẽdi, scilicèt personalitatem propriam: ergò &c.

*Accedat altera ratio.* Natura personata extrinseca personalitate non potest simul personari per propriam. Tunc sic: aut hoc est: quia propria est propria; aut quia est vltrà adæquatam personalitatem. Primum non potest dici: quia propria semper est ipsi connaturalis, in quantùm talis: ergò dicendum secundum; subinfero, sed secunda persona extrinseca est similiter vltrà terminum adæquatum naturæ: ergò &c.

27 *Nonnulli nostram probant propositionem*: quia alias daretur in creatis mysterium Trinitatis. *Nos minimè* conuinceret hoc argumentum: mysterium enim Trinitatis dicit vnam numero naturam connaturaliter expostulantem esse in tribus, & realiter sibi identificãtem tres personalitates; quæ minimè sequerẽtur, si humanitas vna tribus subsisteret subsistentijs. *Primò*: quia humanitas dependeret; non ita Diuina Natura in tribus. *Secundò* humanitas non identificaretur personalitatibus, sicut illas sibi identificat essentia Diuina. *Tertiò* humanitas non necessariò, & ex suis intrinsecis expostularet esse in pluribus: cùm tamen ita ob suam innatam fæcunditatem expostulat Diuina Natura.

*Varia notant* Scotistæ, vt probent cum Lycheto, naturam fore infinitam, si esset in pluribus. *Hoc tamen*, illis relictis, mihi absolutè non placet: siquidem habet Doctor cit. quòd vna res possit esse in pluribus, prouenit vel ex infinitate illius rei, vel ex eo, quòd non sit completè satiata indigẽtia illius rei, (ob primũ caput essentia Diuina potest esse in pluribus,) igitur absolutè non est dicendum, quòd natura foret infinita, si esset in pluribus. *Quarè* liceat ita argumẽtari pro nostra propositione. Humanitas non potest esse in pluribus ex eo quòd eius indigentia non sit satiata per vnam subsistentiam totalem: ergò si potest esse in pluribus, hoc debet prouenire ex infinitate; sed natura non est infinita, & est adæquatè satiata illius indigentia per vnam subsistentiam; ergo ex nullo capite potest deduci humanitatẽ posse simul subsistere pluribus subsistentijs.

28 *Quarta nostra principalis ratio* fũdatur in doctrina aduersariorũ, quorum commune votum est: in humanitate vna non posse simul esse vnionem hypostaticã; & pec-

& peccatum. Quo supposito, ità *argumentor.* si vna natura posset simul, & semel assumi, & terminari duabus personalitatibus, quarum vna sit Diuina, & altera creata: ergò illa humanitas posset sub vtraque subsistentia operari: ergò posset operari demeritoriè in subsistentia creata: ergò in eadem humanitate essent simul vnio hypostatica, & peccatum: quippè, etsi natura assumpta non posset demeritoriè operari pro quanto subsistit subsistentia Verbi; tamen natura illa posset habere aliquam actionem peccaminosam pro quãto subsistit subsistentia creata: ergò tunc in tali natura foret vnio hypostatica, & simul foret peccatum; quod tamen minimè admittunt aduersarij.

*Dices,* in eo casu naturam illam assumptam minimè habere posse actionem per subsistẽtiam creatam. *Contrà primò*: quia hoc dicitur sinè fundamento. *Secundò*, quia eadẽ ratione alius posset dicere, eandem naturam non posse eo in casu operari per subsistentiam increatam: cùm non sit maior ratio vnius, quàm alterius. *Tertiò* in eo casu adessent omnia necessaria, vt natura illa posset operari secundùm subsistentiam creatam: ergò &c. *si ergò aduersarij* opinantur, in natura non esse compatibilem vnionem hypostaticam cum peccato; debent etiam dicere, vnam naturam non posse subsistere duplici subsistentia.

29 *Quinta principalis ratio.* Formam esse in subiecto, & illi non communicare suum effectum formalem primariũ, repugnat; at effectus formalis subsistentiæ personalis, est reddere naturam interminabilem: ergò natura, dùm est sub vna subsistentia personali, habet implicantiam ad simul terminari altera subsistentia. *Accipe* paritatem istam: subsistentia absoluta Diuinæ naturæ nõ redderet naturam creatam assumptã interminabilem, & incommunicabilem; quia subsistentia illa absoluta non est in se incommunicabilis: ergò, cùm subsistentia personalis sit formaliter incommunicabilis, & interminabilis, non poterit non reddere naturã assumptam non interminabilem: cùm forma hominis det esse proportionatum suæ naturæ.

30 *Replicabis* efficaciter contra nos: natura Diuina, etiam coniuncta Paternitati Diuinæ, restat communicabilis Filio, & Spiritui sancto: ergò non est de ratione personalitatis incommunicabilis reddere naturam incommunicabilẽ, & interminabilem.

*Negabis consequentiam,* & paritatem, notando, quòd essentia, & natura Diuina sit infinita, ac proindè potest cõmunicari tribus personis; natura autẽ creata, ob sui finitudinem, & limitationem, minimè valet simul cõmunicari pluribus personis.

Con-

*Cõtrà*: ex eo, quod natura Diuina cõmunicetur tribus personis, hoc nõ arguit, ipsã maioris esse infinitatis, quàm si vni tantùm communicaretur: ergò ex eo, quod natura creata assumeretur à tribus personis, non esset proindè magis infinita, quàm si vni tantùm communicaretur. Antecedens patet: quia in principijs Scotisticis tres Personę Diuinæ nullam includũt perfectionem, quam non includat vna tantùm persona earum. Vide quolibeto quinto.

*Respondebis secundò*, personalitatem esse incommunicabilem naturæ intellectualis existẽtiam, idest facientem naturam, cui conuenit, non dependere ab vlla alia persona; ac proindè quãdo natura creata haberet vnam aliquam personam, esset incommunicabilis vlli alteri personæ. *Contrà*, non obstante, quòd natura Diuina cõmunicetur personæ Patris, adhùc est communicabilis, & communicatur personæ Filij, & Spiritus sancti: ergò falsa est doctrina data. *Dices*, doctrinam illam, quamuis deficiat in Diuinis, valere tamen in creatis. *Contrà*; nàm ità dicendo, petis principium; dic mihi quæso? Cur necessariò vera sit talis doctrina in creatis?

31 *Ad argumentum ergò in se* negamus naturam Diuinam subsistere subsistentia personali; quia de se est completissima substantialiter, vt propositione prima huius disputationis probauimus; Pater ergò dicitur subsistere, & personari à paternitate, filius à filiatione, & Spiritus sanctus à spiratione passiua: quilibet enim horum est incommunicabilis alterius personalitati; essentia autem non sic; ac proindè persona efficit, vt natura, quam afficit, & subsistere facit, indispensabiliter non communicetur alteri, & consequenter natura creata dependens ab vna persona nequit simul dependere ab altera.

32 *Tandem ità* dico. Vel natura creata depẽderet à pluribus personis ità, quòd quælibet persona adæquatè ipsam personaret; vel ità, vt vna adæquatè personaret ipsã, & reliquæ nihil facerent; vel ità, vt personaretur ab omnibus simul sumptis, tãquàm ab vno termino totali aggregato ex pluribus terminis partialibus. *Primum* dici nequit, vt patet ex supradictis, vbi vidimus, idem non posse simul fieri à pluribus causis, vel principijs totalibus. *Si secundum* dicatur; non est ad rem nostram: quia tunc assumeretur ab vno tãtùm. *Si tertium* dicatur; non est contra Scotum, nec cõtra nos, qui fortè cõcederemus ad ampliorem doctrinã, vnã naturã posse subsistere triplici subsistẽtia partiali. Tamen sẽper stabiles sumus in nostra propositione negãte, vnam naturã creatã posse simul subsistere duplici subsistentia totali, &c.

PRO-

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Nostram propositionem impugnant, quæ sequuntur.*

33 PRimò: quod non repugnat à parte rei, Deus facere potest; sed naturam simul assumi à pluribus non repugnat: ergò &c. Probatur minor; si repugnaret: maximè foret, quia esset iam personata; sed hoc non: quia, propria personalitate etiam personata, non dicit repugnantiam, sed duplicem solùm negationem, scilicet, negationem dependentię actualis, & aptitudinalis, non verò negationem dependentiæ potentialis: ergò non dicit repugnātiam ad assumi.

*Respondetur*, quòd, manente illa duplici negatione in natura, nequit ipsa vlteriùs personari propter contradictionem; aliàs enim communicaretur, & non communicaretur; & consequenter multò magis, stante vna personalitate Diuina, quæ vltrà negationem, ponit repugnantiam positiuam. *Hoc totum patet* exemplo de Cœco, qui, permanente priuatione lucis, neque de potentia absoluta Dei potest videre, licèt non habeat repugnantiam positiuam ad videndum, imò habet aptitudinem.

34 *Secundò*. Vnum accidens potest esse in pluribus subiectis simul; sed simillima est dependentia hæc: ergò vna natura poterit esse in pluribus personis. *Cōfirmatur primò*. Sicut non est impossibile, aliquam vnam relationem numerò inueniri in pluribus Diuinis suppositis relatiuis, & subsistere in ipsis; itá non videtur impossibile de natura creata subsistere in illis simul. Antecedens patet: quia licèt in relationibus constitutiuis se excludant personæ; tamen in relationibus non constitutiuis, & in natura Diuina nō se excludunt, imò plures in aliqua tali relatione, vel natura possunt communicare, vt patet de spiratione actiua in Patre, & Filio; ergò videtur, quòd etiam in natura creata possint simul communicari itá, quod subsistat in illis. *Confirmatur secundò*: quia nec repugnat ex parte personarum, nec ex parte naturæ assumptæ: quia nō magis determinat vnitatem suppositi extrinseci, quàm pluralitatem; sed si vnitatem aliquam determinat, erit proprij suppositi; ergò respectu alieni non repugnat sibi multitudo, sicut nec vnitas.

35 *Respondetur ad argumentum* distinguendo antecedens, quòd duplex est dependētia acciden-

tis

tis ad subiectum; & quantùm ad informationem, fortè potest plura subiecta informare; quantùm verò ad sustentificationem est simillima huic vnioni, licèt terminus, siue subiectum accidentis, non habeat rationem vltimi actus, sicut subsistentia; quare accidens fortè posset esse in pluribus subiectis, non verò natura in pluribus personis.

*Ad primam confirmationem respondetur*, verum esse tres Diuinas personas non se excludere ab vna, & eadem natura Diuina, & ab aliqua relatione non constitutiua; indè tamen non sequitur, ab eadem natura creata semel, & totaliter ab vna persona terminata non se excludere. *Ratio est*, quia spiratio non habet dependentiam ad personas Diuinas eo modo, quo natura ad suppositum; quia ipsa se habet, vt actus, à duabus personis ratione vnius principij egrediens. Quòd autem sit in duobus, hoc est: quia transit in perfectam identitatem cum illo principio, scilicet essentia, & voluntate fœcunda, quæ eadem numero est in duobus.

*Ad secundam confirmationem* negatur, naturam non magis determinare vnitatem, quàm pluralitatem suppositi extrinseci: quia sicut determinat vnitatem proprij, vt argumentum fatetur; ità vnitatem supplentis extrinseci huius, vel illius disiunctiuè quidem, sed vnius.

36 *Replicabis*. Natura assumpta à Verbo dicit potentiam obedientialem ad hoc, vt assumatur à Patre: nàm talem potentiam obedientiálem habebat, antequàm assumeretur à Verbo: ergò, stante assumptione à Verbo, potest etiam assumi à Patre. *Respondetur* negando cōclusionem, quia si sit vna potentia obedientialis ad Patrem, & filium; cùm iam sit reducta ad actum à filio; nō potest ampliùs reduci à Patre; si autem sint tres potentiæ obedientiales ad tres personas, reducta vna ad actum, stante illa in actu, nequeunt aliæ reduci ad actum; sicut, licèt in pariete sint duæ potentiæ ad albedinem vna, alia ad nigredinem; non tamen possunt reduci simul ad actum.

37 *Replicabis*: antequàm natura assumeretur, erat assumptibilis diuisim à quacumque persona; (poterāt igitur tunc omnes personæ agere ad talem vnionem) aut igitur fuisset assumpta à tribus, aut à nulla, aut ab aliqua; *Si primum*, habeo intentum. *Secundum* dici non potest: quia si omnes agunt, & natura sit in potentia obedientiali, nō apparet ratio, cur à nulla assumatur. *Tertiū* affirmari nequit: quippè nō est maior ratio de vna, quàm de alia; cùm quælibet sit æqualis virtutis, & æqualiter agat. *Respondetur*, quòd assumeretur ab illa persona, quam determinaret Diuina voluntas, etsi Di-

uina

uina voluntas nullam perſonam determinaret, à nulla aſſumeretur; cũ non ſit maior ratio vnius, quàm alterius, & ab omnibus ſimul aſſumi nequeat.

*Adde*, argumentum retorqueri poſſe in aduerſarios nobiſcum docentes, non valere vnam naturam ſubſiſtere ſimul ſubſiſtentia propria, & aliena; *ſit tale argumentum*. Natura pro eo ſigno, quo anteit omnem perſonalitatem, eſt in potentia obedientiali ad Deum, vt ſubſiſtat ſubſiſtentia propria, vel aliena; & hanc potentiam obedientialem ad Deum minimè deperdit natura, dum eſt ſub propria perſonalitate: ergò poterit natura ſubſiſtens propria perſonalitate eleuari à Deo ad ſubſiſtendum ſubſiſtentia aliena ſimul; patet ergò vanitas, & debilitas huius argumenti.

38 *Nec maioris roboris* eſt illud aliud deductum ex eo, quod natura diuina ſit in pluribus: ergò id poterit ope Diuina cõmunicari naturæ humanæ. *Grandis namque* eſt diſparitas: quandoquidem, quòd eſſentia Diuina ſit in pluribus; minimè prouenit ex eo, quod ipſa indigeat ſubſtentari, & quòd perſonæ terminent dependentiam illius naturæ: nàm eſſentia Diuina propria gaudet ſubſiſtentia abſoluta ex propoſitione prima huius diſputationis; nec indiget aliquo extrinſeco ſubſtentante; eſt ergò eſſentia Diuina tribus in perſonis per realem idẽtitatem: cùm ergò eſſentia ex eo, quod eſt in Patre, non deperdat ſuam infinitatem, identificabit ſibi Filium, & ita poterit eſſe in illo, ſicut & in Spiritu ſancto: cùm nunquàm auferatur infinitas radicalis, quæ eſt fundamentum talis eſſe in tribus perſonis. At humanitas poteſt eſſe in perſona Diuina propter indigentiam ipſius humanitatis, vt ſubſtentetur. Hinc, cùm per ſubſiſtentiam Verbi integrè, & totaliter expleatur indigẽtia humanitatis; nullus reſtat locus pro alia ſubſiſtentia.

39 *Tertiò*. Prius poteſt manere ſinè ſuo poſteriori, & ita nõn repugnat multiplicari poſterius, licèt non multiplicetur, nec varietur prius; ſed ratio perſonæ poſterior eſt, quàm natura: ergò non repugnat, perſonam multiplicari in eadem natura. Maior patet: hoc enim poſtulat prioritas vnius ſupra aliud; *& probari* poteſt inſtantijs: quia ſubiectum manens idem recipit plura accidentia, *verbi gratia* plures ſcientias; *item* plures relationes, *verbi gratia* plures paternitates.

*Reſpondetur*, poſterius poſſe multiplicari, non multiplicato priori, quando prius abſolutè, & ſimpliciter nõ expoſtulat poſterius, vt vnicum, & integrum, totale complementum; at natura ſic expoſtulat ſubſiſtẽtiam: ergò minimè eſt multiplicabilis ſubſiſtentia cum vnitate naturę;

 ſic

sic etiam, etsi filiationes sint posteriores entitate genita, non tamen multæ filiationes ad plures Patres possunt multiplicari cum vnitate illius naturæ.

40 *Quartò.* Beatus Franciscus in Patria eadem visione Beatifica videt Patrem, Filium, & Spiritum sanctum: ergò qua ratione visio Beatifica terminata ad personam Patris, potest simul terminari ad personam Filij, & ad personam Spiritus sancti; ita natura terminata à subsistentia Verbi, valebit etiàm terminari à subsistentia Patris, & à subsistentia Spiritus sancti. *Concesso antecedente*, negatur consequentia, & datur disparitas, quæ consistit in hoc, videlicet, quod visio Beatifica habeat pro obiecto primario, & immediato essentiã Diuinam; pro secundario verò, & mediato personas diuinas: at natura in ordine ad subsistentiã deberet habere vtramque subsistentiam immediatè terminantem; quod repugnat. *Si verò argumentum* velit demonstrare, nullam esse repugnantiam, vt natura mediatè terminetur ad tres diuinas subsistentias; nihil habet contra nos, qui supra statuimus, essentiã Diuinam posse esse terminum immediatum Incarnationis, & tunc tres personæ dicerentur mediatè incarnatæ.

41 *Quintò.* Pater Aeternus posset immediatè assumere corpus; Spiritus sãctus posset immediatè assumere animam, & Verbum valeret immediatè assumere tertiam entitatem realiter distinctam à partibus. *Nunc sit hoc argumentum.* Assumens totum, debet assumere partes; cum partes physicæ sint de conceptu quidditatiuo totius: ergò, cùm Verbũ in hypotesi data assumpsisset totum, etiam assumpsisset partes; at supposuimus, corpus fuisse assumptum à Patre, & animã à Spiritu sancto; ergo idem corpus esset assumptum à Patre, & à Verbo, & anima esset assumpta à Spiritu sancto, & à Verbo.

*Respondemus*, quòd, si partes deberent assumi à Verbo assumente totum, partes non ampliùs remanerẽt assumptæ à Patre, & Spiritu sancto; & si remanerent assumptæ à Patre, & Spiritu sancto partes illæ, minimè haberent subsistere à Verbo, sed Verbum tantùm suam præstaret subsistentiam tertiæ entitati. *Quod si Damascenus* dicit, partes in triduo remansisse vnitas Verbo; loquitur Sãctus Doctor, vt res se habet de facto; nàm de facto Verbum assumpsit totum, & partes.

42 *Sextò.* Plures paternitates ad plures Filios fundari possunt in eodem Patre: ergò plures relationes dependentiæ ad diuersas subsistentias possunt simul esse in eadem natura. Antecedens in via Scoti suppono; cõsequentiã probo: sicut natura substentata

tata dicit ordinem essentialem ad subsistentiam, à qua constituitur in ratione naturæ subsistẽtatæ; sic pater dicit ordinem essentialem ad paternitatem, à qua constituitur in ratione talis: ergò, si hoc non obstante, potest habere plures paternitates; sic & natura plures subsistẽtias. *Confirmatur*: ideò natura substentata dicit ordinem essentialem, & dependentiam ad subsistentiam: quia pendet ab illa reduplicatiuè, prout substentata, & habet illud esse ab illa; similiter pater habet esse patris reduplicatiuè à paternitate: ergo reduplicatiuè secundùm esse tale, essentialiter pendet ab illa.

*Respondetur* negãdo paritatẽ. Disparitas est, quia relatio paternitatis habet pro fundamento *genuisse*, & talis paternitas habet pro fundamento *tale genuisse*: hinc, cùm in patre sint plura genuisse, non mirum ibi esse plures paternitates, cùm ad pluralitatem fundamentorum, multiplicari valeant relationes; at in natura fundamentum dependentiæ est indigentia substentationis; &, cùm per vnam integram substentationem adæquatè, integrè, & completè satietur indigentia talis naturæ, nullus restat locus pro altera subsistentia. *Et hinc* patet ad confirmationem.

43 *Replicabis*. Si vna natura poneretur in pluribus locis, posset in vno personari vna subsistentia, & in alio altera subsistentia: ergò natura in se minimè intrinsecè abhorret plures subsistentias. Antecedens probant, quę subsequuntur exempla. *Primum* est animæ, quæ potest esse in vno loco vnita corpori, & in alio separata. *Secundum* est accidentis, quod potest esse in vno loco vnitum subiecto, & in alio extra subiectum. *Tertium* est lineæ, quæ potest esse in vno loco curua, & in alio recta: ergò à simili eadem natura poterit in vno loco esse personata personalitate propria, & in alio personalitate Diuina.

*Nos* minimè vrgent hæc adducta. *Primum* negamus: putamus enim, non posse animã alicubi vnitã corpori, alibi nõ esse vnitam eidem corpori; ratio est, quia vnio illa conuenit ipsi independenter à loco. Vndè, si Petrus esset hìc albus, restaret albus vbicumq; poneretur; idem de anima. *Secundo* exemplo occurrendum est ista eadem doctrina. *Quantùm ad tertium* non esset mihi inconueniens, eãdem lineam posse simul in vno loco esse curuam, & in alio rectam, sicut posset homo in vno loco stare, & dormire; in alio autem ambulare, & disputare; & hoc; quia curuitas, & rectitudo conueniunt lineæ per respectum ad locum.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Alia argumenta refelluntur.*

44 THomas ab Argẽtina ita discurrit, atque nostram impugnat propositionem. Potest Deus per miraculum, vnum idemque corpus ponere simul in pluribus locis: ergò & eamdem naturam simul in distinctis suppositis. Cõsequentia patet: nàm sicut natura sufficienter, & totaliter substentatur, & terminatur vna subsistentia;ità corpus sufficienter, & totaliter terminatur vnico loco: ergò si corpus potest replicari simul in altero loco, valebit & etiàm natura stans sub vna subsistentia terminari ab altera.

*Occurrimus argumento*, obseruando, diuersam esse rationem essendi in loco, & personaliter subsistendi. Disparitas est, quòd subsistentia personalis habet pro suo intrinseco, & formali effectu reddere naturam incommunicabilem: dicebat quippè Riccardus: *Subsistentiam esse intellectualis naturæ incommunicabilem existentiam*; si ergò subsistentia personalis habet pro suo effectu formali reddere naturam incõmunicabilem; qua ratione valebit vlteriùs communicari? Non ità tamen de esse in loco.

*Item* locus est terminus locati omninò accidẽtalis, & si corpus diuinitùs poneretur in spatio imaginario extrà omnem locum; adhùc corpus habebit suũ complementum substantiale; personalitas verò spectat ad cõplementum substantiale naturæ singularis; non quantùm ad esse essentiæ, aut existentiæ; sed in esse subsistentiæ, aut personali. Vndè, cùm subsistentia sit complementum naturæ substantialis, sapit naturam illius, & ideò sicut prædicta natura nequit habere plura esse essentiæ, aut existentiæ; ità neque subsistentiæ: accessorium quippè sapit naturam sui principalis, iuxtà vulgare axioma.

45 *Aliud argumentum:* Ex prima propositione humanitas potuisset immediatè assumi à Diuina natura; sed, stante illa assumptione, adhùc posset assumi immediatè à Verbo: ergò tunc humanitas dependeret duplici dependentia totali, scilicet vna à Deitate, altera a Verbo. *Dici potest*, quòd in sensu composito non valẽret.

*Contrà*. Subsistere, & incommunicabiliter existere stant simul in eadem natura: ergò non est repugnantia, vt in sensu cõposito natura terminata ad subsistere, terminetur etiam ad in-

com-

communicabilitatem. *Respondetur*, hoc esse verũ, quando id habet per vnum terminum, non autem quando id habetur per diuersos terminos.

*Contrà.* Subsistere, & personari sunt effectus formaliter diuersi, & separabiles ad inuicem, vt patet de natura, si terminaretur ad subsistentiam absolutam, nõ tamen diceretur personari: ergò possunt esse in ordine ad diuersos terminos formaliter distinctos; effectus nàmque formaliter diuersi petunt diuersas causas formales, vel terminorum, quando sunt extrinseci.

*Respondetur*, indiuisibiliter vtrumque effectum extrinsecum communicari à personalitate Diuina, nec posse vnum haberi sinè alio; ac proindè, si natura est iam substentificata per subsistentiam absolutam, personalitas Diuina non potest immediatè eam ampliùs terminare.

*Contrà.* Ratio independentis, seù substentificantis, est diuersa à ratione præcisa personalitatis, itàut hæc ex natura rei addat aliquid supra ipsam: ergò natura dependens à subsistentia absoluta in ratione substentificantis, potest alterius habere respectum terminatum ad præcisam rationem personalitatis, vt dicatur immediatè personata, sicut dicitur substentificata, &c. & tùnc illæ duæ depẽdentiæ essent alterius rationis, & per vnam diceretur subsistere, per aliam personari. *Si concedatur totus discursus*, nil habetur contra nos, quia solùm negamus, posse eandem naturam habere plures dependentias eiusdem rationis.

# PROPOSITIO SEXTA.

*Partes physicæ, & essentiales nequeunt assumi immediatè in toto; separatìm tamen existentes, assumi possunt: partes verò integrantes, siuè in toto, siuè separatìm existentes, immediatè assumi possunt.*

46 Tres claudit partes nostra hæc propositio; quæ omnes suo ordine restabũt probatæ. *Prima pars probatur:* quia tales partes non habent in toto proprias subsistentias: ergò non possunt habere alienã. Cõsequẽtia patet: quia nil potest hypostaticè vniri alteri, nisi, quod aptum natum sit habere propriam hypo-

hypostasim: ergò si partes essentiales nequeunt in toto habere propriã subsistentiã, nó poterũt habere alienam. Antecedens principale probatur *primò*; quia tales partes sufficiẽtissimè subsistunt in tota subsistentia ipsius totius realiter distincti ab illis partibus: ergò frustrà haberent proprias subsistentias partiales. Hoc antecedẽs patet: quia subsistentia totius naturæ, debet tribuere illis partibus quidquid haberent à propria subsistentia.

*Dices*. Subsistentias partium vnitarum esse subsistentiam ipsius totius. *Contrà*; quia subsistẽtia propria vnius subiecti realiter distincti nequit esse subsistentia alterius realiter distincti, quod non est constitutiuum eius: ergò subsistentia partium vnitarum non potest esse subsistentia tertiæ entitatis realiter distinctæ. *Dices*. Nullã esse rationem, cur subsistentia partium realiter distinctarum, non possit esse subsistentia totius, si subsistentia totius realiter distincti possit esse subsistentia partium: ergò, sicut nos dicimus, partes subsistere subsistentia totius, ita quis posset dicere, totum subsistere subsistentiã partium. *Negatur antecedens*: quemadmodùm enim partes complentur vltimò ab ipso toto, & non è contra; ita subsistentia totius debet dici vltimum complemẽtum partium in genere subsistentiæ, & non è contra.

47 *Deindè* sequeretur absurdum, si totum subsisteret subsistentia partium, quod tamen non sequitur ex eo, quod partes subsistant subsistentia totius: ergò hoc potiùs est dicendum. Sequela maioris probatur: quia si anima in toto haberet subsistentiam suam propriam, & corpus, suam; & his subsistentijs subsisteret natura integra humana; posset natura humana subsistere duabus subsistentijs alienis; vel etiam vna propria, saltem partiali, & alia aliena; vtrũque horum videtur absurdum: ergo &c. Probatur maior: quia in tali casu anima posset assumi ab vna persona Diuina, & corpus ab alia: ergò natura humana subsisteret in duabus illis subsistentijs, & consequenter in duabus personalitatibus alienis. *Deindè* posset assumi vna pars ex illis, alia retinente propriam subsistentiam; sed in tali casu natura subsisteret vna aliena subsistentia, & alia propria, saltem partiali, vt supra dixi: ergò &c.

*Probatur secũdò antecedẽs principale*: effectus subsistẽtiæ est incõmunicabilitas alteri subsistẽtiæ superuenienti; sed subsistentia totius superuenit partibus physicis: ergò non habent alias suas. *Tertiò probatur idem antecedens*: quia ipsa natura humana immediatè assumpta est à Verbo, & priùs natura, quàm partes, quæ mediante natura

solùm

solùm assumptæ sunt; sed hoc faciliùs intelligitur, dicēdo, partes essentiales physicas in toto existentes non habere partiales subsistentias: ergò &c.

48 *Secunda pars* nostræ propositionis probatur exemplo corporis, & animæ in triduo mortis: nàm eadem est ratio de ipsis, ac de quibuscumque alijs partibus physicis. Ex eodem exēplo colligitur, quòd partes separatim existentes habeant proprias subsistentias.

*Probátur duæ vltimæ partes* nostræ propositionis, quia vtroque modo habent proprias subsistentias: quemadmodùm enim totum integrale, siuè homogeneū, siuè heterogeneum, non distinguitur à suis partibus, vt probabiliter dicitur in physica; ità etiā subsistentia ipsius non distinguitur à subsistētijs partialibus partium integrantium; sed ex his integratur, & componitur. Et hinc oritur disparitas inter totum integrale, & essentiale, eorumq; partes quantùm ad præsentem difficultatē; quod vnū sit tertia entitas realiter distincta à partibus, aliud verò nō. *Videatur Scot. 3. d. 2. q. 2. §. quantū ad primū.*

49 *Contra primam partem Conclusionis obijcies*: in triduo mortis Christi mansit vnio corporis, & animæ ad Verbum: ergò immediatè vniebantur ipsi, & non tātùm mediante humanitate; sed hoc nequit fieri, nisi haberent proprias subsistentias, quæ tollerentur per illā vnionem: ergò: *Respondetur* distinguendo antecedens: mansit vnio, quæ anteà fuit; nego; quæ tunc producebatur; concedo; & nego cōsequentiam, & subsumptum. *Nec tamen* hinc sequitur, corpus, aut animam fuisse vnquàm à Verbo dimissa: nàm, sicut verum est dicere, materiam primam nunquàm esse sinè forma, quamuis dimittat vnam formam, ex eo, quod in eodem instanti, quo vna priuatur, incipiat esse sub alia; ita verum est dicere, corpus, & animam Christi nunquàm fuisse absque vnione ad subsistentiam Verbi: quia in eodem instanti, quo desijt vnio immediata totius, qua anteà vniebantur mediatè tantùm partes, inceperunt duę alię vniones immediatæ ipsarum partium ad eamdem subsistentiam Verbi.

50 *Contra tertiam partem* conclusionis instabis. Si darentur subsistentiæ partiales partium vnitarum, deberent inter se vniri per alias vniones: at multiplicarentur entia sinè necessitate: ergò &c. *Respondetur primò* negando sequelam: quia sufficeret vniri subiecta earum ad hoc, & ipsæmet sufficienter dicerētur vniri; præsertim, si dicantur consistere in negationibus. *Respondetur secundò*; si non sufficiat vniri subiecta, non multiplicari entia sinè necessitate admittendo alias vniones inter ipsas subsistentias: nàm ex illa hypothesi hoc necessa-

cessariò admittendum est.

*Replicabis* contra eàdem partem: si aqua *verbigratia* esset assumpta à Verbo diuino, faceret cum eo suppositum: sed si assumeretur vnita cum alia aqua, hoc non faceret: ergò nequit assumi. *Respondetur* distinguẽdo maiorem: si esset separata ab alia aqua, concedo; si coniuncta, nego maiorem, & consequentiã: sicut enim vna pars aquæ separata faceret cum subsistentia propria suppositum, & coniuncta cum alia aqua sinè deperditione vllius entitatis positiuæ, faceret cum illa alia aqua vnum suppositum tantùm, ità faceret Verbum Diuinum, supplens locum propriæ subsistentiæ, vnum suppositum cum aqua separata, licèt cum cõiuncta faceret idem suppositum, quod faceret alia pars aquæ superaddita, nec in hoc vllum est absurdum.

51 *Dices primò*: si aqua separata esset assumpta, & postea coniungeretur cum alia aqua, non deperderet illam formalitatem, aut realitatem, à qua denominaretur suppositum: ergò deberet sic denominari; & cõsequenter, quod non potest sic denominari, non poterit habere illam formalitatem. *Respõdetur* distinguendo antecedens; non perderet realiter; concedo; formaliter, hoc est, vt dat illam denominationem; nego: quia ad hoc requiritur negatio vnionis physicæ cum illa alia aqua. Hoc modo eadem entitas positiua dat rationem personæ vni naturæ, quod tamen non daret alteri; vndè non est mirum, quòd eadem formalitas realiter existens, non existat formaliter quantùm ad denominationes, nisi existentibus conditionibus extrinsecis, à quibus dependet in ordine ad tribuendas tales denominationes.

*Dices secundò*: ergò si personalitas creata sit quid positiuũ, non debuit perdi in assumptione naturæ humanæ. *Respondetur* negando consequentiam: quia eadem ipsa natura secundùm eandem partem, quæ deberet affici propria personalitate, afficitur immediatè vnione ad personalitatem Verbi: eadem autem pars non potest immediatè affici pluribus subsistentijs, licèt idem totum possit affici pluribus subsistentijs, quarum vna, vni parti, & altera alteri immediatè correspondeat.

PRO-

# PROPOSITIO SEPTIMA.

*Potest vna persona Diuina plures ad se sumere naturas humanas, hoc est cum multis hominibus incarnari; & quod de natura humana dicetur; de quibuscumque alijs naturis dictum esse volumus.*

52 VErbum Diuinum, vnicũ dumtaxat assumpsisse hominem, Fides Catholica docet; potuisse tamen idem Verbum, remanente illa Incarnatione, vniri cum alijs hominibus personaliter, est commune Doctorum placitum: nihilominus hæc possibilitas ità

*Probatur*. Ea, quæ sunt compossibilia, propterea quod sibi inuicem non aduersantur, vniri possunt: sed variæ dependentiæ variarum naturarũ, aut diuersorum indiuiduorum, nullam habent inter se pugnantiam, suntq; compossibiles: ergò possunt vniri cum qualibet persona Diuina, à qua illæ naturæ, vel hæc singularis, dependeant eo modo, quo homo Christus vnitur Diuinæ personæ secundæ, & ab illa pendet. *Innititur* possibilitas nostrę propositionis illi documento, quod nos docuit Logica, scilicèt, *vnum, & idem posse esse terminum multiplicis relationis realis*. *Vndè* sic argumentamur. Possunt multiplicari fundamenta variarum relationum, atquè etiam relationes in illis fundatæ, manente vnitate termini, vt videre est in vno Patre plures habente filios: sed assumptio variarum naturarum in vnitate suppositi, atquè personæ, nihil aliud est, quàm vnicum esse terminum multiplicis relationis, atquè diuersorum fundamentorum: ergò huiusmodi assumptio est possibilis.

53 *Dices contra primò*. Ab vnica causa non potest prouenire, saltem simul, duplex effectus totalis, quinimò neque successiuè, si prior sit ipsi omnino adæquatus, & adhuc durans, vt clarescit in intellectu, & voluntate Diuina, quæ propterea non possunt plures filios generare, nec plures spiritus spirare: sed personalitatis Diuinæ adæquatus est vnicus effectus, scilicet personatio Naturæ Diuinæ: ergò nõ potest plures creatos. *Respon-*

*deo primò*, si argumentum valeret, probaret, quòd nec vnam naturam creatam posset Natura Diuina terminare. *Respondeo secundò* distinguendo maiorem: à causa efficiente, seù quasi efficiente non potest esse duplex effectus, &c. concedo; ab aliquo terminante tantùm, nego maiorem. *Tandem respondeo*, non posse ab eadem causa prouenire duos effectus, qui singuli sint adæquati virtuti causæ, tàm intensiuè, quàm extensiuè, &c. at verò post terminum, qui habet esse à causa terminante tantùm extensiuè, possunt plures simul ab eodem esse principio.

54 *Dices secundò*, ex nostra propositione sequi plura absurda. *Primò*: idem suppositum suppositaret plures naturas etiàm distantes; & quæ loco distarent, essent supposito vnitæ. *Secundò*, inter disparatas naturas creatas daretur idiomatum communicatio, vt si altera natura esset Angelica; dici posset: quod idē esset corporeum, & spirituale. *Ad primum* negatur absurditas: nàm in triduo mortis Christi Domini, anima separata, & corpus subsistebant eodem supposito Verbi, & tamen ipsa loco distabant: anima enim in Limbo erat, corpus autem in sepulchro. *Ad secundum*: Communicatio idiomatum non est absurda inter naturas disparatas eiusdem suppositi: hinc de facto prædicata opposita verificantur hinc inde de duabus naturis in Christo.

*Moneo tamen*, quòd in casu præsenti minimè daretur inter duas naturas tàm exacta idiomatum communicatio, sicut de facto datur inter Naturam Diuinam, & Humanam in Christo. Huius rei ea est ratio: quòd suppositum in hoc casu esset realiter distinctum ab vtraque Natura; at verò in Incarnatione altera natura; scilicet Diuina est realiter eadem supposito; daretur tamen aliqua communicatio, qualis de facto est inter accidentia eiusdem subiecti, quæ ratione eiusdem suppositi de se inuicem dicuntur in concreto; sic dum in eodem sunt albedo, & dulcedo, dicitur *album esse dulce, & è contra*.

55 *Contendunt hoc loco Theologi*; esset nè dicendus *homo vnus, vel plures*? Multa forent hìc notanda, & resoluere oporteret, quid sufficeret ad multiplicationem; & pluralitatem, de quo multi multa disputant. *D. Thomas hìc disp. 1. qu. 2.* absolutè vult, dicendos plures homines, quamuìs non desint Thomistæ; qui in opposito sensu ipsum sequantur. *Scotus se remittit ad primum dist. 12.* ex quo loco Scotistis placet diuersimodè Scotum explicare. In Reportatis clariùs se explicat pro pluralitate. *Vndè Respondeo*, si Verbum assumpsisset plures humanitates, esset quidem tātùm vnus humanus, sed plures ho-

homines. *Ita Doctor citatus dist.* 1. *qu.* 2. *tertij*. *Sit ratio*: Naturæ assumptæ essent multæ; personalitas assumens ageret vices plurium personalitatum: ergò habentur necessaria, vt assu mẽs diceretur plures. Res est logica; hinc sicco pede hic transij; addam tamen alia inferiùs.

# PROPOSITIO OCTAVA.

*Fieri potest, vt Natura Intellectualis vnita Diuinæ Essentiæ, seu Persònæ, non fruatur ea, quamuis illa Natura, quæ est vnita Verbo, in ipso primo instanti vnionis habuerit perfectam fruitionem.*

56 DOcet prima pars, naturā intellectualem, scilicet Angelicām, & humanam vnitā Diuinæ Essentiæ eo modo (quo n. 1. diximus, Diuinam Essentiam sinè Personis) posse esse terminum istius vnionis; posse habere integram vnionem, & tamen de facto non frui, quamuis sit Diuina Essentia obiectū Beatificum. *Ratio est*: quia actus primus præcedit actum secūdū, & priùs est esse, quàm operari: vnio facit esse, & in eo consistit actus primus, fruitio est actus secundus, & consistit in operatione; Diuina potentia potest impedire nè sit operatio, & actus secundus, quamuis sit actus primus: quia potest destruere omne posterius, conseruato priori: ergò &c.

*Sit alia ratio*. Quæ ab actu libero pendent, impediri, & prohiberi possunt, quamuis naturalia supponantur; est autem Diuina Essentia obiectum liberum fruitionis, vndè fit, vt non semper beatificet, quamuis sese offerat in ratione obiecti; ac proinde poterit à Deo permitti, atquè etiàm effici vnio naturæ intellectualis cum Essentia Diuina ita, ut virtute vnionis natura assumpta habeat intimè præsentem sibi Diuinam Essentiam, quam tamen non concomitabitur fruitio. Quidquid sit de possibili, fide certa credimus, hominem à Verbo Diuino assumptum, ipso instanti creationis; & vnionis habuisse perfectam Diuinæ Essentiæ visionẽ, & fruitionem. Qua de re alibi.

57 *Contra nostram propositionem dices*; stante præsentia obiecti beatifici mouente intellectum ad actum videndi Deum, impossibile est, voluntatem creatam non frui ipso: quia naturaliter

fertur in tale obiectũ claré propositum, nec habet impedimentum; ergò non potest non frui; sed ex vi vnionis hypostaticæ, obiectum beatificum secundùm quod huiusmodi præsentatur intellectui perfectissimè, & intimè, & per consequens mouet ad actum videndi fortiùs, quàm intellectus Beatorum, quibus nõ præsentatur ita intimè cum eis constituens vnum suppositum, ergo, &c. *Confirmatur*. Impossibile est, obiectum beatificum esse præsens potentiæ, vt beatificum est, & non beare potentiam: sed ex vi vnionis est præsens potentiæ; ergo, &c. Antecedens patet à paritate de oculo; nam repugnat obiectum coloratum esse præsens oculo, & oculum non videre.

*Respondetur*, quòd etiam stante visione in intellectu, non est absolutè necessarium, voluntaté frui eo, sed potest non frui, & non velle obiectum visum: nam circa Deum clarè visum, gaudet voluntas libertate contradictionis, vt dixi de Actibus humanis, & habet Scotus in materia de fruitione. *Adde*, quòd stante Visione Dei, posset Deus denegare concursum ad actum fruitionis. *Legatur Scotus* quolibeto 14. vbi docet Essentiam Diuinam non concurrere ad visionem beatificam, vt essentia est per modum naturæ, sed vt voluntas est libera immediatè.

58 *Dices* obiectum mouens potentiam, semper seruat eundem mouendi modum ita, ut, si naturaliter moueat aliquam; naturaliter moueat omnem, sed essentia Diuina naturaliter mouet suum intellectum: ergo & nostrum. *Respondetur ex Scoto*; si obiectum moueat immediatè omnem Potentiam, maiorem esse veram; falsam verò, si vnã immediatè, alteram vero mediatè; vt contingit in casu nostro; essentia enim Diuina mouet intellectum suum immediatè, nostrum autem mediãte voluntate. *Contra*; quia, si Volũtas Diuina mouet nostrum intellectum immediatè, sola Voluntas videretur à Beato, & nõ essentia. *Respondet Scotus cit. lit. AA.* Diuinam volũtatem propter identitatem, quam habet cũ essẽntia, & propter suam infinitatem esse sufficientem, non solùm, vt moueat ad sui visioné, sed etiam ad visionem essentiæ, sicut (inquit Doctor) propter suam infinitatem est principium sufficiens, vt Pater, & Filius communicẽt essentiam Spiritui sancto. *Video* non adhùc quietari intellectum; nam dico, vel voluntas est primum mouẽs, vel essentia, sed neutrum est: ergo si essentia, ergo naturaliter mouet, & non liberè; si voluntas, ergo aliquid recipit essentia à voluntate. *Respondetur*, quòd voluntas est immediatum, & primum principium mouẽs, nec essentia recipit aliquam perfectio-

ctio-

ctionem à voluntate, quia quod recipit, est producere ad extra, quod nullam in Deo ponit imperfectionem, quia licèt Deus nil produceret ad extra, tamen esset ità infinitè perfectus, sicut modo producendo. *Dices*, si voluntas Diuina propter identitatem cum essentia est sufficiens, vt moueat ad cognitionem essentiæ, ergo Voluntas Angeli erit sufficiens ad cognitionem essentiæ Angeli, cum qua identificatur. *Negatur paritas*: quia secundũ Scotum Voluntas Diuina est sufficiens non solùm propter identitatem, sed etiam proptèr identitatem formalem, qua infinitate caret Angeli Voluntas.

# DISPVTATIO TERTIA.

## *De Personalitate, seù subsistentia Creata.*

1 DIximus supra, mysterium Incarnationis consistere in eo, quod Christi Humanitas, propria, & creata subsistentia denudata, eleuata fuerit ad subsistendum Verbi Diuini subsistentia. Ad pleniorem tantæ rei intelligentiam, placet declarare, quidnam sit id, in quo creata subsistentia consistit.

*Antiquis Philosophis* incognita fuit distinctio inter naturam substantialem, & subsistentiã, seu hypostasim, vel Personalitatem; nec nobis innotuit, nisi ex Mysterio Trinitatis, & Incarnationis; nimirùm Natura Diuina est in se natura substãtialis, & singularis, sed non subsistens incommunicabiliter, nec suppositum, nec Persona; sicut nec Christi humanitas, prout præscindit à Verbo Diuino: hinc fit, vt de subsistentia, seu hypostasi, quæ cum natura constituit suppositũ, minimè liceat nobis aliter philosophari, quàm prout per fidẽ innotuit. *Quare primò suppono*, subsistentiã posse capi dupliciter. *Primo modo*, vt est concretum, & significat illud, quod per se subsistit. *Secundo modo*, vt est abstractum, & significat formalem modum, & rationem, à qua res habet, vt per se subsistat; quæ potest dici ratio per se subsistendi. *Hic agimus* de subsistentia, prout significat rationem formalem, seu rationem, à qua res habet, quòd formaliter subsistat. *Moneo insuper* me locuturum de subsistẽtia, suppositalitate; & personalitate, vt sunt in rebus creatis. Itèm per *Naturam*, hìc non intelligi naturam communem, quomodo à re singulari distinguitur. Vndè per *ly Naturam*, in-

intellectam volo naturam singularem, & indiuiduam, veluti est natura Caroli, &c.

2 *Hinc peto, quomodò subsistentia distinguatur à Natura* singulari Caroli. *Dicam* clariùs: omnis homo in indiuiduo habet singularem, & indiuiduam naturam humanam, vel humanitatem; vndè Christus habet etiam humanitatem; & naturam singularem, sicut cæteri habent homines: Est tamen discrimen inter Christum, & homines reliquos: nàm humanitati Christi non fuit data debita alijs hominibus personalitas; Hinc non est in se Persona: quia aliàs in Christo esset duæ Personæ, quod damnat Catholica fides; at Humanæ Naturæ, qualis est in Carolo, vel Chrysantho, nil deest eorum, quæ ad rationem personæ, vel suppositi pertinent: sunt enim Carolus, & Chrysanthus Personæ.

Ergò nunc quæritur, quid desit humanitati Christi, quominus sit Persona; & in oppositum, quid habeant cæteri homines, per quod sint personę; hoc enim, quod his datum, & Christo negatum est, erit; quod vltra naturam humanam requiritur ad rationem personæ, siue quod personalitas addit humanitati. Vt ad petitionem igitur respondeatur; sit

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Humanitas, & Personalitas distinguntur realiter.*

3 Ratio est: suppositalitas abesse potest à natura: ergò, distinguitur ab illa. Antecedēs patet exēplo humanitatis Christi, cuius humanitas fuit denudata propria subsistētia. Si enim Christi humanitas propriam haberet subsistentiam, iàm esset persona; ergò tunc Christus foret duplex persona, quod damnant Theologi cuncti: ergò certo certius est; humanitatem distingui realiter à personalitate, & non esse identificatam. Quæ enim talia sunt à parte rei, nequeunt diuelli: quippè separatio proportionatur distinctioni, & quæ realiter separari valent, reali secernuntur distinctione: Non ergò amplectendus *Durādus in primo dist. 34. qu. 1.* aiens: Naturam creatam, & eius suppositalitatem sola ratione secerni ex modo concipiendi in abstracto, & in concreto, adeò vt istæ propositiones verificari possent: *Homo est humanitas, & è contra.*

PRO-

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Non solùm Humanitas distinguitur realiter à propria subsistentia, sed etiam Angelica Natura realiter secernitur à propria subsistentia.*

4 ITa patet: quia sicut humanitas fuit assumpta ad personalitatem Verbi; ita potuisset Deus Angelicam assumere naturam, vt sacra astruit scriptura *ad Hebræos* 12. *Nunquam Angelos apprehendit; sed semen Abrahæ apprehendit*: ergò potuit naturam Angelicã assumere: alioquin nõ commenderetur ex hoc misericordia Dei erga semen Abrahæ. *Video* argumentum hoc nõ habere locum apud docentes, nullam solidam inueniri repugnantiam, quin vna, & eadem numero Angelica natura posset ope superna subsistere simul subsistentia Verbi, & propria. Vndè in casu assumptionis Angelicæ naturæ restaret duplex personalitas: nec exemplũ ex humanitate assumpta, quæ caret propria personalitate, concludit, quòd eadem, sua propria spoliata, restaret Angelica natura, casu quo assumeretur. *Ratio est*: quia de Christo ita rẽ de facto se habere, docet fides. Quid autem quando de absoluta Dei potentia agitur? nil determinauit fides. *Placato animo* do totum discursum. *Hinc noto*, me esse locutum consequenter ad nostra principia, iuxta quæ per nullam potentiam valet vna Natura duplici totali subsistere subsistentia.

5 *Petes primò. vtrùm de facto inter omnem creatam Naturam, & eiusdem subsistentiam cadat realis distinctio.*

*Pater Arriga disp.4.met.sess.13. subsessione* 1. partem tuetur affirmantem, ea ductus ratione; quòd Homo cũcta excedat perfectione: Vndè, si non obstante hominis maiori perfectione, ipsius subsistentia distinguitur realiter ab illo; concludendum dicit idem de omnibus imperfectioribus homine.

*Debile credo* hoc fundamentum; nàm in multorum sententia materia prima propriam habet subsistentiam, quam tamen minimè concedunt formæ, licèt sit perfectior materia: ergò similiter concederent, aliquod imperfectius idẽtificare sibi subsistentiam, estò illam identificatam non habeat homo. *Sit altera ratio*: forma substantialis quæ-

quæcumque est perfectior materia; hoc tamen non obstante, materia nequit dicere depẽdentiam ad subiectum, ex cuius potentia educatur; cùm tamen talem dependentiam minimè abhorreat forma materialis. *Adde*, quòd, quamuis homo in cæteris de ipso dictis, censendus sit perfectior cunctis corporalibus; tamen non foret improbabile; hominem excedi à cæteris, vel ab aliquibus ex ea parte, qua sibi identificarent propriam subsistentiam. *Habes ergò* infirmitatem discursus Patris Arriagę. *Mihi* nihilominus placet pars affirmatiua, quia pro illa pugnat cõmunis Philosophorum, & Theologorum consensus.

6 *Petes secundò. Posset nè de potentia Dei absoluta dari aliqua natura creata indistincta realiter à sua subsistentia, vel personalitate?* Eminentissimus Lugo *de Incarnatione disp. 12. sessione 2. num. 21.* partem tuetur negatiuam, illamquè ità suadet: quia realis distinctio inter naturam, & subsistentiam, non conuenit naturæ corporeæ, quia corporea est: quippè aliàs iam de facto natura carens corporeitate, minimè haberet illam distinctionem; nec etiam conuenit naturæ spirituali, qua spiritualis est: quia tunc natura corporea identificatam sibi haberet propriam subsistentiam: ergò adęquata, & fundamentalis ratio distinctionis naturæ à personalitate petenda est à conceptu creaturæ in se. *Ex quo* fit, quòd creatura, quæcumque illa sit, sẽper debeat distingui realiter à propria subsistentia. Corroborat suum discursum ex eo: quod non videtur possibilis alius gradus substantiæ perfectior, supra gradum substantiæ intellectualis, in quo sunt Angeli.

7 *Solidum nõ credo discursum istũ:* dicerem quippè, rationem distinctionis inter naturam, & propriam subsistẽtiam, nequaquàm esse attendẽdam ex ratione corporeitatis in se, vel spiritualitatis in se, vt doctè demonstrat *Lugo*; sed dicerem prouenire ex ratione creaturæ talis, vel talis, ea ratione, qua dicunt Philosophi, inhærentiam actualem non esse de essentia accidentis in se, sed talis accidentis; nàm si inhærentia actualis esset de essentia accidentis in se: cùm, quod essentialiter conuenit superiori, conueniat & etiam inferiori; deberet accidens quodcumque illud sit, siuè absolutum, siuè respectiuum includere essentialiter inhærentiam actualem; cùm tamen oppositũ doceat fides Catholica, volens, accidentia in Eucharistiæ Sacramẽto minimè habere actualem inhærentiam: inhærẽtia ergò actualis solis respectiuis accidentibus est essentialiter debita. *Ità in re nostra.*

8 *Responderem*, quòd distinctio personalitatis, vel subsistentiæ non habeatur ex conceptu creaturæ in se, vel ex conceptu corporei

poreitatis in ſe, vel ſpiritualitatis in ſe; ſed tantùm ex ratione talis, vel talis creaturæ. Quo fit, vt aliqua creatura ſecernatur realiter à propria ſubſiſtentia, & alia poſſet dari habens ſibi realiter identificatam propriam ſubſiſtentiam. *Ad id* de maiori perfectione gradus intellectiui, &c. iam dixi, maiorem, vel minorem perfectionem non cōcludere realem diſtinctionem, vel realem identitatem. *Addo*, me non eſſe certum, vtrùm dari poſſit, nec nè gradùs intellectiuus perfectior eo, in quo de facto sūt Angeli. Dic, quòd ſi quis aſſereret, ſupremum gradum intellectiuum nobiliſſimi Angeli, qui de facto datur, habere ſibi identificatam ſubſiſtentiam propriā, difficiliter conuinceretur falſitate: diceret quippè ex Angelis, aliquos habere ſubſiſtentiam à ſe diſtinctam, & de iſtis intelligendum aſſertum illud ad Hebræos: *Nunquam Angelos apprehendit*. Verùm cum hoc ſtaret, aliquos Angelos ſuperiores apprehendi minimè poſſe: quippè identificatam habeāt propriam ſubſiſtentiam.

9 *Suarez in metaphyſica diſp. 34. ſeſſione 3.* probat repugnantiam creaturæ ad ſibi identificandam propriam ſubſiſtentiam. *Primò*: quia nulla eſt creatura creabilis, quæ non ſit aſſumptibilis à Verbo: ergò omnis creatura creabilis poteſt denudari propria ſubſiſtentia, & conſequenter dicenda ab illa diſtincta. *Debile iudico* hoc fundamentum. *Primò*; quia non deſunt docentes, eandem numerò naturam ope ſuprema ſubſiſtere valere ſubſiſtentia propria, & ſimul aliena: ergò dato antecedente, nil haberet Suarez pro ſuo diſcurſu: quippè natura aſſumpta à Deo, eo in casu ſubſiſteret ſubſiſtentia ſibi non propria, & etiam propria realiter ipsi idētificata. *Addo*, quòd ille talis negaret, omnem creaturā creabilem eſſe in potentia obedientiali ad Deum quantùm ad aſſumi ad ſubſiſtentiam extrinsecam; foret tamen ſub imperio Dei, quantùm ad conſeruari, vel deſtrui.

10 *Probat ſecundò Suarez*: quia etſi de facto aſſumi non ſit de conceptu creaturæ, tamen poſſibilitas, seù non repugnantia ad aſſumi, eſt ipſi intrinseca; vndè ſequitur, quòd nullo in casu valeat aliqua creatura identificatam habere propriam ſubſiſtentiam. *Minoris roboris eſt mihi hoc argumentum*: diceret quippè aduerſarius, falſum eſſe antecedēs; licèt ſit verū de aliquibus creaturis; non tamen foret cōcedendum de creaturis poſſibilibus, quæ, cùm identificarent ſibi propriam ſubſiſtentiam, certè illa orbari minimè valerent, & cōſequenter nec aſſumi ad extrinſecam ſubſiſtentiam.

*Ad Petitionē igitur in ſe dico breuiter*, quòd, dū de Diuina agitur

L om-

omniporentia; nil est dicendum impossibile, nisi oppositum habeatur ex fide, vel ab aliquo graui inconuenienti, vel tandem adsit in contrarium communis Theologorum consensus; at fides hoc non docet: repugnantia non demonstratur: communis consensus Doctorum non adest: ergò non est, vndè cogamur dicere, repugnare creaturam possibilem, quæ propriam sibi realiter habeat identificatam subsistentiam.

# PROPOSITIO TERTIA.

*Personalitas, vel subsistentia non addit supra naturam singularem aliquod positiuum, sed duplicem negationem dumtaxat, actualis videlicèt, & aptitudinalis dependentiæ.*

11 IN doctrina Scoti circa præsentem difficultatem, non est Scotistis vna incidendi via, quibusdam authumantibus, Doctorem subtilem fuisse Problematicum; ità *Lychetus in tertio dist. 1. q. 1. Rada tertia parte cõtrouersia 1. artitulo 1. Pictigianus in 3. dist. 1. q. 1. art. 10. 11. & 12.* Alijs putantibus, Scotum docere, subsistentiam tantùm addere supra naturam, duplicem negationem. *Ita Fauentinus in 3. dist. 1. q. 1. disp. 2. Meurisse in metaphysica lib. 3. q. 4.* fundantur in eo, quod Scotus soluit rationes adductas à seipso pro sententia docente, *subsistentiam esse quid positiuum*; non tamen soluit rationes probãtes in fauorem duplicis negationis. Fauet istis Authoribus, quòd Scotus *in 3. dist. 5. q. 2.* ait, fuisse *q. 1. improbatam sententiam collocantem personalitatem in positiuo*; fauet etiam *quolib. 19. art. 3.* Benè consideratis partibus, per me sit liberum vtramque opinionem tenere.

12 *Pro parte docente*, personalitatem non consistere in aliquo positiuo; hæc accipe. *Primò*: omnia saluantur beneficio duarum negationum, vt constabit ex solutione argumentorum, quæ proponuntur in fauorem entitatis positiuæ: ergò sufficiunt illæ duæ negationes. *Secundò*, posita duplici negatione in natura, habetur integra ratio personæ: ergò omne aliud est superfluum. Antedens ostenditur ex definitione personæ, quam tradit *Riccardus*: persona est intellectualis naturæ incommunicabilis existentia: sed posita illa duplici negatione in natura, hæc foret intel-

lectua-

lectualis naturæ incommunicabilis exiſtentia: ergò haberetur ratio perſonæ. Cætera, quæ faciunt pro iſta propoſitione, dabo in diſcurſu præſentis propoſitionis, & ſubſequentis.

13 *Quæ pugnant contra* noſtram iſtam propoſitionem; accipe. *Primò*. Perſona dicit duplicem incommunicabilitatem *vt quo*, *& vt quod*; ſed incommunicabilitas, vt quod per *Scotum in* 2. *vbique*, & *in hoc* 3. *diſt*. 1. *art*. 3. *q*. 1. eſt per aliquod poſitiuum, ſcilicèt per hæcceitatem: ergò perſona non dicit puram, & duplicem negationem. *Reſpondetur*, quòd perſona pro materiali dicit naturam iam indiuiduam, & per conſequens incommunicabilem, *vt quod*: ſed pro formali dicit incommunicabilitatem, *vt quo*, quæ conſiſtit in duplici negatione actualis, & aptitudinalis dependentiæ; quare licèt pro materiali, & præſuppoſitiuè dicat aliquod poſitiuum, nõ tamen formaliter. *Aduerte*, quòd diuerſæ ſunt iſtæ incommunicabilitates, *vt quo*, & *vt quod*; & licèt incõmunicabilitas, *vt quo* præſupponat incommunicabilitatem, *vt quod*, non tamen è cõtra; poteſt enim natura indiuidua incommunicabilis, *vt quod*, adhùc *vt quo* communicari, & dependere de facto, vt à Verbo dependet. Si verò ſit incommunicabilis, *vt quo* per duplicem negationem; oportet, quòd etiã ſit incommunicabile, *vt quod*, ſub diuerſis tamen formalitatibus, licèt vna ab altera abſtrahat.

14 *Secundò*: in illo inſtanti, in quo natura Diuina eſt prior perſonalitate, ſiuè propria, ſiuè aliena; in illo inquam priori habet illam duplicem negationem: ſiquidem nec de facto dependet, nec eſt apta dependere ab alienis ſuppoſitis: ergò in illo tunc erit perſonata, & ità Verbum aſſumens illam iam ſingularem, aſſumet illam iam perſonatam, quod eſt falſum.

*Reſpondetur*, quòd in illo tunc nec habet negationem duplicis dependentiæ, nec ipſam dependentiam, ſed abſtrahit ab vtroque: nec valet argumentum à negatione alterius, à quo abſtrahit, ad affirmationem oppoſiti alterius, à quo etiam abſtrahit: quia, prout abſtrahens, nec negat vnum affirmando aliud; ſed negat vtrumque præciſiuè, & abſtractiuè, vt patet in quolibet prædicato ſuperiori reſpectû differẽtiarum: ſic animal in primo ſigno, nec dicit rationalitatem, nec irrationalitatem.

*Dices contra*: aſſumptio naturæ à Verbo fuit realis, & non in ſigno præciſionis: ergo aſſumpſit illam, non vt abſtrahentem: ergò quaſi contractam: ſed tunc eſſet perſonata: ergò &c. *Reſpondetur*, quòd aſſumpſit naturam in eo ſtatu, & inſtanti reali, quo habuiſſet contractionem ad perſonalitatem propriam, ſi nõ fuiſſet impedita.

15 *Tertiò*: in doctrina Scoti natura dicit inclinationem ad propriam personalitatem: ergò propria personalitas minimè consistit in duplici negatione. Consequentia patet: inclinatio est ad perfectionem: negatio, cùm sit nihil, minimè est perfectio: ergò, si inclinatio est ad propriã persoualitatem, hęc minimè cõsistit in duplici negatione. *Respondetur*, naturam dici inclinatam ad propriam personalitatẽ, non tanquam ad perfectiuum, sed quia natura talis est, quòd, nisi impediretur ab extrinseco, statim haberet suam duplicem negationem.

16 *Quartò*. Persona in Diuinis non constituitur per duplicem negationem, sed per aliquod positiuum: ergò à pari idem dicẽdum de persona creata. Facit ad hoc, quòd persona creata est quædam participatio increatæ personæ. Secundum, quia Diuina Natura habet propriã subsistentiam absolutam, & nihilominus debet eius personalitas esse quid positiuum: ergò multò magis natura creata debet reddi personata per aliquod positiuum.

*Concesso*, quòd in Diuinis personalitas sit quid positiuum, nego id etiàm dicẽdum in creatis. *Primò*: quia non est philosophãdum à natura Diuina ad creatam: alias dicerem ego, quòd, cùm Natura Diuina sit connaturaliter communicabilis tribus personis sibi realiter identificatis; ita etiàm natura creata. *Itẽ* perfectiones absolutæ naturæ Diuinæ sunt substantiæ, vel si non sunt substantiæ formaliter, tamen formaliter nec sunt accidentia, sed præscindunt ab vtroque; cùm tamen in creatis sint formaliter accidentia: ergò nõ tenet paritas. *Itèm* singularitas in Diuinis non solùm est quid positiuum, sed etiàm ingreditur conceptum quidditatiuum Diuinæ Naturæ, in creatis verò minimè. *Adde*, quòd in Sentẽtia Henrici singularitas est quid negatiuum: ergò non valet argumentum à Diuinis ad creata.

17 *Ad argumentum in se*, concedo, personalitatem Diuinam consistere in positiuo: quia per illam ponitur repugnantia ad communicari; at natura humana per subsistentiam non recipit repugnantiam intrinsecam ad communicari; remanet quippè in potentia obedientiali ad Deũ. *Moneo tamen*, non dici in potẽtia obediẽtiali ad Deũ, quasi diuinitùs possit simul communicari pluribus; sed dicitur talis, pro quanto Deus loco subsistentiæ debitæ naturæ, valet collocare propriam subsistentiam, vel aliam creatam. *Ad illud* de participatione; *Respondeo*, personalitatem creatam minimè participare adæquatum conceptum subsistentiæ Diuinæ; quippè non conceptum repugnantiæ

18 *Quar-*

18 *Quintò*. Ex nostra positione sequeretur, naturam Diuinam præscindentem à personis esse suppositum, seù personam. Sequela patet ex eo, quod illa natura pro eo signo nō dependeat à persona, neque expostulat talem dependentiam: ergò, si ad constitutionē personæ sufficiens est duplex illa negatio, fit palā, quòd natura Diuina esset persona. *Concesso*, Naturam Diuinā habere illam duplicem negationem, nego tamen esse personam: quippè persona debet esse incōmunicabilis, & natura Diuina est communicabilis. *Obseruandum ergò*, conceptum personæ dicere negationem dependentiæ, & cōmunicabilitatis actualis, & aptitudinalis: hanc non habet Essentia Diuina: ergò essentia non est Persona.

19 *Sextò*. Scotus vult, suppositum creatum posse formaliter substentare naturam creatam: ergò personalitas minimè consistere potest in negatione. *Vrget difficultatem*. Natura terminans dependentiam alterius naturæ, vel terminaretur aliquo positiuo, vel negatiuo? *Si primum* dicas, iàm das, subsistentiam esse quid positiuum; *Si secundum* asseras. *Contrà*: quia negatio nequit esse terminus dependentiæ realis. *Respondeo*, ad aures multorum Scotistarum, Scotum velle, naturam personatam posse substentare alterā naturam creatam, si asseratur, conceptum subsistentiæ stare in aliquo positiuo; non verò, si in negatione. *Secundò dico*, nec etiam argumentum vrgere tenentes, personalitatem stare in duplici negatione. Ratio est: quia personalitas, nec terminaret dependentiam, nec foret ratio formalis terminandi illam. *Mens ergò Scoti* est, quòd persona, quæ pro materiali dicit entitatem positiuam, seu naturam singularem, & pro formali duplicem negationem, valeat terminare dependentiam alterius naturæ: vndè illa duplex negatio non se habet, vt terminus ad quem; quinimò natura sub illa duplici negatione est terminus ad quem; personalitas ergò se habet vt conditio, sine qua non.

20 *Septimò*. Omnis realis, & vera compositio entis per se debet constare membris realibus, & positiuis: at secundùm Philosophos datur vera, & realis compositio metaphysica ex natura singulari, & eius suppositalitate, seu subsistentia, tanquam entis per se: igitur subsistentia in se est quid positiuum. *Respondetur*, suppositum creatum esse vnum ens per se, si accipiatur pro materiali, scilicet quatenùs est substantia completa indiuidualiter existens; at, si formaliter, scilicet pro constituto ex natura singulari, & personalitate, accipiatur, est ens per accidens.

Hinc

*Hinc moneo*, minimè putandum in ista sententia, personam constitui per duplicem negationem, quasi verò negatio sit illius constitutiua ratio, vt rationalitas dicitur constitutiua Hominis: quippè persona est aliquod reale positiuum, & substãtiale, negatio verò non ita; ea ratione, qua est commune dictum: *ex non substantia, non fit substantia*; cùm, res constituentes vnam speciem, debeant ad idem spectare genus. *Puto ergò*; duplicem negationem dici constitutiuam persona: quia sit conditio quædam, sinè qua natura minimè foret persona,

21 *Hinc infero primò*, personam formaliter, & principaliter importare naturam singularem, & connotare illam duplicem negationem. *Secundò reduco*, naturam singularem, & personam nequaquam differre quantùm ad rationem formalem, sed tãtùm in connotato: quia natura non connotat negationem, quã connotat persona; *ita Scotus in 3. dist. 1. qu. 2. in solutione primi argumenti*.

*Sit aliud documentum ex nostro Lycheto*. Quando natura suppositatur in proprio suppolito, tunc in ista sententia de duplici negatione, natura nec actù, nec aptitudine ad illud dependet taliter, quòd ratio suppositi sit aliquod terminans huiusmodi dependentiam: cum enim sit non ens, minimè valebit dependentiam entis realis terminare. Vndè est impropriè dictum: *Natura dependet ad proprium suppositũ*. Facit ergò istum sensum: cum natura habet in se istam duplicem negationem, tunc dicitur suppositum, &c. quandò verò natura cõparatur ad aliud suppositum, tunc verè dependet ad illud: nàm terminatur ad personam, vel suppositum, quod includit aliquod positiuum, & ita natura humana actù dependet à Verbo Diuino.

22 *Octauò*. Diffiniuit Ecclesia contra Nestorium, naturam humanam in Christo minimè retinere propriam subsistentiam: sed, si subsistentia naturæ humanæ tantùm diceret negationem vnionis ad aliud suppositum, necessaria non esset talis diffinitio: quia ex apprehensione terminorum constaret, naturam humanam Verbo vnitam non retinere negationem vnionis ad Verbum: ergò concludendum, personalitatis conceptum haud consistere in negatione.

*Vt soluamus*. Moneo primò Concilia, & Patres diffiniuisse, humanitatem, non verò personam humanam assumptam fuisse à Verbo. *Suppono secundò*, nec Patres, nec Concilia determinasse, an suppositalitas, vel Personalitas importaret formaliter entitatem positiuam, vel duplicem negationem, has enim metaphysicas concertationes non intenderunt derimere. *Pono tertiò*,

*tiò*, quod quando in ista sententia saluatur, humanitatem esse assumptam, non verò personalitatem ita, quod in Christo non duplex, sed vna dumtaxat reperiatur subsistentia; tunc saluamus omnia; quæ intenduntur à Patribus. *Dico ergò*, quòd Verbum Diuinum assumpsit humanitatem eo in signo, in quo nondùm habebatur in ea duplex illa negatio constitutiua personalitatis: ergò iam patet, Verbum nō personalitatem, sed humanitatem assumpsisse: ergò in Christo minimè est creata, sed sola increata subsistentia.

23 *Quādo inferunt* deinde aduersarij, ex nostra positione deduci, Conciliorum diffinitiones esse ridiculas: cùm, si personalitas creata consistat in illa duplici negatione communicabilitatis, foret illudere, diffiniendo, naturam communicatam non esse personam, sicut si quis diffiniret, hominem sedentem, in sensu composito non currere, aut stantem non sedere.

*Respondeo*, Patres non esse illo modo argumentatos contra Hæreticos; quia cùm illi dicerent, humanitatem esse vnitam Verbo, & vlteriùs vellent, talē humanitatem habere propriam personalitatem: haud dubiè existimabant Hæretici, personalitatem, non in duplici negatione, sed in positiuo collocanda; nec est absurdum diffinire, personalitatem, quæ consistit in duplici negatione, esse corruptam, vel impeditam per personalitatem Verbi: nàm in Philosophia conceditur ista locutio: *destruitur priuatio in materia, adueniente forma*: ergò in Theologia nequaquàm erit inepta ista propositio; *destruitur negatio cō-municabilitatis actualis per positiuam Naturæ ad increatum suppositum coniunctionem*.

24 *Adde*, quod si personalitas cōsisteret in negatione communicationis, facillimo negotio potuissent Patres confundere Hæreticos authumantes, humanitatem assumptam habere propriam creatam personalitatem; potuissent enim ita arguere; Quod est alteri communicatū, non habet negationem communicationis, & quod non habet negationem communicationis, non gaudet propria personalitate: at natura humana est vnita Verbo: ergò non habet negationem communicationis; ergò nec habet propriam personalitatem; subinfero: at Patres nō ita sunt argumentati, & hoc quia Hæretici non admittebant personalitatem consistere in negatione, ergo, &c.

PRO-

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Perſonalitas, ſeù ſubſiſtentia conſiſtit in aliquo poſitiuo.*

25 VEritatem huius propoſitionis aſtruũt rationes pugnantes ſententiam docentem, perſonalitatem conſiſtere in negatione. Noſter Pater *Fauent. in 3. ſentẽtiarũ*, Pater *Martinus Meuriſſe 3. lib. ſuæ met. cit. n. 11.* cũ alijs Scotiſtis toti ſunt ad impugnandam ſententiam collocantem perſonalitatem in poſitiuo. Illorum motiua ſunt, quæ ſequuntur.

*Primum*: tota natura humana cum omnibus ſuis proprietatibus, & perfectionibus fuit aſſumpta à Verbo Diuino, vt inter alios docet *Damaſcenus lib. 3. de fide c. 6.* aliàs enim Chriſtus eſſet homo minùs perfectus cæteris hominibus; quippè careret entitate illa poſitiua, quam cæteri habent homines: ſed natura humana nõ fuit aſſumpta à Verbo Diuino cum propria ſua perſonalitate, vt docet fides contra Neſtorium: Chriſtus tamen eſt omnium hominum perfectiſſimus: igitur perſonalitas creata non dicit aliquod reale, & poſitiuum.

26 *Sit iſta ratio*: poſitiuũ id, quod in homine eſt cauſa peccati, maximè debuit curari per Chriſtũ, ac proindè ab eo aſſumi: quia id ſolũmodò eſt curatum, quod eſt aſſumptum: at peccata perſonalitati attribuuntur (cùm actiones ſint ſuppoſitorum): ergò perſonalitas, ſi eſſet entitas poſitiua, debuiſſet aſſumi.

*Reſpondetur*, fuiſſe aſſumptam naturam humanam cũ his omnibus, quæ ſunt realiter illa humanitas; hinc, cùm perſonalitas ſit realiter diſtincta ab humanitate, vt probatum eſt n. 3. illa minimè fuit aſſumpta. *Damaſcenus* non pugnat contra nos, nàm ipſe ait, *Verbum aſſumpſiſſe quidquid Deus plantauit in natura*, non autem dixit *in perſona*.

27 *Dùm infers*, ſequi Chriſtum eſſe hominem minùs perfectum alijs: cùm careat illa entitate poſitiua, in qua collocandã, diximus, perſonalitatem. *Reſpondeo*, perſonalitatem non eſſe perfectionem hominis, qua homo eſt. *Addo*, perfectionem ſubſiſtentiæ conſiſtere in facere naturam ſubſiſtentem, ſeù ponere naturam in ſtatu connaturaliter requiſito, vt valeat operari; at totum hoc dat humanitati aſſumptæ ſubſiſtentia Verbi: ergò nulla ſequitur imperfectio

in

in humanitate assumpta.

*Dùm dicis*, debuisse assumi, & curari, quod in homine est causa peccati. *Respondeo*, id esse verum de eo, quod est causa in genere causæ efficientis, vel elicientis ipsum peccatum propriè loquendo; huiusmodi sunt voluntas, & aliæ potentiæ, non autem suppositalitas, quæ tantùm est conditio quædam requisita in agente ad cõnaturaliter operandum. *Dùm dicis*, indè sequi, dari in humanitate aliquod non curatum, & maledictum; conteste *Damasceno lib. 3. c. 6.* quod est inassumptibile, est etiam incurabile. *Respondeo primò*, personalitatem in se non esse vitiatam: quia id tantùm est vitiatũ, quod est capax culpæ, sicut illud est sanatum, quod est capax medicinæ. Hinc, cùm dicamus, personalitatem inassumptibilem, volumus, illam in se nec esse capacem culpæ, nec medicinæ.

28 *Secundum*: persona dicitur ens per se: at ex eo, quod non est in alio, seù quia dicit negationem dependentiæ actualis, & aptitudinalis, non est in alio: ergò est ens per se: ergò habita illa duplici negatione, habetur cõceptus integer subsistentiæ. *Item* si Deus miraculosè impediret resultantiam talis positiui in natura, eamquè conseruaret sinè omni positiuo superaddito, talis humanitas sub illa duplici negatione cõmunicationis actualis, & aptitudinalis, posset exercere suas operationes: ergò foret suppositum; cùm actiones sint suppositorum: ergò sinè vlla necessitate ponitur aliquod positiuum vltrà illam duplicem negationem.

*Respondetur*, quòd esse per se stat dupliciter, scilicet negatiuè, & positiuè; illud habet esse per se positiuè, quod possidet formam, per quam ei tribuitur nõ solùm non esse in alio, sed etiam esse per se positiuè. Rem enucleo: si Deus impediret resultãtiam similitudinis inter duo alba, hæc dicerentur similia fundamentaliter, pro quanto haberent albedinem; non tamen censerẽtur similia formaliter: quippè ad hoc requiritur relatio similitudinis. Ad rem nostram: natura sinè omni personalitate diceretur per se negatiuè, non per se posititiuè; cùm in se non haberet formam positiuã, cuius effectus formalis est dare esse per se positiuè. *Ad illud*, quod natura sinè personalitate conseruata, valeret exercere suas operationes; dico id esse verum, & hoc: quia personalitas non est principium operationum, sed tantùm conditio connaturaliter requisita; actiones enim dicuntur suppositorum, hoc in sensu, scilicet, quòd substantiæ postulant naturaliter priùs perfici in ordine ad se, quàm in ordine ad aliud; at Deus posset supplere illam conditionem sinè qua non: igitur.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Si personalitas creata esset quid positiuum, probabilius est, personam creatam posse assumere naturam alienam.*

29 Probatur: quia ad determinandam dependentiã naturæ assumptæ, sufficit terminus positiuus indepẽdens in illo genere: sed in hypotesi data personalitas esset positiua, & independens in genere subsistentiæ, & actus vltimus: ergò in tali genere posset terminare depẽdentiam alterius naturæ. *Facit* ad rem nostram, quòd nulla potest assignari repugnantia. *Primò*: non quia suppositum alienum est: quia de facto substentatur humanitas Christi ab alieno supposito. *Non secundò*, quia natura assumpta foret diuersæ rationis à propria; verbi gratia natura humana à supposito Angelico: etenim magis distant ab inuicem natura Diuina, & humana; cùm tamen de facto vniãtur in eodem supposito. *Nec tertiò*, imperfectio suppositi creati potest id impedire: nàm terminare dependentiam alterius hoc modo, non oritur ex perfectione terminantis, cùm ipsum suppositum Verbi, quod de facto terminat alienam naturam, non dicat perfectionem.

30 *Quæ nostram impugnãt propositionem*: accipe. *Primò*. Terminare plures naturas, & per consequens infinitas, arguit infinitatem in supposito: sed nullum suppositum creatum potest esse infinitum: ergò nullum suppositum creatum potest terminare dependentiam alterius naturæ. *Ex supposita doctrina faciliter occurrimus argumento*. Notauimus quippè, quod Diuinis personis nullo modo cõpetat posse terminare dependentiam ex eo, quod infinitæ sunt; sed ex eo, quod essent independentes dependentia opposita naturæ.

*Secundò* Durandus ità dicit contra nos. Nulla virtus creata potest generales modos essendi naturam creaturę consequentes immutare, & inuertere: sed per se existere, & in alio existere sũt generales modi essendi creaturarum: ergò non potest fieri, vt natura, cui competit per se existere, sit in alieno supposito creato.

*Respondetur primò*, hoc argumento tantùm probari, per virtutem

tutem creatam non posse fieri vnionem naturę ad suppositum creatum, quod nos libentissimè concedimus. *Secundò dico*, quòd in argumento committitur fallacia ęquiuocationis: nam per se existere, stat dupliciter, vel vt distinguitur contra inhęrere, & hic est modus intrinsecus substantię, qui nunquàm ab ea separatur, esto quod sit in alieno supposito; Alio modo per se existere, significat incommunicabiliter existere, & hic non est modus intrinsecus substantiæ; quare non immutantur generales modi essendi per nostram propositionem.

31 *Tertiò*. Dependentia naturæ creatæ ad alienum suppositum est supernaturalis; sed subsistentia quæcumque creata est naturalis: ergò non potest dependentiam alterius naturę terminare. Patet consequentia: quia dependentia supernaturalis non potest à subsistentia naturali terminari. *Respondetur ex Scoto in prima prologi*, quod loquendo de dependentia naturæ creatæ, in quantum comparatur ad agens, est supernaturalis; cùm à nullo agente naturali valeat effectiuè terminari per vnionem ad alienum suppositum; si autem loquamur de hac eadem dependentia; vt ad terminum comparatur; cùm hic sit naturalis, etiàm dependentia erit naturalis. Ita *Scotus in simili in prima prologi littera L.*

*Quartò*. Ex eo accidens nequit sustentare naturam substantialem: quia eam non continet eminenter, nec virtualiter: sed vnum suppositum non continet eminẽter perfectionem alterius suppositi: ergo, &c. *Respondeo*, argumentum esse à non causa, tamquam à causa: ratio enim, cur accidens non potest substẽtare substantiam, est: quia non est independens: non ex eo quòd non continet eminenter: at suppositum vnum creatũm est independens dependentia opposita naturæ: ergò, &c.

32 *Quintò*. Terminus dependẽtiæ debet esse simpliciter independens: sed personalitas creata non est simpliciter independens: ergò nequit terminare dependentiam alterius naturæ, siue non valet alienam assumere naturam. *Maior patet*, quia ideo verbum Diuinum terminat dependentiam naturæ humanæ: quia est simpliciter independens. Minor probatur. quia personalitas creata āduenit propriæ naturæ per modum actus ita, vt nequeat ab ipsa separari; nisi per destructionẽ ipsius subsistentię: ergò magis dependet subsistentia à natura, quàm è conuerso: quia natura potest conseruari sinè ipsa in alieno saltem supposito.

33 *Nisi meum* me fallat iudiciũ, obiectio videtur implicatoria: nam, si terminus dependentiæ debeat esse independens simpliciter,

citer, & personalitas creata sit terminus dependentiæ naturæ, saltem propriæ; quomodò poterit dependere à natura propria per modum actus eius? *Hinc nego maiorem* cum sua probatione: quippè suppositum, quod est independens tantùm in suo genere, & non in omni genere, terminat dependentiam accidentium, à quibus tamen dependet in alio genere: quia per ipsa conseruatur, & operatur.

*Ad rem nostram*. Personalitas creata licèt in genere actus dependeat à natura propria; potest tamen in genere termini vltimi terminare dependentiam eius; & in hoc eodem genere valet terminare extrinsecè sinè sui mutatione, aut communicatione intrinseca dependentiam naturæ alienæ, quamùis propriæ naturæ det subsistere per modũ actus intrinseci, sicut personalitas Verbi constituit personam Diuinam per modum actus,estò det naturæ humanæ esse personam per modũ termini solùm; & sic personalitas Verbi, licèt vt inseparabilis constituat personam cum natura propria, non ita cum natura humana; sic personalitas creata, etsi constituat personam cum natura propria vt inseparabilis ab ipsa, non debet ita constituere cum natura aliena. *Hinc habes* solutionem ad minorem, eiusquè probationem.

34 *Sextò*. Id, cuius esse formale est incommunicabilitas, *vt quo*, & *vt quod* ita, vt dicat formaliter duplicem negationem communicationis actualis, & aptitudinalis, nequit esse alteri ratio essendi formaliter; sed suppositum, vel persona creata est huiusmodi: ergò non potest esse ratio essẽdi suppositaliter extraneæ naturæ terminando illã: iam enim esset actus, & ratio, qua illa supposítaretur.

*Ex hoc argumento* credo, deduci nostram propositionem: quia de ratione personæ est negatio duplex communicationis, non vtcumquè, sed communicationis, quæ conuertatur cum dependentia, & ita persona est indepẽdens vtroq; modo, actualiter scilicet, & aptitudinaliter, non verò communicationis terminantis dependentiam, quæ propriè non est communicatio; aliàs nec suppositum Diuinum potuisset ita communicari terminatiuè; cùm tamen æquè, & meliùs sit independens, & incõmunicabile; imò ipsa ratio personalitatis secundùm illos, per quos est positiua, debet esse actus informans, & communicans se, & licèt secundùm alios non positiuè informet, tamen est ratio, qua natura est suppositata formaliter. *Patet ergò solutio* ad argumentum.

35 *Septimò*. Personalitas creata est modus suæ naturæ: sed modus ita adæquatur rei, cuius est modus, vt non possit aliam modi-

dificare, seu alteri communicari: ergò personalitas creata nequit personare alienam naturā. Minor probatur exemplo sessionis verbi gratia, & actualis inhærentię.

*Concedimus minorem* de modis accidentalibus, quales sunt adducti in probationem Minoris. Negamus tamen de substantialibus, qualis est subsistentia. *Disparitas est*, quòd modus accidentalis debet modificare, intrinsecè inhærendo, & rationabiliter dubitatur: idem accidens an valeat duobus simul inhærere subiectis, nè fortè opprimamur graui illo argumento de dependentia vnius totaliter à duobus. Ad rem nostram; subsistentia, cùm sit modus substātialis, non dependet à natura, sed potiùs natura dependet ab illa in esse subsistentiæ, ac proindè tunc terminaret intrinsecè propriam naturam, & extrinsecè alienam, vt videre est in Verbo Diuino terminante extrinsecè humanitatem. Fauet nostræ responsioni instantia puncti cētralis terminātis simul multas lineas. Fauet & etiàm instantia puncti continuatiui terminantis simul vtramque partem, quamuìs non vltimatè.

# PROPOSITIO SEXTA.

## *Humanitas comparata ad subsistentiam propriam, dicit propensionem ad illam.*

36 MOneo, humanitatem Christi posse considerari dupliciter. *Primò* secundùm se, prout abstracta à personalitate Diuina. *Secundò*, vt actù est coniuncta. Difficultas præsens est de humanitate, prout de facto est in Christo. Docet nos *Scotus in 4. dist. 49. q. 10. §. Respondeo, &c. ad 1. qu. & in 4 dist. 43 §. Ad illa ergò, & §. ad aliud*, duplicem dari appetitum; vnū elicitum, alium innatum, seu naturalem. *Prior est*, quo anima post cognitionem alicuius boni, fertur in illud; iste, si sequatur cognitionem intellectus, vocatur appetitus intellectiuus, siue rationalis, & est actus volūtatis; Si verò sequatur cognitionem sensus, appellabitur appetitus sensibilis, siue animalis & est appetitus sensitiuus. Si comparetur ad bonum præsens, appellatur appetitus cōplacentiæ, seu fruitionis; si in ordine ad obiectum absens; dicitur desiderium, de cuius ratione est, vt bonum, quod appetitur, minimè possideatur: quippè, si pos-

side-

sideratur, iàm non desiderium illius, sed complacentia; vel fruitio eiusdē est. *Posterior*, idest Innatus, vel naturalis appetitus, est naturalis inclinatio, seù propensio rei in suam perfectionem. Appetitus innatus non est quid realiter aliud ab ipsa natura. *Ita Scotus loco citato d. 49 q. 10. A.* vbi ita legit: *Naturalem, solùm dico potentiam voluntatis absolutè, sed non aliquid superadditum voluntati*.

*Tandèm moneo*, præsentem difficultatem non agitari de appetitu innato, quatenùs ille consideratur secundùm actum gaudij, & delectationis: quia hîc actus est tantùm de re, vt præsenti, & possessa; at humanitas Christi non habet suam propriā; & creatam subsistentiam, ergò non potest habere innatum appetitum per modum delectationis, & gaudij de propria creata subsistentia. Hinc difficultas restringitur ad appetitum innatū, quatenùs appetitus ille consideratur secundùm actum desiderij. Breuiter igitur inquirit nostra propositio; *an humanitas Christi, vt hypostaticè vnita Verbo Diuino, appetat naturali, & innato appetitu per modum desiderij propriam, & creatam subsistentiam*.

37 *Probatur* ergò nostra propositio. *Primò*; quia dicere talem propensionem, non est notam imperfectionis, sed perfectionis; hinc Theologi illam concedunt in Diuina voluntate in ordine ad proprias perfectiones; non quod illas appetat Diuina voluntas appetitu desiderij: cùm in nullo signo, in quo voluntati sunt debitæ tales perfectiones, reperiatur Diuina voluntas sinè illis; cùm ergò humanitas perficiatur à propria subsistentia, & ista præcontineatur in virtute humanitatis, non debemus negare humanitati talem appetitum.

*Secundò*, vt habet *Scotus quolib. 19. §. Tertia etiàm negatio non sufficit, &c.* Humanitas assumpta est eiusdem rationis cū nostra: cùm ergò nostra habeat aptitudinem ad propriam subsistētiam, idem est dicendum de Humanitate assumpta. *Tertiò* in nostra schola appetitus naturalis non est aliud ab ipsa humanitate: ergò, cùm in Verbo remaneat realiter humanitas, ita etiàm appetitus. *Moneo*, me non negare omnem distinctionē appetitus ab humanitate; nego distinctionem realem, sed concedo formalem. Appetitus etenim radicatur in humanitate: ergò aliquo modo distinctus ab humanitate. Item appetitus est relatio transcendentalis: cùm non possit concipi sinè ordine ad aliud: humanitas est ad se: ergò humanitas aliquo pacto distinguitur ab appetitu.

38 *Sit altera ratio* pro nostra propositione. Natura humana dicit inclinationem ad essendum per se: non tamen ad subsistendum

dum in alio. *Hinc nota*, quòd appetitus ille, qui remanet in natura ad propriam subsisten- tiam, non est ad subsistendū in ratione subsistendi, sed in ratione personalitatis propriæ, & absolutæ, prout potest ab illa natura prouenire. *Dices*, naturā humanam habere subsistentiam Verbi, in qua eminenter, & perfectiori modo continetur propria, & ita non dicere appetitū ad propriam. *Contrà*. (quidquid sit, nùm personalitates Diuinæ dicant perfectionem.) Natura humana non inclinatur ad proprium suppositum secundùm esse illius eminentiale, sed secūdùm esse formale: sed natura subsistens subsistentia Verbi, caret propria subsistētia secundùm esse formale: ergò dicit propēsionem ad illud secundùm esse formale. *Dices*, quòd si natura, vt subsistit subsistentia Verbi, appeteret proprium suppositum, appeteret etiàm dimitti à Diuino Verbo: nàm proprium suppositum non est compatibile cū supposito diuino. *Respondetur*, naturam nunquam appetere dimitti à Diuino Verbo: etenìm nulla datur inclinatio naturalis ad destructionem alicuius perfectionis. Nec argumentum aliquid probat: nàm materia vnita animæ alias formas appetit, quippè sunt illius perfectiones, quæ tamen sunt incompatibiles cum anima rationali. *Ad rem nostram*, appetitus in natura humana non est inordinatus ad propriam subsistentiam: quia licèt suppleatur à Diuino Verbo quoad terminabilitatem, & dependentiam naturæ, non tamē suppletur quoad illud, quod naturaliter appetit, scilicet esse per se; & independenter ab alio.

39 *Replicabis* fortiter contra nostram propositionem: si illa foret vera, natura sub subsistentia Verbi staret violenter. Probatur, quia per subsistentiam Verbi aufertur propria perfectio naturaliter debita naturę humanę, & impeditur, nè propriám obtineat subsistentiam; ad quam natura retinet aptitudinē etiàm stante subsistentia Verbi. *Vlteriùs* subsistentia Verbi nòn supplet id, quod propria præstaret personalitas. Tùm quia à propria subsistentia minimè dependet natura, sed ab aliena: Ad propriam natura vnitur immediatè, ad diuinam media vnione hypostatica; cum propria subsistentia facit vnum per se, cum subsistentia Verbi, vnum per accidens: sub propria subsistentia dicit natura negationē dependentiæ actualis, & aptitudinalis; sub subsistentia Verbi dicit natura actualem dependētiam ad illam, & aptitudinalem ad propriam: ergò subsistentia Verbi directè pręstat oppositum illius, quod propria præstaret subsistentia: ergò euidenter sequitur violentia in natura, dùm stat sub subsistentia Verbi.

Res-

*Responderem*, quòd quamquàm quoad multa inuerso ordine se habeant subsistētia propria humana, & subsistentia Diuina, tamen quantùm ad effectum principalem à natura ipsa, & ab agente intentum, quod est facere illam subsistere, ipsam personalizari &c., conueniunt: quia ab vtraque subsistentia disiūctiuè haberetur effectus ille: nec natura in hoc resistit, nec remurmurat, & cōsequenter ibi nulla violentia. Cætera sunt veluti minùs principalia, præsupposita, vel aduentitia, in quibus differunt, seù opponuntur; quæ tamen parùm attendūtur, & parùm faciunt ad rem nostram.

## PROPOSITIO SEPTIMA:

### *Petes. Vtrùm Humanitas sit in potentia naturali, vel violenta, vel neutra ad vnionem hypostaticam.*

40 MOneo, æquiuocum esse hoc nomen, *naturale*, ac proindè non vno, quinimò pluribus modis dicitur, teste *Scoto in 4. dist. 43. qu. 4. §. intelligendum est*. *Primò* accipitur, vt cōtradistinguitur contra violentū; quo in sensu naturale vocitatur non per ordinem ad efficiens, sed per respectum ad subiectū, in quo recipitur forma: hinc, si in subiecto datur propensio, inclinatioque naturalis ad formā; ea forma appellabitur naturalis; si in subiecto habeatur renitentia, & pugna contra formam, tunc forma erit dicenda violenta; si verò in subiecto non reperiatur inclinatio, nec renitentia cōtra formam, tunc neutra censebitur: vt superficies respectū albedinis, vel alterius coloris, vel lignum ad statuam Cæsaris, vel Caroli. *Quod naturale* sumptum pro contradistincto à violento, benè partitum sit, docet id, quod non potest intelligi aliquod passum comparatum ad formam, quin sit respectū eiusdem in potentia naturali, vel violenta, vel neutra. Ità *Scotus qu. 1. prologi*. *Potētiam* illam obedientialem, quam obseruant Theologi in creatura respectū Dei, non est præsentis speculationis: quippè, teste *Scoto 9. met. q. 12.* illa sumitur per comparationem ad agens, non ad formam, scilicèt, quòd creatura ad Dei potentiam comparata, talis est, vt de illa possit facere Deus, quidquid ei placuerit, velit, nolitque creatura.

41 *Secundò capitur naturale*, vt opponitur contra liberum. Naturale sic captum dicit illud principium,

cipium, quod ex se est determinatum ad vnum modum agendi, nec potest in contradictoria, etsi valeat producere disparata, quinimò etiam opposita contraria: *verbi gratia*, Sol, etsi non habeat potentiam de se liberam ad agere, & non agere, valet tamen producere serpentem, ranam &c. Ita intelligendus *Auerroes 12. met. Commento* 44. dicens: *Ab vno, in quantùm vno, non procedere immediatè nisi vnum*; est sensus, quòd non producit agens naturale, nisi vno modo agendi; sic intelligitur illud aliud principium: *Natura est determinata ad vnum*, scilicet ad vnum modum producendi, non ad vnicū productum. Agens liberum oppositum agenti naturali id dicimus, quod habet in potestate sua actionem, & modum agendi, & seipsum determinat ad agendum. De hoc agente libero *Scotus in 1. dist. 39. q. 1. §. quantum ad primum, &c. l. E.* docet, voluntatem creatam esse liberā ad oppositos actus contrarios, & contradictorios; & opposita obiecta, in quæ potest tendere per huiusmodi actus; vndè voluntas potest velle, & nolle, velle, & non velle, &c.

42 *Tertiò sumitur* naturale, vt cōtradistinctum à supernaturali, si passum comparetur non ad formam, sed ad agens, à quo patitur; tunc dicetur naturaliter recipere, si ab agente creato disponitur, & inducitur forma: dicetur supernaturaliter recipere, si recipit ab agente increato sinè dispositione naturali, & beneficio agentis creati. Hinc fieri potest, vt eadem potentia receptiua ad diuersa comparata, dicatur violenta, naturalis, & supernaturalis: aqua enim recipiens calorem, dicitur violenta, vt comparatur ad calorem; si comparetur ad ignem, à quo recipit, dicitur naturalis, quia ignis est agens naturale; si recipiat à Deo supernaturaliter agente, dicetur vt comparata ad Deum, recipere supernaturaliter.

43 *Rationem* naturalitatis, vel violentiæ oppositæ, non desumi per respectum ad agens, ea docet ratio: quòd, cessante actione agentis, & remanente forma in materia, adhuc forma dicitur violenta, vel naturalis (non curo modò de neutralitate) nam frigiditas in igne diceretur violenta, & caliditas in aqua; caliditas verò in igne diceretur naturalis, sicut frigiditas in aqua. *Sit altera ratio.* Circūscripto agente per intellectum, si forma, quæ recipitur in passo, est iuxta inclinationem ipsius, passum naturaliter recipit formā; at verò si forma recipiatur contra inclinationem, absq; dubio, circumscripto quocumque alio, passum recipiet illam, renitendo, & violenter: ergò ratio violenti, & naturalis ei oppositi, præcisè sumitur ex habitudine

N passi

passi ad formam.

*Nec dicas, Aristotilem 3. ethicòrum cap. 3.* docere, *violentum esse, cuius principium est extra, passo non conferente vim*; quibus in verbis annui videtur, rationem violenti non solùm desumi per comparationem passi ad formã; sed etiam ad agens. *Respondemus*, quòd in descriptione violenti tantùm ponitur agens, vt quid extrinsecum, & non tanquam per se constitutiua ratio violenti: nam tantùm constituitur per illam particulam: *passo non conferente vim*; idest inclinationem.

44 *Hac supposita* doctrina, difficile non erit intelligere dari potentiam neutram distinctam à naturali, & violenta. Tamen breuiter rem ita suadeo: *dari potentiam* naturalem, & violentam, negabit nemo: hoc enim patet in aqua, quæ respectù frigiditatis dicit potentiam naturalem; at verò respectù caloris dicit potentiam violentam. *Dari potentiam* neutram, patet respectù formarum artificialium; in lapide *verbi gratia* adest potentia ad formas artificiales, & talis potentia non est violenta; non est potentia naturalis: quia forma non est naturalis, ad quam passum non inclinatur naturaliter: sed ad formã Caroli *verbi gratia* lapis de se non inclinatur, sicut nec ad alia opposita: ergò tantùm dicit potentiam neutram: ergò talis datur.

*Breuiter sit alia ratio*: in Angelo est potentia passiua ad essendum in loco: illa non est naturalis, nec violenta: ergò neutra. *Vrgetur ratio*: Angelus potest esse in loco: ergò habet potentiam passiuam ad essendum in loco: hæc non est violenta, vt de se patet: rursùs non est naturalis: quia si Angelus esset naturaliter in loco, aliquod corpus haberet naturaliter aptitudinem ad ipsum conseruandum: cùm naturalis inclinatio ad locum, non sit, nisi vt res meliùs sub eo cõseruetur: at nequit dici, quòd aliquod corpus habeat naturalem aptitudinem ad conseruandum Angelum: ergò. *Adde*: si potentia Angeli ad essendum in loco, esset naturalis; cùm talis potentia sit limitata, naturaliter peteret esse in determinato loco, ac proindè in loco opposito esset violenter, vt contingit in alijs entibus limitatis.

45 *Nec valet dicere*, argumentum currere, si Angelus inclinaretur ad determinatum locum; at verò cùm non inclinetur ad indeterminatum locum, non valet: patet in materia prima, quæ naturaliter quiescit sub quacumq; forma: quia in quamcumq; indeterminatè tendit. *Cõtra*: quia, cùm locus naturaliter sit cõseruatiuus locati, necessariò petit habere similes qualitates, quas habet locatum, vt illud conseruare possit; cùm igitur, vt de se patet, in omni loco non sint si-

miles

miles qualitates illis, quæ in locato particulari inueniuntur, manifestè sequitur, locatum dicere propensionem ad locum determinatum. Friuola ergò solutio data ad nostrum argumētum. *Ad exemplum* de materia prima dico, quòd ex sui natura nullam qualitatem sibi determinat, quinimò omnibus, quas secum adducunt formæ, lætatur: & gaudet.

46 *Ad nostrum ergò* pūctum principale reuertentes: nullus est, qui neget, humanitatem, saltem potentia obedientiali, respicere Verbum: nàm hoc negato, sequeretur, naturam humanam violenter esse assumptam à Verbo, & violenter in eo esse, quod affirmaret nemo. Difficultas verò est, *an præter istam potentiam obedientialem sit reperire potentiam naturalem, vel inclinationem naturalem in natura humana ad Verbū Diuinum. Lychetus* noster hic affirmat; cuius etiam opinionis est *Caietanus in 3. par. quæst. 4. art. 2.* dubium hoc pertractans, qui quātumuis aliquas rationes adducat ad probandum, naturam humanam non habere inclinationem naturalem ad proprium suppositum; simpliciter tamen hoc asserere, dicit esse falsum, hac motus ratione: quod natura humana assumpta à Verbo potest considerari, vel secundùm se, vt non est vnita Verbo, & hoc modo habet naturalem inclinationem ad proprium suppositū, vt aliæ naturæ: Nàm constat, vnamquamque naturam personari propria personalitate, dēpta ea, quæ est Christi; at *ex 2. physicorum*, vnumquodque, sicut naturaliter agitur, ità aptum natum est agere. Alio modo cōsideratur, vt est vnita Verbo, & sic non inclinatur ad propriam personalitatem habendam: quia potentia naturalis ad aliquod, si perficiatur per aliquod perfectius sic, quod contineat, quidquid est in illo, ad quod naturaliter inclinatur, non inclinatur amplius in illud: quia iam satiatus est appetitus naturalis ex perfectiori continente illud, ad quod inclinabatur, & ita euenit naturæ, vt vnitæ Verbo. Vndè asserit, quòd dicere: persona Diuina impediuit naturam humanam à propria personalitate, est verum: nam comparatur natura secundùm se ad Verbum Diuinum: falsum autem est dicere: persona Diuina impediuit naturam humanam à propria personalitate: quia comparatur natura vt vnita ad Verbum.

*Lychetus verò* alia via sustinet suam sententiam dicens, quòd natura quælibet siue consideretur vt vnita, siue vt non vnita, habet inclinationem ad suppositum Diuinum, & proprium, sicut materia, siue consideretur vt vnita formæ, siue vt non vnita, habet inclinationem ad ipsam, & ad aliam. Legatur Lychetus. *Confirmari* potest senten-

tia Lycheti ex *Scoto in 1. prologi,* vbi habet, *naturam humanam, dicere inclinationem ad actus supernaturales*: subiũgo minorem: sed suppositum Diuinum est res supernaturalis: ergò ad suppositum Diuinum dicit naturalem inclinationem.

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *His non obstantibus, mihi dicendum cum Scoto, humanitatem tantùm ad suppositum proprium naturaliter inclinari.*

47 PRobatur *primò*: quia aliter incarnatio esset naturalis ex parte naturæ assumptæ: quippè esset ad naturalem terminum. *Secundò* inclinatio in subiecto expostulat, quòd ex parte ipsius formæ sit inclinatio ad subiectum, quæ tamen inclinatio non datur in vnione hypostatica respectù naturę humanæ: nam si in ipsa natura humana daretur talis inclinatio, deberet dari etiam in termino, qui vnitur, nempè in Verbo; at in Verbo non datur talis inclinatio ad humanitatem: nam potest intelligi Verbum sinè ordine ad humanitatem: ergò.

*Difficultabis contra* nostram doctrinã. Ex Scoto vnumquodque perfectibile naturaliter appetit suam perfectionem: at nemo negabit, naturam humanam maximè perfici, & honorari, seù cõdecorari per vnionem hypostaticam: ergò ad vnionem hypostaticam est propensa natura.

*Vt radicale hoc soluatur argumentum*; moneo, quòd quando dicitur: vnumquodque receptiuũ naturaliter inclinatur in suam perfectionem, &c. ibi *ly suam*, nõ sumitur per informationem: quia sic calor in aqua est perfectio sua. *Rursùs* non sumitur, *ly suam*, per naturalem decorem, vt de se patet; nec deniquè sumitur *ly suam*, quia est perfectio illius: nam vnio hypostatica, & formæ naturales sunt perfectiones subiectorum, & tamen non sunt perfectiones illorum quoad inclinationem. Sumitur igitur *ly suam*, per correspondentiam naturalem formæ receptibilis terminatæ ad suum proprium receptiuum.

48 *Itaquè*, quando perfectio aliqua talis est, quod natura sua inclinatur ad perficiendum aliquod perfectibile, illud perfectibile, seù receptiuũ correspondens illi formæ, naturaliter inclinatur ad recipiendam formã illam

illam. *Me declaro.* Voluntas creata naturaliter reſpicitur à fruitione Beatifica, quæ talis eſt naturæ, vt ex ſe, & ſua natura petat voluntatem creatam, tanquā determinatū receptiuum, & ità volūtas creata naturaliter inclinatur ad recipiendā fruitionem Beatificā; idem eſt de intellectu reſpectù viſionis Beatificæ. Res declaratur: formæ ſupernaturales *verbi gratia* viſio, dilectio, charitas, &c. habent ſuas quidditates, & naturas, quarū ratione dicunt inclinationem naturalem, ſeù petunt ſubiecta, ad quæ ordinantur, & ſinè quibus intelligi non poſſunt. Viſio enim intelligi non poteſt abſque vidēte, & dicit ordinem ad vidētem. Similiter gratia dicit ordinem ad reddendum hominem gratum: ergò ex natura ſua inclinantur, ſeù petunt videntem, diligentem, &c., tamquam perfectibilia propria, & ſubiecta receptiua: ergò in ipſis debet correſpondere inclinatio ſimiliter naturalis ad talem viſionem, dilectionem, &c. *Ad argumentum*: hypoſtaſis Verbi non eſt propria forma humanitatis, nec dicit inclinationem, ſeù propenſionem ad illam: vndè in humanitate non eſt inclinatio naturalis ad illam, quamuis perficiatur per illam.

49 *Replicabis*. Vnio hypoſtatica eſt natura quędam creata reſpiciens humanitatem, vt ſubiectū perfectibile, ęx quo educitur, vel in quo ſaltem recipitur, ſi fiat per creationem: ergò in humanitate per correſpōdentiam debet eſſe inclinatio naturalis ad illam, etiamſi non ſit ad ipſam Verbi hypoſtaſim, ſeù ſubſiſtentiam. *Reſpondetur*, quòd eò ipſo, quòd ſubſiſtentia Verbi non eſt propria perfectio humanitatis, nec in humanitate correſpōdet inclinatio. Itaquè nec vnio hypoſtatica poteſt eſſe perfectio propria: nàm quidditas, & natura illius ſumitur ab extremis ſaltem manifeſtatiuè: vndè ſi in extremis non eſt correſpondentia naturalis, ità neque extremū cum illa vnione poteſt habere correſpondentiam. *Nec obſtat*, quòd ſit natura creata dicens ordinem ad ſubiectum; *nam* dicit ordinem ad illud vt perfectibile per illam; ſicut dicunt formæ neutrales receptæ in ſubiecto. *Hinc concludo*, quòd in humanitate eſt tantùm potentia neutra ad hypoſtaſim Verbi, & vnionem illius.

*Nec ratio* Lycheti, & Caietani adducta nu. 46. valet; nam non eſt par ratio de materia comparata ad formas, & de natura comparata ad perſonalitatem; nam forma quælibet in particulari non eſt terminus totalis appetitus, & ideò ad aliam inclinatur; at verò perſonalitas eſt totalis terminus naturæ; quare ſi ad proprium naturaliter inclinatur, ad perſonam Diuinam naturaliter non poteſt inclinari.

Ad

*Ad cōfirmationem* ex Scoto dico, ipsum esse locutum de illis actibus, qui conueniunt naturæ intellectuali, qua intellectualis est, vt habitus infusi, visio beatifica, fruitio, &c: at verò suppositum Diuinum non conuenit homini, qua intellectualis est, cum etiam bruta possent assumi iuxta superiùs dicta nu. 28. disp. 2.

# DVBIVM INCIDENS.

## *Petes. An detur potentia obedientialis passiua in natura humana respectu personalitatis Diuinæ.*

CAusant hanc dubitationem verba *Doctoris subtilis in 19. quæst. quolibetali art. 3.* vbi ait: *quæcumque natura est simpliciter in potentia obedientiali ad dependendum ad personam Diuinam.* Idem habet *in 3. dist. 1.* dicens, *quòd natura humana erat in potentia obedientiali ad vnionem hypostaticam.* Quid nobis hac in parte iudicatur verum, docebūt, quæ subsequuntur propositiones.

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Non datur potentia obedientialis passiua.*

50 VEritatem *istam* docet *Scotus quæst. 1 prologi*, & alibi, vbi docet, intellectum per potentiam naturalem recipere lumen gloriæ, cæteraquè accidentia supernaturalia, ex quo negat potentiam obediētialem passiuam. Probatur hac ratione: quæcumque potentia obedientialis est instrumentum Dei; sed nulla potētia passiua potest esse instrumentum Dei: ergo nulla talis datur: minor probatur: nam instrumentum sequitur idē genus causandi cum causa principali, cuius est instrumentum: sed causa principalis, præcipuè supernaturalis, & Diuina semper est in genere efficientis, nec potest esse in genere formæ, aut materiæ: ergò instrumentum erit similiter in genere efficientis. *Quod etiam* potest colligi ex ipsa definitione cōmuniter tradita de potentia obedientiali: *est enim virtus quædam, qua creatura aptari dicitur, vt obediat suo Creatori in his, quæ superant naturam*

*ram illius, si non implicat contradictionem*: virtus enim à Creatore adiuta ad suam operationem manifestè sonat efficientiam: quandoquidem in alio genere causæ nequeat adiuuare: ergò, &c.

51 *Sit altera ratio.* Si aliqua potentia passiua esset instrumẽtum ad aliquam formam supernaturalem suscipiendam, talis potentia deberet esse instrumẽtum alicuius causæ principalis, cui principaliter tribuenda erat talis receptio: sed implicat, quòd Deus principaliter aliquod recipiat (quinimò nullo modo potest recipere): ergò implicat dari potentiam obedientialem passiuam, quæ sit instrumentum receptiuum Dei, ac per consequens instrumentum tantùm est in genere efficientis.

*Confirmatur*: nam superflua est eleuatio ad id, quod est imperfectio: sed recipere est pati, & imperfectio (etsi quod recipitur, sit perfectio): ergò ad recipiendum nulla datur eleuatio, aut potentia passiua supernaturalis.

*Sit altera ratio.* Potentia naturalis est, quoties quis vtitur posse, vel non posse aliquod per naturam facere secundùm *D. Augustinum lib. de decem Cathegorijs cap.* 12. ergò potentia naturalis est etiã, qua quis potest aliquid per naturam suscipere: sed homo potest per naturam suscipere vnionem hypostaticam: ergò illa potentia susceptiua erit illi naturalis. Minor probatur: quippè si natura non posset suscipere formam supernaturalem, nisi primò foret constituta in esse supernaturali, iam daretur processus in infinitum: nam ante formam supernaturalem suscipiendam deberet præmitti altera forma supernaturalis in suscipiente: ergo deueniendũ esset ad naturam, quæ primò vt naturalis valeat recipere formam supernaturalem.

52 *Dices*. Datur potentia actiua supernaturalis obedientialis: ergò datur potentia passiua obedientialis. Probatur consequentia: sicut potentia actiua nõ potest producere actus supernaturales sinè adiutorio supernaturali, ita potentia passiua non potest recipere actus, vel formas supernaturales sinè adiutorio supernaturali: sed ista est potentia passiua obedientialis: ergò minimè neganda venit potentia passiua obedientialis.

*Respondetur*, concesso antecedente, negando consequentiam, & ad probationem negatur *ly sicut*. Ratio disparitatis est; quia potentia actiua potest adiuuari à Deo ad efficiendum; potentia verò passiua minimè: etenim hoc dicit implicationem, quam ostendunt nostræ rationes supra adductæ.

53 *Dices*. Tametsi potentia passiua nequeat adiuuari ad recipiẽdas formas supernaturales, nihilominus necesse est ponere in

ea

ea aliquod supernaturale, vt proportionetur cum forma recipienda: sed hæc erit potentia obedientialis passiua: ergo iure merito est admittenda potentia obedientialis passiua. Probatur maior ex communi axiomate Philosophorum docentium, *quòd quidquid recipitur, admodum recipientis, recipitur*: ergò si recipitur forma supernaturalis; debet recipi à potentia supernaturali, quæ erit potentia obedientialis passiua.

*Negatur maior*; & ad probationem dato antecedente, negatur consequentia; nam illud axioma tantùm docet, quòd recipiens habeat capacitatem recipiendi formam aduenientem, & proportionetur cum illa in ratione receptibilis; & recipientis; & sic forma supernaturalis recipitur naturaliter in potentia naturali. Ecce quomodo recipitur ad modum recipientis, vndè non petit axioma, quòd recipiens, & receptum proportionentur in suis entitatibus taliter, quòd, si forma est supernaturalis, potentia sit supernaturalis: nam habitus supernaturales recipiuntur in potentijs naturalibus. Et maximè aduertendũ, quòd ponentes potentiam obedientialem passiuam, ideo illã exigunt, vt per illam reddatur subiectum capax. *Quo fit*, quòd si datur capacitas naturalis ex parte potentiæ, ista naturaliter poterit recipere formas, quidquid formæ in sua entitate sint supernaturales.

54 *Fateor*, omnes creaturas sentire imperium Creatoris, ideo sunt in potentia obedientiali ad omne id, quod de illis velit facere Deus, dummodò repugnãtiam non dicat, non tamen talis est potentia passiua obedientialis. Est enim potentia obedientialis quædam potentia dicta similitudinariè, non propria locutione, sed transumptiua; quia nomen, *obedientia*, propriè significat non resistentiam volũtatis, quæ alterius voluntati resistere potest. A simili cera dicitur obediens, quia non resistit duro agenti in ea; & lutum in manu Figuli dicitur obediens eodem modo; ita in proposito, potentia obedientialis est potẽtia actiua non resistens actioni Diuinæ. Obedientia quippè veriùs dicitur de agente, quàm de patiente. Seruus implens mandata Domini sui; propriè dicitur obediens. Sagitta perueniens ad Scopum, ad quem à Sagittario directa fuit, metaphoricè dicitur obediens. Molle autem cedens duro, dicitur obediens, sed metaphoricè, minùs tamen, & minùs propriè, quàm sagitta. *Et si quæreres*, quæ potentia contradistinguitur potẽtiæ obedientiali? *Dicam*, quòd est potentia imperialis; hæc autem siuè propriè, siue transumptiuè sumatur, est potẽtia actiua; ideò conuenientiùs huic respon-

pondet potentia obedientialis actiua, qua quis actiuè obedit], quàm potentia obediẽtialis passiua.

55 *Potentia* passiua naturalis, non metaphoricè dicitur, sed propriè; & vltrà subiectum, importat quamdam propensionem seu inclinationem, seu quẽdam appetitum ad perfectionem susceptibilem, quæ propensio, inclinatio, vel appetitus non est negatio, sed quædam conditio positiua ordinata ad perfectionem: potest tamen dici, qnòd appetitus includat vnum positiuum, & alterum negatiuũ; quia secundùm *D. Bonauenturam* duo faciunt appetitum, scilicet cõuenientia, & indigentia, illa, vt patet, est quid positiuum, hæc est quid priuatiuum. Id verò, quod est conueniens rei à prima eius institutione, & conuenit omnibus indiuiduis eiusdem speciei; certè illi dicendum naturale, & inclinatio ad tale conueniens, meretur nomẽ inclinationis naturalis. *Et quis* non diceret, potentiam ad videndum esse naturalem oculo? Hinc *D. Augustinus de fide ad Petrum* duo considerans in homine, id scilicet; quod ei competit, vt ens tale à Deo factum, & vt ordinatum ad talem finem; ait: *& ideo quippe naturæ à Deo facta proficere possunt, quia esse cœperunt; ideo deficere, quia ex nihilo facta sunt; ad defectũ eas conditio ducit originis; ad profectum verò prouehit operatio Creatoris.*

56 *Ex quibus colligitur*, quòd illud debeat dici finis naturalis, ad quod à Deo ordinatur homo. Meliùs tamen dicam, finẽ esse supernaturalem, appetitum verò ad talem finem esse naturalem; & penès hoc alia est hæc quæstio ab ea, quam edidi aliàs sub hoc titulo. *Deus est finis nõ naturalis creaturæ intellectualis, in puris naturalibus accepta; non modò quoad consequutionem, sed etiam quoad inclinationem, &c.* Argumenta, quæ ibi proposui, ad hoc tantùm adduxi, vt ostenderem claram visionem de Deo esse finem supernaturalem. Ad duplicem namque perfectionem homo est ordinatus à Deo, *prima* est omnis perfectio, quam viribus naturæ, & generali influxu Dei potest acquirere. *Secunda* est omnis perfectio, ad quam obtinendam indiget speciali influxu, & speciali adiutorio, & hæc dicitur perfectio supernaturalis.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Ad perfectiones supernaturales habet homo naturales inclinationes.*

57 DIscordant inter se Theologi hac in parte. *Prima* enim sententia est aliquorũ dicentium, quod ad perfectiones miraculosè inductas, quæ tamẽ alio modo naturaliter acquiri possent, in homine sit potẽtia susceptiua naturalis, & naturalis inclinatio; vt puta, si quis ægrotus à natura sanari nõ posset, & per miraculum sanaretur, potentia ad sanitatem diceretur naturalis. Sic quando Salomon petijt à Domino cor docile, & sapientiam, inclinatio ad petendum illam, erat ei naturalis, assecutio tamen Sapientiæ fuit illi supernaturalis.

*Secunda* sententia est quorũdam asserentium, quòd homo potest considerari dupliciter, vt homo tantùm in puris naturalibus, vel vt ordinatus ad vitam æternam consequendam per virtutes Theologicas, fidem, spem, & charitatem; & vt sic accipitur, est aliquid plus, quàm homo; & vocari potest *homo Theologus*; & iste in quantum Theologus potest dici habere potentiam naturalem ad perfectiones supernaturales; homo verò in puris naturalibus: quia est tantùm homo, est in potentia obedientiali ad illas perfectiones.

58 *Hæc* distinctio videtur mihi superflua: quis enim hominum creatus, vt tantùm sit? nunquid aliquis ordinatus est tantùm, vt numerum efficiat? nunquid aliqua hominum massa deputata est à Deo ad dicendum, iuxta illud vulgatum, *Nos numerus sumus, & fruges consumere nati?* Scio rationalem creaturam factam esse, vt summum bonum intelligeret, intelligendo amaret, amando possideret, & possidẽdo frueretur, & vt dixit quidam incertus author, cuius dictum insertum legitur, vt fragmentum apud *D. Augustinum de Creatore primi hominis tract. 21. Sicut Deus, qui hominem ad similitudinem suam creauit, charitas est, bonus est, iustus est, patiens, & mitis est, mundus, & misericors est, & alia virtutum insignia, quæ de eo leguntur; ita homo creatus est, vt haberet charitatem, vt bonus esset, iustus, patiens, ac mitis, mundus, ac misericors foret, &c.* Omnis igitur homo posset dici Theologus, & si non actù, potentia tamen: cum quilibet sit creatus ad Beatitudinem supernaturalẽ,

&

& quia sic ordinatus est, ideo naturaliter propendit ad ipsam. Neque dubium esse potest (vt ait *Eminentiss. Bellarminus in suis Cõmentarijs de Romano Pontifice lib. 1. cap. 2.*) quin propensio naturæ ad authorem naturæ, Deum, referenda sit.

59 *Vlteriùs.* Vndè quæso desũpta est illa denominatio, *homo Theologus*? homo Dei reperitur Deuteronomij 33. *Oratio hominis Dei*, & 4. Regum 1. *n.* 10. *Si homo Dei sum ego, descendat ignis de Cælo super te, &c.* Hæc autem denominatio, *homo Theol.* inuenta est ad delucidãdas aliquas difficultates; verùm magis videtur eas obscurare. Quidquid sit tamẽ, hoc nihil est ad tollendum dubium. Quæro enim; an omnis homo sit ordinatus ad consequendam Beatitudinẽ per virtutes Theologicas, vel non? *Si sic*; omnis ergo est Theologus, & naturaliter propendit ad Beatitudinem. *Si non*, quæro de illo, qui est ordinatus, an propendat ad ipsam ordinationem, vel nè? *Si sic*: ergo naturalis propẽsio est ad aliquid merè supernaturale. *Si non*: ergo acceptio personarũ apud Deum, qui hunc ordinat, illum autem non ordinat ad vitam, & si perit, culpa Dei perit, quod non est dicendum.

60 *Tertia sententia est*, quòd potentia susceptiua, &c. sit capacitas quædam sinè resistentia, vt dictum est in declaratione potẽtiæ obedientialis in propositione antecedenti. Ad istam sententiam reducuntur illi, qui tenent dari potẽtiam neutram ad actus supernaturales.

*Quarta sententia est Scoti in 4. dist. 49. quæst. 9. & 10. & in prima Prologi, & alibi* pluriès asserentis, potentiam ad beatitudinem in particulari etiam esse naturalem, imò appetitum illum, qui est sola propensio sinè actu elicito voluntatis, vel alterius potentiæ, dicit; summè, & necessariò inclinare potentiam naturalem passiuam ad suscipiendam beatitudinem supernaturalem in particulari. Ad sententiam Scoti reducitur sententia *Durandi in 4. dist. 49. q. 8. & sententia Soti qu. 2. artic. 1. & lib. 1. de natura, & gratia cap. 4.* Et quod maius est, communior sententia Scholasticorũ Theologorũ. Quare valdè miror, quòd *Ludouicus Molina in suis disputationibus supra 1. parte D. Thomæ quæst. 12. artic. 1. disp. 2.* discordet à Scoto, & dicat hæc formalia verba in principio disputationis eiusdẽ, nempe: *Communior Scholasticorum asserit esse in nobis appetitum naturalem ad beatitudinem in particulari, &c.* Hæc Molina. Hinc dico, si hæc pósitio cõmunior est: ergo probabilior: ergo tutior: ergo in hac positione dicere non possunt: *Scotus contra omnes, & omnes contra Scotum.* His præhabitis.

61 *Ad probandam* modò nostram propositionem valet id, quod

*D. Augustinus* 13. *de Trinitate cap.* 1. notat de illo Mimo, qui dixit se velle prædicare omnibus existentibus in theatro, quid cuperent, & dixit, *quòd omnes cupiebant emere vili, & vendere carò*; inquit *Augustinus, benè dixisset; omnes cupitis esse beatos*: ego ita subsumo: sed nec D. Augustinus benè corrigisset illum, si locutus foret de volitione actuali; quia (vt ait *Scotus in* 1. *dist. prima, qu.* 4.) non omnes cogitabant de Beatitudine: ergo D. Augustinus voluit intelligi de appetitu naturali inseparabili à nobis, quo dicimur habitualiter velle.

*Eidem nostræ propositioni fauet Augustinus de prædestinatione Sanctorum cap.* 5. vbi ait, *posse habere fidem, naturæ est hominum; habere autem gratiam, est fidelium*; & *lib.* 4. *contra Iulianum cap.* 3. inquit: *nec enim omnes homines naturali instinctu immortales, & Beati esse velimus, nisi esse possimus*; in quibus verbis manifestè loquitur de Beatitudine supernaturali; sicut quando *lib.* 13. *de Trinitate cap.* 8. dicit, *ad appetendam Beatitudinem, naturam compellere, &c.* Cum igitur in prædictis locis dicat instinctu naturali, dato à Deo Creatore, homines appetere beatitudinem, manifestè loquitur de appetitu innato, & nō elicito: nam appetitus innatus confertur à Creatore, dum condidit naturas rerum.

62 *Et si dicatur*, Augustinum loqui de appetitu elicito consecuto ad cognitionem fidei. *Dico primò* hoc esse falsum: nam loquitur de appetitu, ad quem compellit natura data à Creatore; natura autem vt sic, est ipsa entitas rei, ergo, &c. *Secundò dico*, etiamsi loquatur de appetitu elicito, tradere nostram sententiam: quia ideo, supposita cognitione, natura compellit ad eliciendum talem appetitum: quia ipsa natura est propensa, & & inclinata ad illum finem naturalem, aliàs non compelleret; ideo enim lapis impellit ad motum deorsum, quia est inclinatus; ad motum autem sursum non mouetur, quia deest inclinatio naturalis.

*Quando Augustinus* dicit, *in homine esse capacitatem ad fidem*, ibi per *capacitatem* non intelligit non repugnantiam, seu potentiā obedientialem; quia hęc, vt diximus *nu.* 50. non datur respectù formæ recipiendæ; intelligendus igitur est de capacitate pro potentia, seu inclinatione naturali ad fidem.

63 *Accedat ratio.* Potentia susceptiua ad aliquam perfectionem, conuenientiùs dicitur naturalis, quàm obedientialis; talis est potentia susceptiua perfectionum supernaturalium. ergo dicitur conuenientiùs naturalis, quàm obedientialis. *Vrgetur ratio.* Potentia naturalis est, quoties quis vtitur posse, vel non posse aliquid per naturam facere, secundùm

dùm *D. Auguſtinum lib. de decem Categorijs cap.* 12. Ergo potentia naturalis eſt etiam, qua quis poteſt aliquid per naturam ſuſcipere: ſed homo poteſt per naturam ſuſcipere aliquã perfectionem ſupernaturalem, nempe primam: ergo illa potentia ſuſceptiua erit illi naturalis. Prima conſequẽtia probatur per eumdem *Auguſtinum ibidem*: nam exemplificando, qui dicuntur naturaliter imbecilles, & qui naturaliter ſalubres, ait: *eodem modo namque, & in his potentia naturalis aduertitur, quæ eos facit vel languoribus crebriùs eſſe ſubiectos, vel retinere perennem ſoſpitatem*. Tunc arguo ſic. Hi dicuntur ſalubres, qui faciles ſunt ad retinendam ſoſpitatem naturaliter: ergo & naturaliter dicũtur perfecti, qui naturaliter ſunt faciles ad retinendum perfectiones ſupernaturales; & quis eſt, qui accepta gratia à Deo, non poſſit eam faciliter retinere? Non dico, quòd quis facilè poſſit aſſequi gratiam, ſed quòd acceptam facilè poteſt retinere. Quare facilè? Quia natura propendit ad bonum, & ad conſeruandum habitum.

64 *Secunda ratio*. Omnis potentia receptiua in ordine ad formam, vel eſt naturalis, vel violenta, vel neutra, vt patet ex dictis in antecedentibus propoſitionibus: ſed potentia volitiua eſt receptiua volitionis, ſeu fruitionis ſupernaturalis, & idem eſt de intellectu reſpectù viſionis: ergo vel eſt naturalis, vel violenta, vel neutra; ſed non eſt violenta, vt de ſe patet (aliàs Beati violenter eſſent ſub Beatitudine,) neque eſt neutra, quia hanc potentiam non admittunt aduerſarij, & rurſùs fruitio Beata eſt maxima perfectio, & propria perfectio voluntatis: ergo non ſe habet neutraliter reſpectù illius. Notanter dixi, *eſt propria perfectio*, propter ea, quæ diximus ſupra de vnione hypoſtatica: ergo dicendum eſt, quòd ſit in potentia naturali reſpectiuè ad illam. *Vrgetur ratio ex Scoto*. Vnumquodque perfectibile naturaliter appetit ſuam perfectionem: ſed homo eſt perfectibilis per Beatitudinem, tanquam per ſuam perfectionem: ergo naturaliter appetit, & inclinatur ad illam.

65 *Reſpondet Molina in* 1. *parte sãcti Thomæ qu.* 12. *art.* 1. *diſp.* 2. maiorem eſſe intelligendam de perfectione naturali.

*Contra obijcio*, beatitudinem eſſe perfectionem naturalem hominis, ſi comparetur forma ad ſubiectum. Hoc probatur: non eſt enim in potentia neutra ad Beatitudinem, nec in potentia violenta, cum ſit illi maximè conſentanea, & perfectiua illius: ergo eſt natura noſtra in potentia naturali ad illam. *Secundò*. In ſupremam hanc beatitudinẽ naturaliter fertur: igitur æquè reſpicit natura noſtra beatitudinem.

nem naturalem, ac supernaturalem. Probatur antecedens; quia *ex Philosopho 1. Ethicorum* bonum est, quod omnia naturaliter appetunt: ergo quò magis bonum, magis appetitur; supernaturalis beatitudo est maximũ bonum hominis: ergo hæc maximè naturaliter appetitur.

*Confirmatur hoc idem ex Sancto Augustino 13. de Trinitate capite 3.* vbi inquit; *bonum non posse nos non velle*: sed id non potest intelligi de appetitu elicito; est enim voluntas libera etiam circa bonum libertate contradictionis, licèt non libertate contrarietatis, quòd alijs verbis dicitur esse liberam circa bonum quoad exercitium actus, non quoad specificationem; & teste *Sancto Augustino 1. retractationum cap. 9. & 22. nihil est tam in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas*, quod non intelligitur, nisi quantùm ad actum elicitum. Videte *Scotum in 1. dist. 1. quæst. 4. contra primum articulum*: ergo si non possumus non velle bonum, ac beatitudinem, non est, nisi propter inclinationem naturalem, qua ad eam tendimus. *Arguo etiam contra eumdem*: ex eo vnumquodque fertur naturaliter in suam perfectionem, quia perfectio eius est: ergo vbi saluatur ratio maioris perfectionis naturalis in appetente; maximè etiam saluatur ratio perfectionis in beatitudine, quam expectamus: ergo ad eam maximè naturaliter ferimur.

66 *Tertia ratio*: finis vltimus naturalis cuiuscumque rei, est, quo obtento, res illa quiescit, vt patet de lapide quiescente in centro, ad quod naturaliter fertur; (de ista re videatur *Scotus in 1. dist. 1. quæst. 5.*) sed inclinatio appetendi voluntatis nostræ in solo Deo, clarè viso, quiescit; nàm si cætera obtineat, dempto Deo, adhùc plus desiderat, vt experientia testatur, & ex primo, & secundo capite Ecclesiastes satis constat: ergò inclinatio appetẽdi respicit Deum, vt finem; igitur est finis noster naturalis quoad inclinationem.

*Confirmatur hoc per Sanctum Augustinum cap. 1. fecisti nos Domine ad te, & inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te*: ergò conditi sumus tales, vt naturaliter inclinemur ad visionem Dei, quod ipsamet verba Sancti Augustini indicant, dum dicit: *inquietum est cor nostrum, donec perueniamus ad te*. Nec est apta expositio dicentium, Augustinum loqui de actu elicito, quia de omnibus alijs hominibus intelligit hoc Sanctus Augustinus: at multi sunt, qui actum elicitum desiderij circa visionem Dei non habuerunt: ergò intelligit de appetitu naturali innato.

67 *Ad hanc tertiam rationem* respondet idem pariter *Molina vbi supra*, maiorem esse falsam: nam de ratione finis naturalis, non est, vt eo habito, quiescat appetitus:

titus: nam materia, forma recepta, non quiescit: aliam enim appetit; & visus similiter, viso pulchro visibili, adhùc aliud desiderat.

*Contra obijcio*. Imperfectionis in fine naturali alicuius substantiæ, vt eam non satiet, est hoc: quia non continet totam perfectionem eorum, ad quæ talis substantia tendit, sicut in eisdem exemplis ab eo allatis declaratur: nam cùm materia respiciat adæquatè formam in communi; forma vero particularis non contineat virtualiter, vel eminenter perfectiones cæterarum; hinc fit, vt non satiet vna forma capacitatem materię, & idipsum de visu dicendum est, de qua re *Scotus in* 1. *dist.* 1. *quæst.* 1. *lit. B.* at supremus noster finis continet perfectiones omnium desiderabilium; igitur eum maximè naturaliter appetimus. *Secundò*: finis habet rationem optimi: igitur, quantò melior, eò desiderabilior, & magis naturaliter: Ergò Deus optimus maximê naturaliter appetitur.

68 *Tandem* vnamquamque naturam consequitur sua connaturalis inclinatio, qua talis est ad aliquod perfectum sibi conueniens: sed homo à cæteris differt animantibus: ergò habet inclinationem ad aliquod supremũ sibi conueniens: huiusmodi est visio, & fruitio Dei. *Nec iuuat dicere*, esse inclinationem ad speculationem substantiarum abstractarum, quem finem Philosophus cognouit. Nõ iuuat inquam hoc enim non est supremũ bonũ illi possibile. Vndè si ad bonum, quò melius est, eò magis naturaliter fertur; si ergo appetit naturaliter finem illum cognitũ à Philosopho, quia ei quoddã bonum est: ergo naturaliter appetit finem hunc fide creditum, qui etiam ei bonum est.

*Nec tamen oportet, vt Zumel in* 1. *Sancti Thomæ, quæst.* 12. *artic.* 1. asserit, hoc naturale desiderium sequi cognitionem (quia inquit ipse) conuenit homini, qua homo est: ergo qua rationale est. *Nam* multa insunt homini per non animalitatem, tanquam per causam præcisam, & adæquatã, nec tamen sequuntur cognitionem, sicut propriæ passiones cõueniunt homini, qua rationalis est: nam, & dormientibus, & amentibus illæ insunt. *Nec similiter valet*, cum dicit, hoc desiderium pertinere ad volũtatem, voluntatis autem obiectum est bonum propositum per intellectum: ergo sequitur cognitionem. *Dicimus enim*, desiderium, vt est actus elicitus, esse solius voluntatis, quæ præsupponit cognitionem in tali actu; desiderium verò, vt est inclinatio alicuius substantiæ appetentis, nedùm voluntati competit, sed etiam intellectui, ac alijs potentijs cognoscitiuis: cuilibet enim cognitiuæ correspondet sua appetitiua, vt habet *Scotus in* 3. *dist.*

15. *quæst. vnica*; quarè appetitus hic in potentia appetente non præsupponit cognitionem, quo. modo, nec lapis cognoscit centrum, ad quod naturaliter fertur.

*Nec ex hoc* argumēto vltimo, quo intentum probauimus, licet inferre, Angelum, tanquam specie differentem ab homine, habere inclinationem ad aliud obiectum specie distinctum; nam ex *Sancto Augustino 3. de liberō arbitrio*, Angelus, & anima sunt natura pares, quantùm scilicèt ad obiectum beatificum, à quo satiantur ambæ istæ duæ naturæ. Itaquè, cùm conueniant in intellectualitate, appetitus hic naturalis conuenit Angelo, & homini, quatenus intellectuales sunt: est enim natura humana inter intellectuales infima capax eiusdem obiecti, ac suprema intellectualis creatura. De qua re *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 8.*

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Soluuntur argumenta in contrarium.*

69 NAtura non inclinat, nec tribuit propensionem ad id, ad quod tota vis naturæ perducere non potest; sed natura non potest per se perducere hominem ad perfectiones supernaturales: ergo nec ad istas tribuit inclinationem, propensionem, vel appetitum: ergo nō est in potentia naturali: rationi etenim consentaneum est, Deum dedisse rebus creatis propensiones commensuratas naturis ipsarum: ergo non contulit propensiones ad id, quod est supra ipsarum naturas, tales sūt actus supernaturales: ergo, &c. *Vt respondeamus*, possem concedere primam deductionem vsque ad vltimam consequentiam; quia in maiori supponitur vnum falsum, nēpè quòd natura tribuat homini propensionem; hanc enim tribuit ipse Deus, qui naturam condidit; & sicut statuit, naturam hominis debere esse talem, ità statuit, ipsam debere habere talem propensionem: cū propensio sit ipsamet natura, & non aliquid realiter distinctum additum naturæ.

70 *Quidquid sit* tamen de supposito in maiori, negatur illa propositio maior; & instantia datur de immortalitate, quam ipsa bruta appetunt naturaliter, & homo similiter appetit naturaliter; nec tamen à natura adeptus est, vndè possit ad eam perduci. Et benè *Scotus in quæst. 1. prologi* ad illam propositionem: ***omni potentiæ passiuæ naturali, potentia acti-***

*actiua naturalis correſpondet*, dicit, *quòd non eſt neceſſe correſpondere potentiam actiuam infra limites naturæ creatæ; ſed ſufficit, quòd infra latitudinem potentiarum actiuarum detur aliqua potentia.*

*Dico ſecundò*, actus ſupernaturales eſſe commenſuratos naturæ hominum quoad receptionem, quoad verò aſſecutionem, lõgè excedere facultatem eius; ſufficit autem prima commenſuratio, vel proportio, qualis eſt ſuſceptiui ad formam ſuſceptam. *Dico etiam*, conſentaneum eſſe rationi, vt Deus tribueret propenſionem naturalem ad id, quod eſt optimum, ac maximè perfectiuum naturæ noſtræ, ſiue illud ſit naturale, vt naturalis beatitudo cognita à Philoſopho, ſiue ſit ſupernaturalis, vt eſt ea beatitudo, quam expectamus.

71 *Secundum argumentum*. Propenſio, & potentia actiua ad finem debẽt ſibi inuicem accommodari, & correſpondere; & qualis eſt potentia, talis debet eſſe finis, & media; ſi potentia eſt naturalis, & finis debet eſſe naturalis, & non aliquid tranſcendens limites naturæ. *Vrgetur ratio à Zumele cit. nu.* 68. finis, & media debẽt eſſe eiuſdem ordinis, aut proportionis; ſed media neceſſaria ad vidẽdũ Deum ſunt ſupernaturalia: ergo viſio Dei eſt finis ſupernaturalis, & non naturalis. *Confirmatur* etiã, finis, & adeptio finis non ſunt duo fines *ex Philoſopho* 5. *met. tex.* 22. ergo, ſi Deus clarè viſus, eſt finis noſter naturalis, conſecutio Dei clarè viſi erit etiam naturalis, quod eſt alienum à fide.

*Reſpondetur* ad primũ aſſumptum, ibi peti principium, vt patet ex inſtantia in reſponſione ad primum argumentum. *Secundò*, ſi eſſet verum, ex ipſo ſequeretur, quòd, ſicut finis non eſt obedientialis dicendus, ſed ſupernaturalis, & media non ſunt dicenda obedientialia, ſed ſupernaturalia, ſic potentia ſuſceptiua hominis reſpectũ ſupernaturalium deberet dici ſupernaturalis, non obedientialis. *Tertiò dico*, quòd magis ſibi accommodantur potentia naturalis, & perfectio ſupernaturalis, quàm potentia obedientialis, & perfectio ſupernaturalis; quia potentia naturalis includit propenſionem, quam potentia obedientialis excludit.

*Quartò dico*, quòd nulla forma intrinſeca denominatione denominatur ordinis ſupernaturalis (de illis loquendo, ad quas eſt in potentia ſuſceptiua) ſed formaliter omnis eſt naturalis; dicitur tamen ſupernaturalis in ordine ad agens ſupernaturale, quando à ſolo tali poteſt induci; nec eſt neceſſe, correſpõdentiã ponere inter agens, & paſſum, ſicut inter actum, & potentiam, vt patet in intellectionibus, in quibus obiectum

materiale agit in animam immaterialem, & ibi maior est cōuenientia intellectionis ad intellectum, quàm intelligibilis ad eundem intellectum, &c. Potētia magis respicit actum, quem recipit, quàm agens, à quo recipit.

72 *Ad Zumelem dico*, media cōparata ad susceptiuum, hoc est, ad animam suscipientem fidem, spem, & Charitatem, quæ sunt media, esse naturalia æquè, ac finem; non minùs enim naturaliter propendit anima ad hunc, quàm ad illa; quantùm verò ad consecutionē supernaturalis est finis, & etiam media; à Deo enim est collatio gratiæ, ac gloriæ. *Si autem arguat* aduersarius ex naturali propensione ad finē debere esse media naturalia quo ad assecutionem, committitur fallacia arguendo à propensione naturali, quæ non dicit actiuitatem, ad assecutionem naturalem, quæ dicit principium actiuum in natura.

*Ad confirmationem dico*, finem, & consecutionem finis non esse duos fines, sed esse duas res distinctas; neque enim Deus, & visio Dei passiua sunt idem, & tunc negamus consequentiam; non enim oportet, si Deus est finis noster naturalis quantùm ad inclinationem, quòd consecutio illius sit etiam naturalis; est enim arguere ab inclinatione ad actiuitatem, quod omnino negamus. Verè enim asserebat *Scotus in 1. qu. Prologi*, ampliorem, & maiorem esse capacitatem, & inclinationem naturalem naturæ humanæ, quàm sit eius actiuitas, nec derogat quidpiam humanæ naturæ, quia ad multò nobiliorem finem est ordinata, quàm sit finis naturalis.

73 *Tertium argumentum*. Si naturale desiderium est in singulis hominibus ad beatitudinem in particulari: ergo pueri decidentes sinè Baptismate patientur maximam pænam: quippè carens eo, ad quod naturaliter est inclinatum, maximè affligitur, vt vult *Scotus in 3. dist. 15. qu. vnica lit. E.*

*Hoc argumentum*, prolixam aliquam disputationem exigeret. *Nùm scilicet pueri decedentes sinè Baptismate pænam aliquā nedùm damni, sed etiam sensus patiantur, non scilicet, quòd igne torqueantur, sed quòd aliquem animi cruciatum, ac pęnam sentiant?* Id latè disputat *Bellarminus in 3. tomo controuersiarum lib 6. de amissione gratiæ, & statu peccati cap. 6.* vbi ex Patribus asserit, aliqualē dolorem sensuros pueros illos ex amissione Beatitudinis supremæ. *Scotus tamen in 2. dist. 33. q. vnica, §. & si quæratur, &c,* hæc habet: *Si quæratur de cognitione Beatitudinis in particulari* (abstractiua scilicet, non intuitiua) *vtrùm illam habeant, vel de ea tristentur? Respondeo, sicut dictum fuit in prima quæst. primi; ista cogni-*

*gnitio non est possibilis homini, nisi supernaturaliter eleuetur* ( hoc est Deo reuelante infundatur,) *vel igitur non dabitur illis illa cognitio supernaturalis in particulari, quia esset eis ad tristitiam, quã nõ demeruerunt habere, sicut demeruit paganus, propter quod demeritum sibi cedit cognitio Beatitudinis in particulari ad pœnam grauissimam, vt scilicet tristetur desperans se posse ad istam peruenire, vel si istam cognitionem in particulari habuerint, non tristabuntur; quia erunt contẽti de statu suo scientes Deum de se ita disposuisse, nec suo actu hoc aliquando demeruisse.* Sed de hac re latiùs in materia de gratia.

74 *Quartum argumentum.* Si in homine esset potentia naturalis ad perfectiones supernaturales, nõ minùs essent debitę istæ, quàm anima intellectiua est debita corpori debitè organizato, nam natura postulat tunc animam, ipsamquè infallibiliter assequitur: ergo sicut creatio animæ rationalis nõ computatur inter opera gratiæ, sed naturæ, sic iustificatio, & beatificatio, & susceptio characteris essent computandæ inter opera naturæ.

*Respondetur* negando sequelã assumpti, quoniam ad perfectiones naturæ Deus determinauit se habere aliter, quàm ad perfectiones gratiæ, & hoc est manifestum, nam ad perfectiones naturæ concurrit generali influxu, & ordinario, non ita ad perfectiones gratiæ. *Item* ad concurrendum ad perfectiones naturæ sufficit propensio, & carẽtia formæ habendæ; ad habendas verò perfectiones gratiæ requiritur bonus vsus auxilij Diuini. Sequeretur etiam idem, si in homine esset sola potentia obedientialis, &c. Nam diceret quispiam, cum non resistam Diuinæ motioni, cur me non mouet ad perfectiones supernaturales, dando eas mihi? *Item* sicut Deus contingenter, & infallibiliter dat animam corpori organizato, ita contingenter, & infallibiliter dat perfectiones supernatureles propenso naturaliter, non propter propensionem, sed quia post illam reperiuntur in homine cætera requisita ad assecutionem talium perfectionum.

75 *Quintũ argumentum.* Non ex principijs naturæ, sed ex ordine supernaturali sumus prædestinati ad vitam æternam: ergo ad illam naturaliter non inclinamur: patet consequentia, quia prædestinatio est gratia quædam.

*Concesso antecedente,* negatur consequentia; ordinari enim ad vitam æternam, dicit naturalem inclinationem ad finem, & hanc dicimus, inesse prædestinatis, & non prædestinatis; imò etiam remanere in damnatis; neque enim in damnatis natura intellectualis destruitur, & inclinatio est realiter eadem cum natura. Si verò dicat ordinatio

hæc ad vitam æternam dispositionem Diuinę voluntatis, qua liberè, & efficaciter præordinat nos ad finem, & ad media ad finem; *dico* non esse ex principijs naturæ; neque enim eo ipso, quo aliqua creatura est rationalis, à Deo liberè, & efficaciter ordinatur ad finem supremum, *multi enim sunt vocati, & pauci electi Matth. 20. n. 16.* estquè hæc prædestinatio gratuitum Dei beneficium, arguere autem à negatione huius præordinationis Diuinæ ad negationem inclinationis naturalis ad eumdem, est committere fallaciam à negatione inferioris ad negationem superioris. *Dico etiam secundò* prædestinationem non esse aliquam formam realem in prædestinato receptam: nam in prædestinato non ponit prædestinatio aliquod reale, sed tantùm respectum rationis; quamùis effectus prædestinationis sit aliquod reale, vt gratia, & gloria, & ita ad has formas habet naturalem inclinationem, ad prædestinationem verò habet natura rationalis capacitatem.

76 *Sextum argumentum.* Si in homine esset propensio naturalis, sequeretur, quòd Angelùs solo lumine naturali posset cognoscere suam Beatitudinem in particulari, & nostram etiam. Consequentia probatur: homo impeditur ad cognoscendùm in particulari, in quo sit nostra Beatitudo, quia ipsa consistit in clara Dei visione, & fruitione; ipse verò pro statu isto non potest videre Deum; quia naturalis visio est abstractiua, & exigit conuersionē intellectus ad phātasmata: ergo Angelus, qui nō indiget conuersione tali, naturaliter scire potest nostram Beatitudinem, &c.

*Negata consequentia, vel sequela assumpti*, ad probationem dico, quòd sola propensio non sufficit ad visionem Dei, nec sola actiuitas intellectus creati, sed visio est quidam effectus dependens ab intellectu creato, tāquā à causa effectiua partiali minùs principali, & diminuta, quantumcumque sit separatus; ideo Angelus non potest scire naturaliter in quo consistat Beatitudo sua, vel nostra specialiter; imò nec ipsam propēsionem specialiter scire potest; quia nec scire potest terminum huiusmodi propensionis.

77 *Septimùm argumentum*: visio beatifica, fruitio Dei, gratia sanctificans, fides &c. sunt formæ supernaturales quoad substantiam: ergo nequeunt naturaliter perficere potentias, in quibus recipiuntur. Antecedēs supponitur à nobis ex dictis in tractatu de pænitentia disputatione de conceptu supernaturalitatis. Consequentia probatur; quia forma perficit subiectum eo modo, quo ipsa est; sed in se est supernaturalis: ergo perficit supernaturaliter; nam per-

fectio

fectio formæ in ordine ad subiectum, nihil aliud est, quàm cõmunicatio, & exhibitio sui esse ad subiectum; cum autem nullum aliud esse habeat, quàm supernaturale, illud solùm cõmunicabit subiecto, & consequenter illo eodem perficit.

*Respondetur*, quòd, cùm ratio perfectionis passiuæ alicuius subiecti ex duplici capite sumatur, ex parte scilicet formæ perficiẽtis, & subiecti perfectibilis, eo modo dicetur forma perficere, & subiectum perfici, quo sub ratione talium ad inuicem se respiciunt; vndè, cùm perfectibile, vt tale, naturaliter respiciat formam perficientem iuxta inclinationem, & propensionẽ suam naturalem; forma etiam perficiens, quantumuis alterius sit ordinis, eo modo perficere dicetur subiectum, quo ipsum iuxta propriam inclinationem perfici petit; vndè, licèt verum sit, quòd prædictę formæ sunt super naturales, & vt tales etiam exhibentes, & communicantes suum esse supernaturale subiecto, dicuntur tamen naturaliter perficere: quia perfectibile, quod perficiunt, naturaliter iuxta propriam inclinationem exposcit illas. *Nec mirum*, quòd isti duo, quasi diuersi effectus, àb eadem perueniant entitate formali; cernimus enim plures formas sub diuersis respectibus diuersas induere rationes; & ita eadem forma, quæ in ratione entis inducit rationẽ supernaturalitatis sub ratione reficientis indicat rationem naturalitatis: quia sub ista ratione respicitur, & petitur à subiecto perfectibili.

78 *Dices*: ergo nullum est discrimen inter formas supernaturales quoad substantiam, & illas, quæ naturales sunt simpliciter, vel solùm sunt supernaturales quoad modum: cùm omnes eodem modo à subiecto perfectibili respiciantur, & iuxta naturalem inclinationem petantur, & ex consequenti naturaliter perficiant sua subiecta. Ex quo etiã sequeretur, quòd sicut cæcus, accepta miraculosè potentia vidẽdi, dicitur naturaliter videre, quia in quantum animal habebat inclinationem, & capacitatem ad videndum, sic similiter Beatus, accepto lumine gloriæ, & habitu Charitatis, naturaliter diceretur videre Deum, & frui illo.

*Respondetur*, quòd quamuis omnes prædictæ formæ tã naturales, quàm supernaturales conueniant in hoc, quòd est naturaliter perficere subiectum, quatenùs sunt consentaneæ illius naturæ, & iuxta naturalem illius capacitatem, & inclinationem; differunt tamen secundùm proprias entitates, quia aliç sũt ordinis supernaturalis secũdùm proprias entitates; aliæ verò naturalis; ideoquè istæ non solùm sunt perfectiones naturaliter perficientes subiectum, quia iuxta

iuxta naturalem inclinationem, vt aliæ; sed etiam quia sibi connaturales, & ex naturæ iure debitæ sunt, quo modo non sunt aliæ.

79 *Hinc colligitur discrimen*, quare cæcus, accepta miraculosè potentia videndi, dicatur naturaliter videre; Beatus verò, illustratus lumine glorię, & habitu Charitatis, non dicatur naturaliter videre Deum, & frui illo; quia scilicet ille videt media potētia, licèt supernaturaliter restituta, omninò tamen naturali in sua entitate illi connaturali propriè, & naturaliter debita, & ad suos actus, solùm concurrētibus causis naturalibus, postquam semel supernaturaliter restituta est; Beatus verò, licèt visio, & fruitio Dei sint illi naturales, hoc est, iuxta naturalem inclinationem, & capacitatem, consentaneæquè eius naturæ; tamen quia ex alia parte actus isti in entitate sua simpliciter supernaturales sunt, & ad eorum productionem concurrit Deus, vt agens supernaturale, & aliæ causæ secundæ, scilicet lumen gloriæ, & habitus charitatis, neque connaturales propriè, & quasi ex iure naturæ debiti sint potentijs; & quia tandem visio, & fruitio Dei, vt denominant Beatum videntem, & fruentem Deo, denomināt illum, vt assequentē suum finem, & ad illum referūt: quam assecutionem vt medium, sicut & finem assecutum, supernaturales omninò esse, dicimus: Hinc est, quòd sub ista consideratione nullo modò Beatus dicatur naturaliter videre, & frui illo; secùs autem est de istis formìs comparatis solùm in ordine ad potentias, quas naturaliter perficiunt; quia sub hac consideratione potest Beatus naturaliter videre Deum, hoc est media visione suę inclinationi valde consentanea.

*Si dicas*, quòd habitus infusi, etiam postquam sunt infusi, non possunt dici connaturales; igitur nec ad illos est aptitudo naturalis: *Respondetur*: habitus infusi non possunt dici connaturales, hoc est, cōnaturaliter debiti; possunt tamen dici connaturales, quia attenta potentia naturali, & aptitudine circa illos; consentanei sunt ipsi naturæ. Et ratio est; quia, cùm omne ens sit obiectum intellectus; & omne bonū obiectum voluntatis, & habitus perficiant potentiam non impediendo illam, sed perficiendo; & eleuando suum proprium esse, quod est intelligere, & velle, ideo longè aliter natura est in potentia ad istos, & illos actus.

80 *Ad pleniorem doctrinam moneo*, quòd in rebus naturaliter sunt appetitus naturales, qui non explentur per causas naturales, sed solùm per causam primam sinè vlla alia secunda intermedia naturali; causa tamen prima explens huiusmodi appetitus dicitur etiam naturaliter agere, quia agit

agit per modum causæ naturalis statim ad dispositiones, quæ fiunt ab aliquo agête naturali; vel quia id agit, quod est debitum naturæ principijs; & hoc modo appetitus naturalis, qui inest corpori, vt vniatur animæ rationali, expletur per Deum. creantē animam rationalem; Deus autem creans, dicitur agere naturaliter, quia agit quod est debitum animæ rationalis principijs; & quia creat illam statim, ac dispositiones sunt in illo ab aliquo agente naturali.

81 *Moneo etiam* inesse quosdam appetitus naturales rebus, qui non solùm explentur per primā causam immediatè agentem, sed etiam tales sunt, vt debeant expleri supernaturaliter; hoc est explentur per aliquod superadditum ipsi naturæ productum à prima causa; huiusmodi est appetitus naturalis, qui inest animę rationali separatæ à corpore: nàm in anima sic separata inesse hanc naturalem inclinationem ad Corpus, apertè docent Theologi, & ratio naturalis demonstrat; quia anima separata est pars corporis, & forma naturalis illius; omnis autē forma naturaliter inclinatur ad suam materiam, & omnis pars naturaliter petit esse in toto: ergo in anima est appetitus innatus ad reuniendum Corpori, qui appetitus explebitur per actionē à Deo miraculosè factam; aliàs enim resurrectio minimè esset opus supernaturale, sed naturale.

82 *Nec ex nostris dictis inferas*, naturam defecisse in necessarijs, vt argumentatur Philosophus. *Respondetur enim*, Aristotelē tantùm locutum fuisse de his, quæ in natura sunt necessaria ad assecutionem sui finis naturalis: non enim cognouit esse in nobis aliquem finem supernaturaliter assequendum; ideoquè non concedit, esse in nobis naturales appetitus, qui supernaturaliter sūt explendi; proptereaquè ait, esse in rebus defectus quosdam naturales ipsis internos, qui perpetuò permansuri sunt in ipsis rèbus, quarum sunt. *Nec mirum est*, quòd Aristoteles dicat, si astra haberent progrediendi vim, haberent etiam instrumenta, quibus progrederentur; quia ibi loquitur de potentia organica, & de facultatibus naturalibus, quæ à natura condecoratæ sūt instrumētis naturalibus, quibus eliciant operationes; quia omnis potentia, qua potentia est, propter actionem datur; secùs verò est de inclinatione naturalì, quam habemus in ordine ad illum vltimum finem. *Si dicas*, quorsùm est talis appetitus; si per agens naturale expleri non potest? *Respondetur* satis esse, quòd supernaturaliter expleatur.

83 *Dices*: Fingamus non expleri supernaturaliter, illa natura manebit nè imperfecta? *Respondetur*

detur, ita esse, si supernaturaliter non expleretur; quia de ratione illius naturæ, vt talis est, est ille defectus, & imperfectio; vt si fingamus hominem esse conditum a Deo in puris naturalibus, certè erunt multi in homine defectus naturales, circa quos erit in homine naturalis quædã inclinatio; & tamen nec homo ille tunc haberet satiatum suum appetitum.

*Nec mirum est,* (vt acutè aduertit *Scotus qu. 1. Prologi §. Ad argumenta pro opinione Aristotelis, lit. Q.*) quòd ad maiorem perfectionem sit capacitas aliqua in natura, quàm eius causalitas; neque quòd potentia sit naturaliter ordinata ad obiectum, ad quod naturaliter non potest attingere, quinimò ex hac parte magis effulget naturæ humanæ celsitudo, quòd, cùm nulla possit esse natura creata, quæ vlla sit proportione ad assequendam fælicitatem illam, quæ superat omnem sensum; nihilominus natura Angelica, & humana ad imaginem Dei conditę, illud haberent pro fine vltimo, vbi natura nostra deficiebat. Quippè esset nobis Deus paratissimus subuenire, &c.

## PROPOSITIO QVARTA.

### *Subsequuntur reliqua argumenta contra nostra asserta.*

84 PRimum. Si in natura esset illa inclinatio, illa esset à Deo, vt authore naturæ ordinante naturam ad Deum: ergo Deus, vt author naturæ, cognosceret supernaturales formas; hoc autem est falsum, quia Deus, vt author naturæ, sicut tantùm creat ea, quæ sunt ordinis naturæ, ita tantùm cognoscit ea, quæ sunt illius ordinis.

*Respondeo*, verum esse, quòd Deus, vt author naturæ, cognoscit, supernaturalem visionem esse finem naturalem illius naturæ quoad inclinationem. Ad probationem negamus, Deum vt authorem naturæ tantùm cognoscere, quæ sunt ordinis naturalis. *Nec hanc doctrinam* negare debent aduersarij; quippè, quamùis ipsi dicant, non esse inclinationem in natura ad formas supernaturales; fatentur tamen in illis esse capacitatem: ergo Deus, vt author naturæ, creat illam cum tali capacitate: ergo Deus, vt author naturæ, cognoscit illam capacitatem; sed hoc nequit fieri absq; hoc, quòd cognoscat formas illas supernaturales, saltem quoad, *an sit*, & con-

confusè. Ergo argumentum eodem modo pugnat contra ipsos, & consequenter fatendum est, quòd Deus, vt author naturæ, cognoscat ordinem illum ad formas supernaturales, quãuis, vt author gratiæ, cognoscat illas esse nobis supernaturales quoad consecutionem, & etiã cognoscat quidditatem illarũ.

85 *Secundum argumentum*. Appetitus iste innatus ex sua intrinseca ratione includit, quòd sit realis quædam inclinatio orta ex principijs intrinsecis illius, daturquè à Deo authore naturę, tãquam motus quidam, & innatus amor ad perfectionem: sed talis ordinatio, & propensio nõ datur à Deo authore naturę in nobis in ordine ad Beatitudinẽ positam in clara Dei visione: ergo non datur in nobis appetitus naturalis ad talem visionẽ. Consequentia est legitima; maior certissima: nam, cùm talis appetitus nihil addat supra entitatẽ rei; sed sit ipsa res inclinata, & propensa, sequitur manifestè, quòd talis inclinatio sit à Deo authore naturæ, sicut ipsa entitas rei; & sic communiter inclinatio talis appellatur pondus naturæ, & amor quidam illius. Minor probatur, quia inclinatio naturæ ad perfectionem, ita à Deo naturæ imprimitur, vt debitor sit talis impressionis, nè natura maneat naturaliter imperfecta, quod tamen non est admittendum (cùm Dei, & naturæ opera sint perfecta, & inde sequitur, vt talis inclinatio vniuersaliter frustrari nequeat, sed Deus potuit non ordinare naturam rationalem ad sui visionẽ, & tamen tunc non maneret naturaliter imperfecta, cùm ad naturalem illius perfectionem satis esset ordinare illam solùm ad beatitudinẽ naturalem; quia hæc sola foret sibi debita: ergo dicendum est, quòd Deus, vt author naturæ, impressit nobis talẽ inclinationem.

86 *Huic argumento* esset satis abundè responsum ex doctrina à nobis tradita in discursu præcedenti. Fatemur, maiorem propositionem esse veram, & admittitur à Scoto; negamus tamen minorem. Ad probationem dicimus, quòd Deus, vt author naturæ, non est debitor impressionis illius formæ, sed tantùm, vt author gratiæ, gratiosè dat, & hoc est satis, vt natura non dicatur imperfecta. In casu, quod Deus non ordinaret naturam rationalem ad supernaturalia, non inde deduceretur, potentiã illam esse frustraneam; nàm frustraneitas tantùm datur in potentia, vel facultate. quæ nulla virtute potest reduci ad actum.

87 *Tertium argumentum* desumitur ex authoritate *Scoti, qui in 19 qu. quolibetali* §. *de* 3. *articulo lit. X*. dicit, *quòd ad formas supernaturales non est propriè aptitudo*, ob quam authoritatem noster Pater *Herrera disp*. 1. *q*. 8. *primi tomi*

negat in homine considerato in puris naturalibus esse aptitudinem ad Beatitudinem supremã. Nos tamẽ oppositum tenemus, quia *Scotus in qu. 1. Prologi, & in 4. dist. 49. qu.* 10. in quibus hanc rem ex instituto tractauit, suam mentem claré nos docuit asserens, nos naturaliter inclinari ad actus supernaturales. Hinc non videtur rationabile propter illum locum *ex quolib.* 19. recedere à communi Scotistarũ sententia, atquè adeò ipsius Scoti. Quare.

88 *Respondemus primò* (relictis inutilibus responsis *à Bargio adductis in* 1. *Prologi lit. F.* Doctorem intelligere de illis, quæ sũt ordinis Diuini, & quæ non sunt media ad finem supremum. Primam partem huius responsionis pono ob formas, quas miraculosè Deus introduxit, vt cum visum, auditum, cœco, & surdo à natiuitate restituit, quæ formæ naturaliter sunt perfectiuæ subiectorũ; & ad eas, qua tales, inclinantur subiecta: cùm verò miraculoso modo habeantur, non sunt referendæ ad ordinem naturalem, sed ad Diuinum; ac proindè non inclinantur subiecta ad eas, vt sic habitas (nam ad miracula, vt sic non inclinamur;) sed tantùm vt formæ sunt subiectorum perfectiuę. *Dixi etiam* non inclinari subiecta ad eas formas supernaturales, quæ non sunt media ad finem supremum, ob fidem, spem, & Charitatem, quæ ordinatæ sũt ad cõsecutionem supremæ Beatitudinis; & ita inclinantur ad media æquè, ac finẽ; ratio enim mediorum sumenda est ex fine.

*Ex quo diluitur* vnum ex argumentis propositis ab aduersarijs dicentibus, non inclinari creaturam intellectualem ad habitus infusos, & per consequens neq; ad Beatitudinem; *nam negamus antecedens*, cùm etiam *Sanctus Augustinus* 1. *de prædestinatione Sãctorum cap. quinto dicat, habere fidem, spem, & Charitatem, gratiæ esse fideliũ; posse autem habere, esse naturæ fideliũ, hoc est naturalis inclinationis*, teste Scoto. *Quare* redeuntes ad rem nostram dicimus nõ inclinari creaturam rationalem ad actus supernaturales, qui sunt ordinis Diuini, cuiusmodi est incarnatio, de qua ibi loquebatur Scotus, & nos dicemus in subsequentibus.

89 *Secundò dico*, nõ inclinari creaturam intellectualem ad formas supernaturales non conuenientes ei, qua intellectualis est; at habitus infusi, & Beatitudo cõueniunt ei, qua intellectualis est; cùm secundùm nostra principia, etiam bruta, & inanimata possint assumi in vnitate suppositi.

*Postremò* ex littera eiusdem Doctoris *cit. quol.* 19. elicio aliã responsionem; inquit enim, *ad formas supernaturales, etsi sit potentia aliqua in susceptiuo, non tamen propriè aptitudo: quia illa*

non

*non est propriè, nisi ad formam naturaliter perfectiuam.* Hic obseruo, quòd Scotus non videtur negare omnino aptitudinem ad formas supernaturales; sed dicit, non esse propriè, sicut ad formam naturalem; quia ad hanc ita se hebet subiectum aptum natum, vt etiam, vt plurimùm habeat principium actiuum in se comparandi eamdem formã, vt patet de lapide inclinato deorsùm, & habente grauitatem. Ad formas verò supernaturales naturaliter propendit sinè principio actiuo.

90 *Si placet nota*, esse latum discrimen inter simpliciter capacitatem, inclinationem, & aptitudinem; hæc dicit propensionem in subiecto apto, à quo negata forma, ad quam aptiuatur, est imperfectum, vt cæcus. Illa dicit quid positiuum, per quod propendit; sed sinè forma non dicitur subiectum imperfectum in suo esse, vt materia prima, vel superficies sinè coloribus: sed simplex capacitas dicit non repugnantiam, vt lignum ad statuam Mercurij, vel Iouis. Hinc qnando dicit *Scotus etiam in 3. distin. 1. qu. 1. sub lit. A.* quod respectù actus supernaturalis non concomitatur aptitudo in natura, verùm est. Applica si placet ad propositum.

Posset hic proponi argumentum probans, ex nostra proposi. sitione deduci, naturam humanam dicere naturalem inclinationem ad vnionem hypostaticam; sed huic argumento fuit à nobis satisfactum *supra nu. 47. & sequentibus:*



# DISPVTATIO QVARTA.

## *De Christo Deo, & homine.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *In Christo verè, & vera est Diuinitas, Essentia videlicet, & Natura Diuina, estquè vnus Deus, non ex gratia, & adoptione, sed essentialiter, & naturaliter.*

1 EX fide constat, tres esse in Diuinis Personas, quarum quælibet Deus est, eamdem numero habens Essentiam Diuinã, quarum secunda per incarnationem factus est homo, Christus per vnionem hypostaticam, itaut manserit integra, & salua hæc natura Diuina in Christo sinè sui mixtione, & conuersione. Vndè fit, vt Christus verè Deus sit, constans persona Diuina, quę Deus est; neque ad hoc, vt Deus sit, necessaria est trium personarum incarnatio; nos enim vnicam fatemur incarnationem; quia terminus incarnationis nõ est essentia Diuina, sed Persona; cui tamen Personę essentialis est illa Diuinitas, quæ Personis tribus est communis. Admittimus, tres personas concurrisse ad incarnationem, quia Sanctissimæ Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa; sed cõcurrunt tres personæ effectiuè dumtaxat, & causaliter, solaquè secunda concurrit terminatiuè.

*Hinc fides Catholica docet*, Christum verè esse Deum; & id, quod est contra Ebionem hæreticum, qui primus Diuinitatem Christi ausus est negare, probamus ex sacra pagina: si primò nouerimus, aliquos in scripturis appellari Deos, vel ex adoptione eorum in filios Dei, qui propterea dicuntur, aut Dij, aut filij Dei, non quidem natura, sed adoptione, & gratia, vel ratione dignitatis, quo sensu dicitur Moyses Pharaonis Deus; vel ex falsa hominis imaginatione, vt gentium Idola, vel alio quocũque modo, Hi autem omnes non sunt verè Dij; est enim vnicus

cus

cus verus Deus, atque naturalis, qualem nos probamus esse Christum ex Matthæi 16. nu. 15. vbi D. Petrus à Christo interrogatus: *vos autem, quem me esse dicitis?* respondit: *tu es Christus filius Dei viui*, quam confessionē ita laudauit Christus, vt subiunxerit: *beatus es Symon Bar Iona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est*.

2 *Habemus* apud *Marcum c.* 14. *n.*61. aliud Christi testimonium. Interrogatus enim à Summo Pontifice *tu es Christus filius Dei benedicti?* respondit: *ego sum*. Ex his locis ita insurgo contra Hæreticos: vel ibi nomen filij Dei sumitur pro filio naturali, qui verè, & naturaliter Deus est, vel pro Deo, & filio Dei ex gratia, & adoptione. Secundū dici nō potest: neque enim Iudæi vnquam conquesti fuissent, aut illum crucifixissent, si se filium Dei solum ex adoptione, & gratia fecisset; omnes enim iudæi in hoc sensu se filios Dei affirmabant, de illis enim scriptum erat, *apud Psalmistam ps.* 81. *n.* 6. *ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes*, non quidem natura, sed gratia: nec magna laus erat tribuēda Apostolo Petro, si hoc sensu Christum filium Dei prædicasset; imò hoc ipsum docet Antithesis, quæ erat inter fidem Apostolorum de Christo, & aliorum. Nam alij putabāt Christum esse, aut Eliā, aut Ioannem Baptistam, aut vnū ex Prophetis, qui omnes Dij, & filij erant adoptione, & gratia; fides autem Apostolorum excellentiùs quidpiam de Christo sentiebat, ac proinde dicendum est, Apostolum sensisse, Christū esse filium Dei naturalē, & Christum se ipsum dixisse hoc sensu filium Dei. Credunt hæretici, nō esse mentitum Christum, siue, cum de ipso loqueretur, siue, cū de illo alios loquentes testatur, verum affari: ergo neque ille est mentitus, nec alij, dum illum appellarunt filium Dei, itaut notent naturalem Patri consubstātialem.

*Obijciunt nobis* Christum de se ipso loquentem Io: 14. num. 28. *Pater maior me est*; est Pater est maior: ergo ipse est minor; quòd si minor Patre: ergo nō est Deus. *Respondemus*, hunc textum, aliosque eiusdem naturę esse intelligendos de Christo homine: nā cùm sint in Christo duæ naturę impermixtę; quęlibet retinet suas proprietates: est sanè Christus minor Patre, quatenus est homo, sed secundùm alteram naturam ęqualis est Patri, prout se ipsum indicat Ioannis decimo n. 30. *Ego, & Pater vnū sumus*.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Christus verè Homo est, humana constans natura eiusdem speciei cum nostra.*

3 Diffiteri ausus est Hęreticus Cerdon, humanitatem Christi; quem plures alij secuti sunt Hęretici, quamuis eorum vnusquisque propriam haberet hęresim, & diuersa sentirent de Homine Christo; in hoc tamen conueniebant, quod negarent, Christum esse hominem. Contra hos varię adhibēdę sunt propositiones. Hæc autèm in communi probat, Christum esse hominem; sequens autèm propositio ostendit, in Christo esse hominis partes, scilicet Corpus, Sanguinem, Animam, &c.

*Humanitas Christi* pręcipuè innititur promissioni factę Abrahę Patriarchę, & Dauid Regi, quam promissionem, in Christo esse adimpletam, satis probant Apostoli, & Euangelistę. Bis loquitur Deus Abrahę, aitquè, *apud Genes. 22. n. 18. benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; quę verba applicat Christo *D. Paulus ad Gal. 3. n. 16. Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius: non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus*: hæc D. Paulus.

4 *Hinc constat* ex Abrahę semine ortum Christum, quod autèm ex semine hominis generatur, homo est. Dicitur autèm Christus ex semine Abrahę, quia conceptus, & natus est de sua Matre Virgine, quę erat Abrahæ filia de stirpe, & semine Abrahę. Notat *D. Paulus*, Christum esse filium Dauid *Rom. 1. n. 3. de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*. His adde vsitatam à Christo phrasim, qua se ferè semper filium Hominis vocat, qui enim filius hominis est, homo esse debet. Angelicũ adhùc habemus pro vera humanitate Christi testimoniũ, *Lucæ 1. n. 31. Ecce cõcipies, & paries filium*: nàm conceptio, & partus ex materno vtero, hominem demonstrat. Vndè, & *Matthæus c. 1. n. 16.* affirmat: *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*. Deinde totus vitę Christi decursus, eum hominem facilè ostēdit; pręcipuè cõmestio, quę ad deperditę naturę restitutionem adhibetur. Hoc argumento omnes ferè Patres vtuntur, vt Christum verè conceptum ex substãtia materna, ac proinde verum fuisse hominem, ostendant. *Ita enim*

*enim argumentantur*: si in conceptu ex partu nihil ex Matre traxit Christus, vel imaginarius dumtaxat homo fuerit: quorsùm lacte nutritur, cùm idem sit generationis principium, & conseruationis?

5 *Abutebantur olim Hæretici* duobus præcipuè locis, qui apud Paulum leguntur, vt probarent, Christum non fuisse hominem verum. Primus est ad Philipp. 2. n. 7. *In similitudinem hominum factus. & habitu inuentus, vt homo.*

*Duplicem damus expositionem*; quarum prima supponit, D. Paulum fuisse hæbreum, atquè adeo phrasim hebraicam seruasse, etsi Græcè scripserit; Hæbraica autẽ phrasis, *simile* appellat, quod est eiusdem naturæ. Vndè *Gen*, 2. *n*. 18. *Non est bonum hominem esse solum; faciemus ei adiutorium simile sibi*; & cap. 5. n. 3. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam*. Certum namquè est, tam mulierem esse eiusdem naturæ cum viro: eiusdemq; substantiæ esse filium cum Patre; Ita Christus in similitudinem hominum factus est, scilicet homo fuit eiusdem substantiæ cum alijs hominibus. Eodem modo dicitur *habitu inuentus, vt homo*; quia humanitas habitus appellatur, seu vestimentum; vndè Apostolus alludere videtur ad ea, quæ anteà scripsit *Isaias cap*. 63. *n*. 2. de Christo: *quare rubrũ est indumentum tuum? & n*. 1. *quis est iste, qui ascendit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* His namque verbis interrogant Angeli Christum à suo passione reuertẽtem. Dicitur autèm humanitas vestimentum Christi, quia eam induit Diuinum Verbum eo modo, quo homines dicuntur induere vestem, quam substentant, quandiù induti manent. Si verò eundem habitum habet Christus, quem alij Homines, veram Humanitatẽ eum habere oportet.

6 *Sit secunda responsio*. In Christo præter hominẽ erat etiàm Deus, ita tamen, vt lateret in homine Deus, & extrinsecùs nihil minùs apparebat, quàm Deus: alij verò homines nihil aliud sunt, quã homines; vndè qui oculis corporeis Christum conspiciebant, & nihil de eius Diuinitate nouerant, putabant hominem purũ. Hoc exagitat Apostolus, monetquè, Christũ factum in similitudinem, apparuisse secundùm extrinsecam tantùm faciem eo modo, quo imaginem alicuius hominis dicimus similitudinem illius, quia nihil præsefert, nisi id, quod oculus corporeus videt; ità dicitur, *habitu inuentus vt homo*, scilicet, in sua conuersatione habebatur, vt purus homo manducans, dormiens, &c. vt alij homines.

7 *Secundus textus*, quo abutebãtur Hæretici est apud Corinth. primam c. 15. n. 47. vbi habetur: *primus homo de terra terrenus: secun-*

*cundus homo de Cælo Cælestis*. Primus homo Adam est, qui terrenus dicitur, quia ex terra compactus est; vndè colligebant Heretici, secundum hominem dici Cælestem, quod Cæleste habuerit corpus, ac proindè verè homo non fuerit, sed apparenter: Catholici autèm ex eo, quod dicitur absolutè homo, non minùs, quàm Adam; concludunt, Christum fuisse verum hominē, sicut Adam fuit, dicique Cælestem; quia habet Diuinitatem, quæ dicitur Cælestis eo modo, quo Deus dicitur esse in Cælis, ita Christus dicitur ab Apostolo homo Cælestis, sicut nos appellamus Christum hominem Deū, partim propter eius insolitam Conceptionem, Christus etiàm dicitur Cælestis, quia proles sortitur denominationem dignioris, atquè Pater Cælestis cōcurrit ad hanc generationem: ergò &c.

## PROPOSITIO TERTIA.

*Homo est Christus habens Corpus cum partibus suis, carne scilicet, ossibus, neruis, & c. nec non sanguinem. Animam quoquè habet rationalem eiusdem naturæ, & speciei cum nostra.*

8 VErum in Christo esse Corpus carneum, & osseum, euidenter ostendit Christus post Resurrectionem suam apud *Lucam 24. n. 39. Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*; nec non, cum se palpabilem prebuit Sancto Thomæ, dùm iussit eum inferre manum in latus, & digitum in loca clauorum. In eodem surrexit Christus corpore, in quo crucifixus fuerat, & in vtero materno conceptus; fuit autèm verum corpus Christi carneum, & osseum, & palpabile post Resurrectionem: ergo in sua conceptione, vita, & morte, tale habuit Corpus. Idem docetur *Ioannis 4. n. 2. primæ Epistol. Omnis Spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*. Ponderanda sunt vltima verba, quibus docemur, impium esse, soluere Christum: ille autèm soluit, qui de duabus Naturis in Christo existentibus; vnam quidèm fatetur, alteram negat: vndè eiusdem

dem periculi, & damnationis est, Christum diffiteri verum Deum, aut hominem verum; Hinc eodem capite nu. 15. legimus: *Quisquis confessus fuerit, quoniàm Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, &c.* quasi diceret: Hic verè Christianus est; qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, & filium Dei esse. *Verū sanguinem* in Christo fuisse, testantur, quæ infrà subsequuntur.

# DISPVTATIO QVINTA.

## *De Sanguine Christi:*

INexhaustum meritorum Dominici sanguinis thesaurum, vniusquè, ac trini Numinis pietatem deprecatus; vt discussa cuiuslibet erroris caligine, solius Catholicæ Fidei veritas, fidelium omnium mentes collustrans, perennibus radijs effulgeat; nunc (sicut aliàs, & dictis, & opere non rarò sum protestatus) me nec latum quidem punctum ab orthodoxæ veritatis via in scriptis, aut scribendis vllatenus aberrare velle protestor. Quapropter me, meaquè omnia Sanctæ Romanæ Ecclesię pedibus, & correctioni libentissimè subijcio. Quæro igitur.

## *An Sanguis Christi fuerit diuinitati vnitus?*

1 VErum sanguinem in Christo fuisse, testatur sanguineus sudor, & eructiones sanguinis in flagellatione, coronatione spinea, crucifixione, & lateris apertione. *Fauet ratio*: quia corpus naturale non potest ab anima informari, si sit sinè sanguine, siue sanguis informetur ab anima, siue non; ac proinde hac de re nullus datur locus dubitationi: at cùm sanguis possit esse in corpore Christi, & Diuinitati non vniri, sicut lachrymæ, saliua, sudor, & ros in Corpore Christi fuerunt, & tamèn Diuinitati non fuerūt vnita, vt inter cæteros docet Suarez, licèt Scoto oppositum appareat verius, & nos dicemus infrà. Hinc est maxima difficultas: *An sicut Corpus assumptum fuit à diuino Verbo in vnione hypostatica, & supposito, ita in eadem vnione assumptus fuerit sanguis?*

2 *Sunt*, qui absolutè negant. Ita *Durandus in 4. dist. 10. q. 1. n. 9.* Riccardus *in 3. dist. 2. art. 2. qu. 1.* Gabriel *lect. 13. in Canone Missæ*, Maironus *in 4. dist. 45. & sermone, qui incipit: memoriam fecit mirabilium suorum*, Abulensis *paradoxo 2. cap. 40. & 43. Cardinalis sancti Petri ad vincula ex Seraphico ordine nostro, qui postea summus Pontifex Sixtus quartus in tractatu de Sanguine Christi, & vocabatur Frater Franciscus de Rouere Genuensis de Sauona.*

*Sunt & alij*, qui distinctione hac vtũtur: duplex, inquiunt, est in corpore sanguis: vnus materialis, impurus, & non perfectè decoctus; hicquè, cùm non sit de corporis, seu hominis integritate, non potuit assumi hypostaticè. Alter est decoctus purus, & formalis, pertinetquè ad hominis integritatem, estq; propterea assumptus hypostaticè. Ita *Caietanus in 3. part. qu. 5. art. 2. & in 1. parte qu. vlt art. 2. & 3. parte q. 54. art. 1.* Veritatem docebunt, quæ subsequuntur propositiones.

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Probabile est, sanguinem non fuisse immediatè assumptum ad hypostasim Verbi.*

ITa Authores primæ sententiæ. Videatur *Dermitius Thadæus in Nitela Franciscana pag. 444.* vbi discutiuntur Decreta, quæ contra hanc propositionem afferuntur:

3 *Probant aliqui* nostram propositionem: quia multæ partes sãguinis remanserunt in Cruce, spinis, &c. & hodie in multis locis seruatur, & colitur sanguis Christi, vt ex historijs, & traditione constat: ergo hæ partes nũquam fuerũt assumptæ: aliàs Verbum dimisisset, quod semel assumpsit, contrà Anselmum testantem, quod Verbum semel assumpsit, nũquàm dimisit, &c.

*Mihi*; nisi meum me fallat iudicium, non videtur concludere præsens argumentatio: quippè multæ fuerunt partes dimissæ, & semel assumptæ: nec Christus iam in cælo debet habere alias partes sibi hypostaticè vnitas, quàm quæ illi beatitudinis statui congruunt; sicut nec debuit in via hoc, vel illo tempore determinato in decursu vitæ retinere vnionem vllarum partiũ; quàm illarum, quæ hoc, vel illo tempore pertinebant ad veritatem, & constitutionem eius naturæ; non autem aliarum par-

partium continua caloris naturalis actione fluentium: quia tunc non essent, nec futuræ amplius erant partes actuales eius humanitatis.

4 *Sit ergo hæc ratio.* Ad veritatem huius mysterij non requiritur, quòd sanguis sit immediatè assumptus, nec id requiri potest ex vllo alio capite: ergo nullo modo requiritur. Antecedens quoad secūdā partem est manifestum, cùm non possit ostendi ad quid aliud requirêtur; quoad primam partem probatur: quia ad veritatem huius mysterij sufficit, quòd humanitas, eiusquè partes essentiales, & integrales sint assumptæ: sed sanguis nec est ipsa humanitas, nec pars essentialis, aut integralis eius: ergo ad veritatem huius mysterij non requiritur eius assumptio. Probatur maior: quia posita tali sola assumptione, verè dicitur *Deus homo, & Homo Deus*, & idem est de alijs omnibus enunciationibus, quæ veræ dicuntur ratione huius mysterij: ergo talis assumptio sola sufficit. Probatur minor ex communi opinione Physicorum, & Medicorum, qui dicunt, sanguinem spectare ad naturam animalis solùm, vt alimentum corporis: sed alimentum nec est pars rei alitæ, nec forma eius informatur: ergo sanguis non est pars naturæ humanæ, nec forma eius informatur. Minor patet: quia alimentum per mutationem substantialem, & conuersionem nutritiuam conuertitur in substantiam aliti, & transit à forma propria per corruptionem eius ad formam ipsius aliti: ergo antè non est pars aliti, nec sub forma aliti. Maior probatur *ex Philosopho lib. 3. de partibus animaliũ cap. 5.* vbi docet, *sanguinem esse materiam corporis, hoc est, in potentia, quatenus est alimentum, vt in corpus mutetur.* Et *libro 2. de partibus animalium cap. 3. cum omnis, inquit, alimenti, omnisquè excrementi receptaculum aliquod habere necesse sit, venæquè quasi vasa sint sanguinis, patet, sanguinem esse animalibus sanguineis alimentum.* Et *lib. 3. de partibus animalium cap. 15. & 2 de Anima*, dicit, *sāguinem manere irriguum per venas, sicut aqua per sulcos deriuata, fit alimentum oleribus, & herbis.* Philosophum sequuntur *Scotus in 3. dist. 2. q. 2. & D. Thomas p. p. q. vltima art. 1. ad 3. & 3. p. q. 31. art. 5. ad 1.* vbi dicit, *Verbum ideò assumpsisse humanitatem non de carne Virginis, nè minueret illius naturam, auferens illud, quod actù erat pars humanitatis ipsius; sed de sanguine, qui nondum erat pars ipsius.* Hos sequuntur multi alij, vt Alensis *2. p. q. 92. membro 7. D. Bonauentura in 4. art. 7. q. 1. ad 2. Riccardus dist. 4. art. 1. q. 2.* Sotus *dist. 10. q. 1. art. 2.* Durandus, Gabriel, *& alij plures.*

5 *Sit secunda* ratio pro nostra propositione. Si sanguis esset pars naturæ humanæ, deberet

physicè vniri cum alijs partibus ad constituendum totum; cuius ratio in hoc consistit, quòd sit vnum ens per se, quod nequit esse, nisi ex partibus per se vnitis: sed sanguis non sic vnitur: ergo non est pars. Minor probatur ex *Philosopho 3. de historijs animalium cap.* 13. vbi docet, *sanguinem esse dispersum per omnes partes corporis, & in omnibus, & singulis moueri*: hoc autem non fieret, si cum partibus ipsis vniretur.

*Nec valet, si dicas* non vniri illis partibus, in quibus mouetur, sed cum alijs, vt corde, & iecore, à quibus originem habet. *Non valet* inquam: nam secũdùm Philosophum habet originem à corde, & tamen illi nõ vnitur, teste eodem *Philosopho 2. de partibus animalium cap. 3.* vbi ait, *sanguinem non esse continuum carni; sed in corde, ac venis, quasi in vasis contineri*: fluidum enim non est vnibile solido; sed sanguis est in continua fluxione, instar aquæ continuò fluentis, & currentis; ergo, sicut aqua fluẽs non vnitur corpori solido, ita nec sanguis: ergo non est pars, cùm non possit vniri alteri comparti ad componendum vnum tertium.

6 *Adde*, quòd *Lactantius in lib. de hominis opificio* ( vt refert *Cardinalis S. Petri in suo tract. de sanguine Christi*) dicit, *sanguinem se habere ad animam, sicut oleum ad lumen*: sed oleum nullo modo est actù pars luminis: ergo nec sanguis est pars rei animatæ; sed esset, si informaretur anima: ergo non informatur. *Adde etiam*, multos Patres, & Concilia dicere, Christum subsistere in tribus substantijs, nempè diuina, anima, & corpore, nullam prorsùs mentionem facientes de sãguine, quod non fecissent, si existimassent, sanguinem fuisse assumptum eodem modo, quo corpus, & anima. *Confirmatur ex Symbulo Athanasij*, vbi dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*, nil dicendo de sanguine.

*Nec valet respondere*, Patres ideò fecisse mentionem carnis, quia Hæretici veritatem carnis negabant: *nam omnes hæretici*, qui negabant Christo veram carnem, negabant etiam verum sanguinem, & tamen Patres nõ dicunt propterea, Christum subsistere in sanguine, sicut dicunt subsistere à carne.

*Aduersarij dicunt*, sanguinem fuisse vnitum, quia illo sumus redempti, & ad id sanguis non fuisset sufficiens, nisi foret infiniti valoris, quem valorem tantùm potuit habere ob immediatam vnionem ad Verbum.

*Contra*. Talis infinitas potest haberi cum sola mediata vnione: ergo &c. Antecedens probatur: Actus charitatis Christi, Obedientiæ, Patientiæ, &c. fuerunt infiniti meriti, & potuerunt

ac-

acceptari à Patre Aeterno in pretium redemptionis nostræ, cùm tamen nemo dicat, illos actus fuisse immediatè vnitos Verbo: ergo vnio mediata ad Verbum satis est.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Multa, & grauia argumenta, quæ facere videntur contra nostram propositionem, sunt, quæ sequuntur.*

7 PRimò *obijcitur* nobis authoritas desumpta ex *Apostolo ad Hæbreos* 2. *nu.* 14. vbi habet: *Quia ergo pueri* (scilicet homines) *communicauerunt carni, & sanguini, & ipse* (scilicet Christus) *similiter participauit eisdem, vt per suam mortem, &c.* His verbis Paulus explicat hypostaticā vnionem per assumptionem carnis, & sanguinis, volens ostendere, Christum esse eiusdem naturæ humanæ cum alijs hominibus: ergò, sicut caro immediatè vnita est Verbo, ita sanguis. *Confirmatur primò*: caro, & sanguis ex modò relatis verbis Apostoli significantur, tamquàm terminus primarius eius, quod assumitur: ergo assumptio, seù vnio immediatè facta est à Deo. Probatur sequela: quia immediata est assumptio respectù termini primarij eius, quod assumitur.

*Confirmatur secundò*. Secundū fidem humanitas est vnita Verbo immediatè: sed humanitas tùm in prædictis verbis Apostoli, tùm in alijs locis scripturæ, Conciliorum, & Patrum significatur nomine carnis, & sanguinis: ergo iuxta phrasim Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, idem est Verbum esse vnitum humanitati, ac carni, & sanguini, & consequenter immediatè facta est vnio carni, & sanguini, sicut immediatè facta est humanitati. Minor probatur: *Matthæi* 16. *n.*17. habetur: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi*, hoc est homo. *Ad Ephesios* 6. *nu.* 12. *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem*. Concilium Ephesinum, vt explicet, Christum esse eiusdem naturæ nobiscum, Canone 5 *anathematizat eum, qui negat, Verbum incarnatum non communicasse, vt nos carni, & sanguini*. *Cyrillus in Anathematismo* 5. *in epist.* 10 *ipsius, &c. similiter*, vt ostendat, Verbum esse hominem æquè, ac nos, ait: *participem esse carnis, & sanguinis*. ergo ex sacris litteris, Concilijs, & Pa-

tribus

tribus certum est, eandem esse rationem de humanitate, ac de carne, & sanguine, & consequenter ista ad terminum primarium eius, quod assumitur, spectare?

8 *Longo huic discursui* nos, breuitati studendo, succinctè occurrimus; concedimus enim, Christũ communicare nobiscũ in carne, & sanguine; sed indè nil infertur contra nos: quippè. sicut negamus, sanguinem nostrum esse partem naturæ nostræ, aut subsistere immediatè subsistentia totius compositi ex corpore, & anima, sed habere in corpore propriam subsistentiam, quam ex venis extractus, & in terra fusus, retinet; ita etiã dicimus, sanguinem Christi nõ fuisse partem eius, nec subsistere immediatè subsistentia Verbi, qua immediatè subsistebat tota natura humana, sed habuisse in corpore Christi propriã suam subsistentiam, qua immediatè terminabatur, licèt dicatur mediatè assumi, hoc est, mediante natura, in qua continetur. & cuius est alimentum; & hæc assumptio immediata naturæ, qua mediãte assumitur quidquid est in natura, & consequẽter sanguis, sufficit, vt dicatur sanguis Christi, Verbi diuini, & Dei. *Hinc ad Patres*, qui dicunt verbis expressis, *sanguinem effusum fuisse*.

9 *Respondetur* distinguendo: fuit assumptus mediatè, scilicet assumptione ipsius naturę; vel mediante natura ita, vt possit verè dici: Sanguis Christi est assumptus modo supradicto: concedo; & sic Verbum diuinum dicitur assumpsisse etiam accidẽtia, operationes naturæ, miserias, ac molestias nostras in sua carne; non quòd hypostasis Verbi sit illis vnita immediatè, sed quia vnitur immediatè naturę humanæ, cuius sunt illa accidentia, operationes, miseriæ, ac molestiæ. *Deindè* Sancti Patres frequentissimè dicunt, Christum communicasse nobis in sanguine, & sanguinem assumpsisse, vt ostendant in Christo veritatem carnis, quæ maximè probatur ex sanguine contra Hæreticos negantes, corpus humanum fuisse assumptum, & admittentes tantùm corpus phantasticũ, vel aereum, vel ex elementis compactum, vel ex materia cœlesti.

10 *Secundò obijcitur*. Redemptio nostra tribuitur sanguini Christi, quo dicimur emundati, dealbati, & sanctificati; sed, non ob aliam rationem, nisi quia sanguis fuit infiniti valoris ob vnionẽ immediatam cum Verbo, ergo fuit sic vnitus. *Confirmatur ex Clemente VI. in extrauaganti*, quæ incipit: *Vnigenitus de pænitentijs, & remissionibus, &c.* vbi agens de Christi copiosa redemptione, vtitur his verbis: *Non enim corruptibilibus auro, & argento, sed sui ipsius Agni incontami-*

*taminati, & immaculati pretioso sanguine nos redemit, quem in ara Crucis innocens, immolatus, non guttam sanguinis modicam (quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redēptione humani generis sufficisset) sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse, ergo &c.*

*Respondemus* negando minorem, & consequentiam; nam siuè valor sanguinis oblati fuerit finitus, siuè infinitus (de quo iam non curo) ad eum sufficiebat vnio immediata humanitatis effundentis, & offerentis sanguinem cum Verbo diuino, qua mediante diceretur: *Sanguis Christi est oblatus*; nam valor moralis attenditur ex dignite offerentis, & merentis, qui in proposito erat infinitus, & consequenter oblatio sanguinis poterat esse sufficientis valoris, etiamsi sanguis ipse nō esset vnitus immediatè Verbo, sicut sudor, lacrimæ; & eleemosynæ Christi, si ab ipso offerrentur, essent sufficientis valoris, licèt non fuerint hypostaticè Verbo vnitæ.

11 *Ad confirmationē Respondemus primò*, verba illa: *quæ tamen propter vnionem ad Verbum, &c.* posse ita intelligi; vt modica gutta sanguinis effusi propter vnionē humanitatis innocentis immolatæ, cuius ille sanguis erat, sufficeret pro redemptione totius generis humani propter dignitatem offerentis.

*Respōdemus secundò* distinguēdo illa verba: propter vnionem mediatam, quam habet ad Verbum modo supra notato, concedo: propter vnionem immediatam, nego: quia talem non habuit, nec requiritur in re oblata; nec si esset, sufficeret secūdùm plures Aduersarios, qui negant oblationem sanguinis in Missa esse infiniti valoris, quamuis secundùm ipsos sit hypostaticè vnitus Verbo ex defectu dignitatis infinitæ in persona offerente, nempè Sacerdote. *Nec concedent mihi*, oblationem, qua Beata Virgo suum filium in tēplo obtulit, fuisse infiniti valoris, aut sufficisse ad nostrā redēptionem, quia secundùm illos valor moralis debet attendi ex dignitate offerentis, licèt secundùm nos sufficeret si accederet acceptatio diuina, quæ complet rationem meriti, & satisfactionis.

*Dices contrà*. Valor sanguinis est pretium: sed pretium non accipit valorem ab offerente: nam Rex in pretium posset dare alicui quatrinum; non tamen indè sequeretur, quatrinum esse supremi valoris, quia datum, vel oblatum à persona suprema; ergo illum valorem habuit sanguis ob immediatam vnionem ad Verbum. *Respondeo*, valorē meritorum apud Deum non fore desumendum ab ipsa entitate rei, sed à diuina acceptatione, quæ, supposito valore fundamētali in opere, eleuat ipsum ad va-

# DISPVTATIO QVARTA.

## *De Christo Deo, & homine.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *In Christo verè, & vera est Diuinitas, Essentia videlicet, & Natura Diuina, estquè vnus Deus, non ex gratia, & adoptione, sed essentialiter, & naturaliter.*

1 EX fide constat, tres esse in Diuinis Personas, quarum quælibet Deus est, eamdem numero habens Essentiam Diuinã, quarum secunda per incarnationem factus est homo, Christus per vnionem hypostaticam, itaut manserit integra, & salua hæc natura Diuina in Christo sinè sui mixtione, & conuersione. Vndè fit, vt Christus verè Deus sit, constans persona Diuina, quę Deus est; neque ad hoc, vt Deus sit, necessaria est trium personarum incarnatio; nos enim vnicam fatemur incarnationem; quia terminus incarnationis nõ est essentia Diuina, sed Persona; cui tamen Personę essentialis est illa Diuinitas, quæ Personis tribus est communis. Admittimus, tres personas concurrisse ad incarnationem, quia Sanctissimæ Trinitatis opera ad extra sunt indiuisa; sed cõcurrunt tres personæ effectiuè dumtaxat, & causaliter, solaquè secunda concurrit terminatiuè.

*Hinc fides Catholica docet,* Christum verè esse Deum; & id, quod est contra Ebionem hæreticum, qui primus Diuinitatem Christi ausus est negare, probamus ex sacra pagina: si primò nouerimus, aliquos in scripturis appellari Deos, vel ex adoptione eorum in filios Dei, qui propterea dicuntur, aut Dij, aut filij Dei, non quidem natura, sed adoptione, & gratia, vel ratione dignitatis, quo sensu dicitur Moyses Pharaonis Deus; vel ex falsa hominis imaginatione, vt gentium Idola, vel alio quocũque modo, Hi autem omnes non sunt verè Dij; est enim vnicus

cus verus Deus, atque naturalis, qualem nos probamus esse Christum ex Matthæi 16. nu.15. vbi D. Petrus à Christo interrogatus: *vos autem, quem me esse dicitis?* respondit: *tu es Christus filius Dei viui*, quam confessionẽ ita laudauit Christus, vt subiunxerit: *beatus es Symon Bar Iona; quia caro, & sanguis non reuelauit tibi, sed Peter meus, qui in cælis est.*

2 *Habemus* apud *Marcum c.* 14. *n.*61. aliud Christi testimonium. Interrogatus enim à Summo Pontifice *tu es Christus filius Dei benedicti?* respondit: *ego sum.* Ex his locis ita insurgo contra Hereticos: vel ibi nomen filij Dei sumitur pro filio naturali, qui verè, & naturaliter Deus est, vel pro Deo, & filio Dei ex gratia, & adoptione. Secundũ dici nõ potest: neque enim Iudæi vnquam conquesti fuissent, aut illum crucifixissent, si se filium Dei solum ex adoptione, & gratia fecisset; omnes enim iudæi in hoc sensu se filios Dei affirmabant, de illis enim scriptum erat, *apud Psalmistam ps.* 81. *n.* 6. *ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes,* non quidem natura, sed gratia: nec magna laus erat tribuẽda Apostolo Petro, si hoc sensu Christum filium Dei prædicasset; imò hoc ipsum docet Antithesis, quæ erat inter fidem Apostolorum de Christo, & aliorum. Nam alij putabãt Christum esse, aut Eliã, aut Ioannem Baptistam, aut vnũ ex Prophetis, qui omnes Dij, & filij erant adoptione, & gratia; fides autem Apostolorum excellentiùs quidpiam de Christo sentiebat, ac proinde dicendum est, Apostolum sensisse, Christũ esse filium Dei naturalẽ, & Christum se ipsum dixisse hoc sensu filium Dei. Credunt hæretici, nõ esse mentitum Christum, siue, cum de ipso loqueretur, siue, cũ de illo alios loquentes testatur, verum affari: ergo neque ille est mentitus, nec alij, dum illum appellarunt filium Dei, itaut notent naturalem Patri consubstãtialem.

*Obijciunt nobis* Christum de se ipso loquentem Io: 14. num.28. *Pater maior me est;* est Pater est maior: ergo ipse est minor; quòd si minor Patre: ergo nõ est Deus. *Respondemus,* hunc testum, aliosquè eiusdem naturę esse intelligendos de Christo homine: nã: cùm sint in Christo duæ naturę impermixtę; quęlibet retinet suas proprietates: est sanè Christus minor Patre, quatenus est homo, sed secundùm alteram naturam ęqualis est Patri, prout se ipsum indicat Ioannis decimo n. 30. *Ego, & Pater vnũ sumus.*

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Christus verè Homo est, humana constans natura eiusdem speciei cum nostra.*

3 Diffiteri ausus est Hęreticus Cerdon, humanitatem Christi; quem plures alij secuti sunt Hęretici, quamuis eorum vnusquisque propriam haberet hęresim, & diuersa sentirent de Homine Christo; in hoc tamen conueniebant, quod negarent, Christum esse hominem. Contra hos varię adhibēdę sunt propositiones. Hæc autèm in communi probat, Christum esse hominem; sequens autèm propositio ostendit, in Christo esse hominis partes, scilicet Corpus, Sanguinem, Animam, &c.

*Humanitas Christi* pręcipuè innititur promissioni factę Abrahę Patriarchę, & Dauid Regi, quam promissionem, in Christo esse adimpletam, satis probant Apostoli, & Euangelistę. Bis loquitur Deus Abrahę, aitquè, *apud Genes. 22. n. 18. benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*; quę verba applicat Christo *D. Paulus ad Gal. 3. n. 16. Abrahæ dicta sunt promissiones, & semini eius: non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus*: hæc D. Paulus.

4 *Hinc constat* ex Abrahę semine ortum Christum, quod autèm ex semine hominis generatur, homo est. Dicitur autèm Christus ex semine Abrahę, quia conceptus, & natus est de sua Matre Virgine, quę erat Abrahæ filia de stirpe, & semine Abrahę. Notat *D. Paulus*, Christum esse filium Dauid *Rom. 1. n. 3. de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem*. His adde vsitatam à Christo phrasim, qua se ferè semper filium Hominis vocat, qui enim filius hominis est, homo esse debet. Angelicū adhùc habemus pro vera humanitate Christi testimoniū, *Lucæ 1. n. 31. Ecce cōncipies, & paries filium*: nàm conceptio, & partus ex materno vtero, hominem demonstrat. Vndè, & *Matthæus c. 1. n. 16.* affirmat: *Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus*. Deinde totus vitę Christi decursus, eum hominem facilè ostēdit; pręcipuè cōmestio, quę ad deperditę naturę restitutionem adhibetur. Hoc argumento omnes ferè Patres vtuntur, vt Christum verè conceptum ex substātia materna, ac proinde verum fuisse hominem, ostendant. *Ita enim*

*enim argumentantur*: si in conceptu ex partu nihil ex Matre traxit Christus, vel imaginarius dumtaxat homo fuerit: quorsùm lacte nutritur, cùm idem sit generationis principium, & conseruationis?

5 *Abutebantur olim Hæretici* duobus præcipuè locis, qui apud Paulum leguntur, vt probarent, Christum non fuisse hominem verum. Primus est ad Philipp. 2. n. 7. *In similitudinem hominum factus. & habitu inuentus, vt homo.*

*Duplicem damus expositionem*; quarum prima supponit, D. Paulum fuisse hæbreum, atquè adeo phrasim hebraicam seruasse, etsi Græcè scripserit; Hæbraica autē phrasis, *simile* appellat, quod est eiusdem naturæ. Vndè *Gen.* 2. n. 18. *Non est bonum hominem esse solum; faciemus ei adiutorium simile sibi*; & cap. 5. n. 3. *Vixit Adam centum triginta annis, & genuit filium ad imaginem, & similitudinem suam*. Certum namquè est, tam mulierem esse eiusdem naturæ cum viro: eiusdemq; substantiæ esse filium cum Patre, Ita Christus in similitudinem hominum factus est, scilicet homo fuit eiusdem substantiæ cum alijs hominibus. Eodem modo dicitur *habitu inuentus, vt homo*; quia humanitas habitus appellatur, seu vestimentum; vndè Apostolus alludere videtur ad ea, quæ anteà scripsit *Isaias cap.* 63. n. 2. de Christo: *quare rubrū est indumentum tuum? & n. 1. quis est iste, qui ascendit de Edom tinctis vestibus de Bosra?* His namque verbis interrogant Angeli Christum à suo passione reuertētem. Dicitur autèm humanitas vestimentum Christi, quia eam induit Diuinum Verbum eo modo, quo homines dicuntur induere vestem, quam substentant, quandiù induti manent. Si verò eundem habitum habet Christus, quem alij Homines, veram Humanitatē eum habere oportet.

6 *Sit secunda responsio*. In Christo præter hominē erat etiàm Deus, ita tamen, vt lateret in homine Deus, & extrinsecùs nihil minùs apparebat, quàm Deus: alij verò homines nihil aliud sunt, quā homines; vndè qui oculis corporeis Christum conspiciebant, & nihil de ejus Diuinitate nouerant, putabant hominem purū. Hoc exagitat Apostolus, monetquè, Christū factum in similitudinem, apparuisse secundùm extrinsecam tantùm faciem eo modo, quo imaginem alicuius hominis dicimus similitudinem illius, quia nihil præsefert, nisi id, quod oculus corporeus videt; ità dicitur, *habitu inuentus vt homo*, scilicet, in sua conuersatione habebatur, vt purus homo manducans, dormiens, &c. vt alij homines.

7 *Secundus textus*, quo abutebātur Hæretici est apud Corinth. primam c. 15. n. 47. vbi habetur: *primus homo de terra terrenus: secun-*

*cundus homo de Cælo Cælestis*. Primus homo Adam est, qui terrenus dicitur, quia ex terra [com-]pactus est; vndè colligebant Hęretici, secundum hominem dici Cælestem, quod Cæleste habuerit corpus, ac proindè verè homo non fuerit, sed apparenter: Catholici autèm ex eo, quod dicitur absolutè homo, non minùs, quàm Adam; concludunt, Christum fuisse verum hominē, sicut Adam fuit, diciquè Cælestem; quia habet Diuinitatem; quæ dicitur Cælestis eo modo quo Deus dicitur esse in Cælis, ita Christus dicitur ab Apostolo homo Cælestis, sicut nos appellamus Christum hominem Deū, partìm propter eius insolitam Conceptionem, Christus etiàm dicitur Cælestis, quia proles sortitur denominationem dignioris, atquè Pater Cælestis cōcurrit ad hanc generationem: ergò &c.

# PROPOSITIO TERTIA.

*Homo est Christus habens Corpus cum partibus suis, carne scilicet, ossibus, neruis, &c. nec non sanguinem. Animam quoquè habet rationalem eiusdem naturæ, & speciei cum nostra.*

8 VErum in Christo esse Corpus carneum, & osseum, euidenter ostendit Christus post Resurrectionem suam apud *Lucam 24. n. 39. Palpate, & videte, quoniam spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*; nec non, cum se palpabilem prębuit Sancto Thomæ, dùm iussit eum inferre manum in latus, & digitum in loca clauorum. In eodem surrexit Christus corpore, in quo crucifixus fuerat, & in vtero materno conceptus; fuit autèm verum corpus Christi carneum, & osseum, & palpabile post Resurrectionem: ergo in sua conceptione, vita, & morte, tale habuit Corpus. Idem docetur *Ioannis 4. n. 2. primæ Epistol. Omnis Spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, ex Deo est: & omnis Spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*. Ponderanda sunt vltima verba, quibus docemur, impium esse, soluere Christum: ille autèm soluit, qui de duabus Naturis in Christo existentibus; vnam quidèm fatetur, alteram negat: vndè eius-

dem

dem periculi, & damnationis est, Christum diffiteri verum Deum, aut hominem verum; Hinc eodem capite nu. 15. legimus: *Quisquis confessus fuerit, quoniàm Iesus est filius Dei, Deus in eo manet, &c.* quasi diceret: Hic verè Christianus est; qui confitetur Iesum Christum in carne venisse, & filium Dei esse. *Verũ sanguinem* in Christo fuisse, testantur, quæ infrà subsequuntur.

# DISPVTATIO QVINTA.

## *De Sanguine Christi:*

INexhaustum meritorum Dominici sanguinis thesaurum, vniusquè, ac trini Numinis pietatem deprecatus; vt discussa cuiuslibet erroris caligine, solius Catholicæ Fidei veritas, fidelium omnium mentes collustrans, perennibus radijs effulgeat; nunc (sicut aliàs, & dictis, & opere non rarò sum protestatus) me nec latum quidem punctum ab orthodoxæ veritatis via in scriptis, aut scribendis vllatenus aberrare velle protestor. Quapropter me, meaquè omnia Sanctæ Romanæ Ecclesię pedibus, & correctioni libentissimè subijcio. Quæro igitur.

## *An Sanguis Christi fuerit diuinitati vnitus?*

1 VErum sanguinem in Christo fuisse, testatur sanguineus sudor, & eructiones sanguinis in flagellatione, coronatione spinea, crucifixione, & lateris apertione. *Fauet ratio*: quia corpus naturale non potest ab anima informari, si sit sinè sanguine, siue sanguis informetur ab anima, siue non; ac proinde hac de re nullus datur locus dubitationi: at cùm sanguis possit esse in corpore Christi, & Diuinitati non vniri, sicut lachrymæ, saliua, sudor, & ros in Corpore Christi fuerunt, & tamèn Diuinitati non fuerũt vnita, vt inter cæteros docet Suarez, licèt Scoto oppositum appareat verius, & nos dicemus infrà. Hinc est maxima difficultas: *An sicut Corpus assumptum fuit à diuino Verbo in vnione hypostatica, & supposito, ita in eadem vnione assumptus fuerit sanguis?*

2 *Sunt*, qui absolutè negant. Ita *Durandus in 4.dist.10.q.1.n.9.* Riccardus *in 3. dist. 2. art. 2. qu. 1.* Gabriel *lect. 13. in Canone Missæ*, Maironus *in 4. dist. 45. & sermone, qui incipit: memoriam fecit mirabilium suorum*, Abulensis *paradoxo 2. cap. 40. & 43. Cardinalis sancti Petri ad vincula ex Seraphico ordine nostro, qui postea summus Pontifex Sixtus quartus in tractatu de Sanguine Christi, & vocabatur Frater Franciscus de Rouere Genuensis de Sauona.*

*Sunt & alij*, qui distictione hac vtūtur: duplex, inquiunt, est in corpore sanguis: vnus materialis, impurus, & non perfectè decoctus; hicquè, cùm non sit de corporis, seu hominis integritate, non potuit assumi hypostaticè. Alter est decoctus purus, & formalis, pertinetquè ad hominis integritatem, estq; propterea assumptus hypostaticè. Ita *Caietanus in 3. part. qu. 5. art. 2. & in 1. parte qu. vlt art. 2. & 3. parte q. 54. art. 1.* Veritatem docebunt, quæ subsequuntur propositiones.

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Probabile est, sanguinem non fuisse immediatè assumptum ad hypostasim Verbi.*

ITa Authores primæ sententiæ. Videatur *Dermitius Thadæus in Nitela Franciscana pag. 444.* vbi discutiuntur Decreta, quæ contra hanc propositionem afferuntur:

3 *Probant aliqui* nostram propositionem: quia multæ partes sāguinis remanserunt in Cruce, spinis, &c. & hodie in multis locis seruatur, & colitur sanguis Christi, vt ex historijs, & traditione constat: ergo hæ partes nūquam fuerūt assumptæ: aliàs Verbum dimisisset, quod semel assumpsit, contrà Anselmum testantem, quod Verbum semel assumpsit, nūquàm dimisit, &c.

*Mihi*; nisi meum me fallat iudicium, non videtur concludere præsens argumentatio: quippè multæ fuerunt partes dimissæ, & semel assumptæ: nec Christus iam in cælo debet habere alias partes sibi hypostaticè vnitas, quàm quæ illi beatitudinis statui congruunt; sicut nec debuit in via hoc, vel illo tempore determinato in decursu vitæ retinere vnionem vllarum partiū; quàm illarum, quæ hoc, vel illo tempore pertinebant ad veritatem, & constitutionem eius naturæ; non autem aliarum

par-

partium continua caloris naturalis actione fluentium: quia tunc non essent, nec futuræ amplius erant partes actuales eius humanitatis.

4 *Sit ergo hæc ratio.* Ad veritatem huius mysterij non requiritur, quòd sanguis sit immediatè assumptus, nec id requiri potest ex vllo alio capite: ergo nullo modo requiritur. Antecedens quoad secūdā partem est manifestum, cùm non possit ostendi ad quid aliud requirētur; quoad primam partem probatur quia ad veritatem huius mysterij sufficit, quòd humanitas, eiusquè partes essentiales, & integrales sint assumptæ: sed sanguis nec est ipsa humanitas, nec pars essentialis, aut integralis eius: ergo ad veritatem huius mysterij non requiritur eius assumptio. Probatur maior: quia posita tali sola assumptione, verè dicitur **Deus homo, & Homo Deus**, & idem est de alijs omnibus enunciationibus, quæ veræ dicuntur ratione huius mysterij: ergo talis assumptio sola sufficit. Probatur minor ex communi opinione Physicorum, & Medicorum, qui dicunt, sanguinem spectare ad naturam animalis solùm, vt alimentum corporis: sed alimentum nec est pars rei alitæ, nec forma eius informatur: ergo sanguis non est pars naturæ humanæ, nec forma eius informatur. Minor patet: quia alimentum per mutationem substantialem, & conuersionem nutritiuam conuertitur in substantiam aliti, & transit à forma propria per corruptionem eius ad formam ipsius aliti: ergo antè non est pars aliti, nec sub forma aliti. Maior probatur *ex Philosopho lib. 3. de partibus animaliū cap. 5.* vbi docet, *sanguinem esse materiam corporis, hoc est, in potentia, quatenus est alimentum, vt in corpus mutetur.* Et *libro 2. de partibus animalium cap. 3. cum omnis, inquit, alimenti, omnisquè excrementi receptaculum aliquod habere necesse sit, venæquè quasi vasa, sint sanguinis, patet, sanguinem esse animalibus sanguineis alimentum.* Et *lib. 3. de partibus animalium cap. 15. & 2 de Anima*, dicit, *sāguinem manere irriguum per venas, sicut aqua per sulcos deriuata, fit alimentum oleribus, & herbis.* Philosophum sequuntur *Scotus in 3. dist. 2. q. 2. & D. Thomas p. p. q. vltima art. 1. ad 3. & 3. p. q. 31. art. 5. ad 1.* vbi dicit, *Verbum ideò assumpsisse humanitatem non de carne Virginis, nè minueret illius naturam, auferens illud. quod actū erat pars humanitatis ipsius; sed de sanguine, qui nondum erat pars ipsius.* Hos sequuntur multi alij, vt Alensis *2. p. q. 92. membro 7. D. Bonauentura in 4. art. 7. q. 1. ad 2. Riccardus dist. 4 ‡. art. 1. q. 2.* Sotus *dist. 10. q. 1. art. 2.* Durandus, Gabriel, *& alij plures.*

5 *Sit secunda* ratio pro nostra propositione. Si sanguis esset pars naturæ humanæ, deberet

physicè vniri cum alijs partibus ad constituendum totum; cuius ratio in hoc consistit, quòd sit vnum ens per se, quod nequit esse, nisi ex partibus per se vnitis: sed sanguis non sic vnitur: ergo non est pars. Minor probatur ex *Philosopho 3. de historijs animalium cap. 13.* vbi docet, *sanguinem esse dispersum per omnes partes corporis, & in omnibus, & singulis moueri*: hoc autem non fieret, si cum partibus ipsis vniretur.

*Nec valet, si dicas* non vniri illis partibus, in quibus mouetur, sed cum alijs, vt corde, & iecore, à quibus originem habet. *Non valet* inquam: nam secũdùm Philosophum habet originem à corde, & tamen illi nõ vnitur, teste eodem *Philosopho 2. de partibus animalium cap. 3.* vbi ait, *sanguinem non esse continuum carni; sed in corde, ac venis, quasi in vasis contineri*: fluidum enim non est vnibile solido; sed sanguis est in continua fluxione, instar aquæ continuò fluentis, & currentis; ergo, sicut aqua fluẽs non vnitur corpori solido, ita nec sanguis: ergo non est pars, cùm non possit vniri alteri comparti ad componendum vnum tertium.

6 *Adde*, quòd *Lactantius in lib. de hominis opificio* (vt refert *Cardinalis S. Petri in suo tract. de sanguine Christi*) dicit, *sanguinem se habere ad animam, sicut oleum ad lumen*: sed oleum nullo modo est actù pars luminis: ergo nec sanguis est pars rei animatæ; sed esset, si informaretur anima: ergo non informatur. *Adde etiam*, multos Patres, & Concilia dicere, Christum subsistere in tribus substantijs, nempè diuina, anima, & corpore, nullam prorsùs mentionem facientes de sãguine, quod non fecissent, si existimassent, sanguinem fuisse assumptum eodem modo, quo corpus, & anima. *Confirmatur ex Symbulo Athanasij*, vbi dicitur: *Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens*, nil dicendo de sanguine.

*Nec valet respondere*, Patres ideò fecisse mentionem carnis, quia Hæretici veritatem carnis negabant: *nam omnes hæretici*, qui negabant Christo veram carnem, negabant etiam verum sanguinem, & tamen Patres nõ dicunt propterea, Christum subsistere in sanguine, sicut dicunt subsistere à carne.

*Aduersarij dicunt*, sanguinem fuisse vnitum, quia illo sumus redempti, & ad id sanguis non fuisset sufficiens, nisi foret infiniti valoris, quem valorem tantùm potuit habere ob immediatam vnionem ad Verbum.

*Contra*. Talis infinitas potest haberi cum sola mediata vnione: ergo &c. Antecedens probatur: Actus charitatis Christi, Obedientiæ, Patientiæ, &c. fuerunt infiniti meriti, & potuerunt

ac-

acceptari à Patre Aeterno in pretium redemptionis nostræ, cùm tamen nemo dicat, illos actus fuisse immediatè vnitos Verbo: ergo vnio mediata ad Verbum satis est.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Multa, & grauia argumenta, quæ facere videntur contra nostram propositionem, sunt, quæ sequuntur.*

7 PRimò obijcitur nobis authoritas desumpta ex *Apostolo ad Hæbreos 2. nu. 14.* vbi habet: *Quia ergo pueri* (scilicet homines) *communicauerunt carni, & sanguini, & ipse* (scilicet Christus) *similiter participauit eisdem, vt per suam mortem, &c.* His verbis Paulus explicat hypostaticã vnionem per assumptionem carnis, & sanguinis, volens ostendere, Christum esse eiusdem naturæ humanæ cum alijs hominibus: ergò, sicut caro immediatè vnita est Verbo, ita sanguis. *Confirmatur primò*: caro, & sanguis ex modò relatis verbis Apostoli significantur, tamquàm terminus primarius eius, quod assumitur: ergo assumptio, seù vnio immediatè facta est à Deo. Probatur sequela: quia immediata est assumptio respectù termini primarij eius, quod assumitur.

*Confirmatur secundò*. Secundũ fidem humanitas est vnita Verbo immediatè: sed humanitas tùm in prædictis verbis Apostoli, tùm in alijs locis scripturæ, Conciliorum, & Patrum significatur nomine carnis, & sanguinis: ergo iuxta phrasim Scripturæ, Conciliorum, & Patrum, idem est Verbum esse vnitum humanitati, ac carni, & sanguini, & consequenter immediatè facta est vnio carni, & sanguini, sicut immediatè facta est humanitati. Minor probatur: *Matthæi 16. n.17.* habetur: *Caro, & sanguis non reuelauit tibi,* hoc est homo. *Ad Ephesios 6.nu.12.Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem*. Concilium Ephesinum, vt explicet, Christum esse eiusdem naturæ nobiscum, Canone 5 *anathematizat eum, qui negat, Verbum incarnatum non communicasse, vt nos carni, & sanguini*. *Cyrillus in Anathematismo 5. in epist.10 ipsius, &c. similiter*, vt ostendat, Verbum esse hominem æquè, ac nos, ait: *participem esse carnis, & sanguinis*. ergo ex sacris litteris, Concilijs, & Patribus

tribus certum est, eandem esse rationem de humanitate, ac de carne, & sanguine, & consequenter ista ad terminum primarium eius, quod assumitur, spectare?

8 *Longe huic discursui* nos, breuitati studendo, succinctè occurrimus; concedimus enim, Christũ communicare nobiscũ in carne, & sanguine; sed indè nil infertur contra nos: quippè sicut negamus, sanguinem nostrum esse partem naturæ nostræ, aut subsistere immediatè subsistentia totius compositi ex corpore, & anima, sed habere in corpore propriam subsistentiam, quam ex venis extractus, & in terra fusus, retinet; ita etiã dicimus, sanguinem Christi nõ fuisse partem eius, nec subsistere immediatè subsistentia Verbi, qua immediatè subsistebat tota natura humana, sed habuisse in corpore Christi propriã suam subsistentiam, qua immediatè terminabatur, licèt dicatur mediatè assumi, hoc est, mediante natura, in qua continetur. & cuius est alimentum; & hæc assumptio immediata naturæ, qua mediatè assumitur quidquid est in natura, & consequẽter sanguis, sufficit, vt dicatur sanguis Christi, Verbi diuini, & Dei. *Hinc ad Patres*, qui dicunt verbis expressis, *sanguinem effusum fuisse*.

9 *Respondetur* distinguendo: fuit assumptus mediatè, scilicet assumptione ipsius naturæ; vel mediante natura ita, vt possit verè dici: Sanguis Christi est assumptus modo supradicto: concedo; & sic Verbum diuinum dicitur assumpsisse etiam accidẽtia, operationes naturæ, miserias, ac molestias nostras in sua carne; non quòd hypostasis Verbi sit illis vnita immediatè, sed quia vnitur immediatè naturæ humanæ, cuius sunt illa accidentia, operationes, miseriæ, ac molestiæ. *Deindè* Sancti Patres frequentissimè dicunt, Christum communicasse nobis in sanguine, & sanguinem assumpsisse, vt ostendant in Christo veritatem carnis, quæ maximè probatur ex sanguine contra Hæreticos negantes, corpus humanum fuisse assumptum, & admittentes tantùm corpus phantasticũ, vel aereum, vel ex elementis compactum, vel ex materia cœlesti.

10 *Secundò obijcitur*. Redemptio nostra tribuitur sanguini Christi, quo dicimur emundati, dealbati, & sanctificati; sed, non ob aliam rationem, nisi quia sanguis fuit infiniti valoris ob vnionẽ immediatam cum Verbo, ergo fuit sic vnitus. *Confirmatur ex Clemente VI. in extrauaganti*, quæ incipit: *Vnigenitus de pænitentijs, & remissionibus, &c.* vbi agens de Christi copiosa redemptione, vtitur his verbis: *Non enim corruptibilibus auro, & argento, sed sui ipsius Agni incontami-*

*taminati, & immaculati pretioso sanguinē nos redemit, quem in ara Crucis innocens, immolatus, non guttam sanguinis modicam (quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redēptione humani generis sufficisset) sed velut quoddam profluuium noscitur effudisse, ergo &c.*

*Respondemus* negando minorem, & consequentiam; nam siuè valor sanguinis oblati fuerit finitus, siuè infinitus (de quo iam non curo) ad eum sufficiebat vnio immediata humanitatis effundentis, & offerentis sanguinem cum Verbo diuino, qua mediante diceretur: *Sanguis Christi est oblatus*; nam valor moralis attenditur ex dignite offerentis, & merentis, qui in proposito erat infinitus, & consequenter oblatio sanguinis poterat esse sufficientis valoris, etiamsi sanguis ipse nō esset vnitus immediatè Verbo, sicut sudor, lacrimæ, & eleemosynæ Christi, si ab ipso offerrentur, essent sufficientis valoris, licèt non fuerint hypostaticè Verbo vnitæ.

11 *Ad confirmationē Respondemus primò*, verba illa: *quæ tamen propter vnionem ad Verbum, &c.* posse ita intelligi; vt modica gutta sanguinis effusi propter vnionē humanitatis innocentis immolatæ, cuius ille sanguis erat, sufficeret pro redemptione totius generis humani propter dignitatem offerentis.

*Respōdemus secundò* distinguendo illa verba: propter vnionem mediatam, quam habet ad Verbum modo supra notato, concedo: propter vnionem immediatam, nego: quia talem non habuit, nec requiritur in re oblata; nec si esset, sufficeret secūdùm plures Aduersarios, qui negant oblationem sanguinis in Missa esse infiniti valoris, quamuis secundùm ipsos sit hypostaticè vnitus Verbo ex defectu dignitatis infinitæ in persona offerente, nempè Sacerdote. *Nec concedent mihi*, oblationem, qua Beata Virgo suum filium in tēplo obtulit, fuisse infiniti valoris, aut suffecisse ad nostrā redēptionem, quia secundùm illos valor moralis debet attendi ex dignitate offerentis, licèt secundùm nos sufficeret si accederet acceptatio diuina, quæ complet rationem meriti, & satisfactionis.

*Dices contrà*. Valor sanguinis est pretium: sed pretium non accipit valorem ab offerente: nam Rex in pretium posset dare alicui quatrinum; non tamen indè sequeretur, quatrinum esse supremi valoris, quia datum, vel oblatum à persona suprema; ergo illum valorem habuit sanguis ob immediatam vnionem ad Verbum. *Respondeo*, valorē meritorum apud Deum non fore desumendum ab ipsa entitate rei, sed à diuina acceptatione, quæ, supposito valore fundamētali in opere, eleuat ipsum ad va-

valorem completum, & sufficientem! Sanguis ergo ille habet completum valorem ab acceptatione diuina. *Sed de hac re* pleniùs in tractatu de merito Christi.

12 *Tertiò*. Obijciunt nobis Aduersarij duo duorum Summorũ Pontificum decreta, *Clementis VI.* vnum, *Pij II.* aliud, quibus volunt, nostram sententiam damnari. *Clemens* enim suo Decreto mandauit Fratri Nicolao Rosselli Ordinis Prædicatorum Inquisitori in partibus Aragoniæ, & Cathaloniæ, vt propositionẽ, qua Barchinonæ publicè prædicabatur, quod in sanguine Christi sparso in Parasceue non remãserat Diuinitas; nec sanguis ille erat deificatus, tamquàm hæreticam, & erroneã faceret, publicè reuocari, & solemniter condemnari; sic refertur in *prima parte Directorij Inquisitorum q. 10. nu. 1. Syluester in Rosa aurea tractatu 3. q. 31.* testatur, se vidisse hoc decretum Brixiæ inter alia diplomata Põtificia Inquisitionis Brixiensis. Idem *Siluester cap. 30.* refert nostram sententiam damnatã alio decreto Pij II. circa idem punctum. *Medina* dicit, editum fuisse aliud decretum *Pauli II.* de eadem re.

13 *Respondemus 1.* quòd etiam si illa decreta fuissent, solùm probarent, sanguinem in triduo mortis habuisse vnionẽ ad Deitatem, & subsistentiam Verbi; de hoc enim tunc erat controuersia, vt ijdem ipsi Authores referunt. *Respondemus 2.* numquàm fuisse talia decreta; quod ita probamus. *Primò*, nam, si Clemẽs sextus damnasset illam sententiam, vt hæreticam, non permitteretur, vt paulò post eadem sententia in dubium reuocaretur, & de ea fierent disputationes solemnes, quæ tamen non solùm permissæ, sed etiam iussu ipsius Summi Pontificis Pij secundi factæ sunt. *Secundò*. Dominicus de Dominicis, qui iussu Pij secundi de illa re disputauit, fatetur *in libro de sanguine Christi art. 3, in fine ad vltimũ argumentum*, illud decretum non esse authenticum, nec de eo cõstare, atque adeò dicit, sententiam negãtem, vnionem sanguinis Verbo, liberam esse ab omni hæresis periculo. *Tertiò Franciscus Colius lib. 2. de Sanguine Christi disp. 4 cap. 3.* dicit, se summã adhibuisse diligentiam, vt illud decretum Clementis Brixiæ inueniret; illius tamen nec vestigium apparuisse. *Quartò Fr. Franciscus de Pucicre Cardinalis sancti Petri ad vincula, postea Sixtus quartus*, dicit illos processus Barchinonæ factos, esse suspectos, nec in illis apparere vllam litteram, aut determinationem Clementis Sexti, quòd tamen prædictus Nicolaus Roselli postea sub eodem Clemente Cardinalis Sancti Sixti sinè dubio quæsiuisset, & facili negotio obtinuis-

tinuisset, si Pontifex pro eius, ac Fratrum Prædicatorum opinione determinasset.

14 *Quantùm ad decretum Pij secundi* respondetur, fuisse solùm simplex mandatum, quo cuidam Prælato commisit, vt Processum Barchinonæ factum circa hoc, reuideret; vt constat ex responsione eiusdem Pontificis ad Beatum Iacobum de Marchia, cui nostram sententiam prædicanti Brixiæ *anno Domini* 1462. *die* 18. *Aprilis in Dominica Resurrectionis*, opponebatur per quosdam Processus ille Barchinonensis, eiusq; authenticatio à Pio secundo facta; de quo, cùm Beatus Iacobus humiliter ad Summum Pōtificem conquereretur, respondit Summus Pontifex, se dedisse solùm mandatum cuidam Prælato, vt processum illum examinaret, non vt sententia ad veram authoritatem, aut fidem haberet, sed vt testimonium quoddam esset rei gestæ; & paulò post dicit: *nec enim fuit intentionis nostræ propter eam commissionem* (scilicet factam illi Prælato ad examinandum illum Processum) *confirmare, aut approbare sententiam ipsam, vel processum*: *cùm enim pro parte* Fratrum *Prædicatorum nobis fuerit supplicatū, vt eos authenticari facere vellemus, negare non potuimus, quin causam committeremus. Non turbetur ergo cor tuum, nec formidet, sed sis animo quieto, &c.* Hæc, & alia verba huius responsionis habet, vt refert *Colius lib.* 5. *de Sanguine Cristi disp.* 4. *cap.* 3. *Cardinalis S. Petri ad vincula*, postea Summus Pontifex, cui non minùs credēdum, quam Siluestro, vel Medinæ. *Vndè igitur* habetur fundamentum damnandi nostram sententiam ex Pio secundo?

15 *Sed procedamus* paulisper, & videamus huius mandati executionem. Examinatus est tandē ille processus Barchinonensis, & inuentus sinè vlla firmitate, aut robore, sinè manu Notarij, sinè decreto Pontificis damnante illas propositiones, solùm prætendebatur in eo quoddam oraculum viuæ vocis factum Cardinali Sanctæ Sabinæ Ordinis Prædicatorum. Sed hic non est stylus damnandi opinionē Classicam grauissimorum Doctorū: vndè nullius authoritatis habitus est dictus processus in Curia sub Pio Secundo, quando Pater Iacobus à Brixia Ordinis Prædicatorū Inquisitor Lōbardiæ ex authoritate præfati directorij vrgebat Beatum Iacobum de Marchia. *Videant ergo Aduersarij*, qui grauiter alios ex leuibus his fundamentis censurāt; An hoc decretum Pij Secundi potiùs noceat sententiæ ipsorū, quàm faueat? Nam non solùm constat, Pium Secundum nil cōtra nostram sententiam dixisse, sed etiam decretum, quod à Clemente Sexto editum prætenditur, esse suppositicium, & fictum:

16 *Sed vt lis finiatur*, & manifestè appareat, nullam ex his sententijs fuisse damnatam, propono sententiam diffinitiuam in hac controuersia datam ab ipso Pio Secundo per decretalem: *Ineffabilem summi prouidentiam Patris, &c. datam Anconæ* 1464. *Kalendis Augusti anno sexto Pōtificatus eius*, cuius hæc clausula est. *Vt igitur in Ecclesia Dei orthodoxæ fidei veritas præseruetur, & de cætero tollatur occasio in huiusmodi cōtrouersias incidendi, authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus, quòd nulli Fratrū Prædicatorum liceat deinceps de supradicta dubitatione disputare, prædicare, vel publicè, aut priuatè, verbum facere, seu alijs suadere, quòd hæreticum, aut peccatum sit, tenere, vel credere, sanguinem ipsum sacratissimum* (vt præmittitur) *triduo passionis eiusdem Domini nostri Iesu Christi ab ipsa Diuinitate quomodolibet fuisse, vel non fuisse diuisum, vel separatum; donec super dubietatis huiusmodi decisione, quid tenendum sit, fuerit per nos, & per sedem Apostolicam diffinitum.* Hoc decretum quod habetur inter decreta Pij Secūdi apud Cherubinum, certè non viderunt Aduersarij nostri; nam si vidissent, à censuris abstinuissent, cū id in eo præcipiatur. Ex eodem etiam decreto clarè cōstat, Clementem Sextum minimè damnasse sententiam negātem vnionem inter sanguinem, & Verbū in triduo mortis: nam si id fecisset, non prohiberet postea Pius Secundus, nè illa sententia, vt damnata, & hæretica, haberetur.

*Id, quod refert Medina* de decreto Pauli Secundi, est figmentum; quippè nulla reperitur memoria talis decreti; nec credibile est Paulum, cui Cardinalis Sancti Petri, vir tunc magnæ authoritatis, librum de sanguine Christi dedicauit, tale decretum condidisse; et si id fecisset, & damnasset sententiam, quàm ille Cardinalis tàm acerrimè defenderat, id non leuiter impediret, nè idem Cardinalis statim post eundem Paulum Pontifex Maximus crearetur.

# ALIA ARGVMENTA.

17 E*Minentissimus Cardinalis de Lugo disp.* 14. *de Mysterio Incarnationis sect.* 2. *his, quæ subsequuntur, argumentis nostram impugnat sententiam.*

*Primò ita dicit.* Qui assumit naturam, assumit omnes eius partes: cùm totum nihil aliud sit, quàm partes omnes simul sumptæ; ergo Verbum assumens immediatè, & verè naturam humanam, debuit assumere immediatè sanguinem, qui est pars naturæ humanę, non enim assump-

sumpsit naturā humanā inadæquatè, sed totam adæquatè, iuxta illud *Damasc. l. 3. Fidei Orthodoxæ cap 6. Omni humanæ naturæ vnitam dicimus omnē diuinitatis substantiam*; & postea: *Totum enim me totus assumpsit, & totus toti vnitus est.*

*Debile certè nobis hoc argumentum*, qui defendimus totum realiter distingui à partibus, & consequenter falsa supponitur doctrina. *Moneoq; etiam*, me non dixisse, sanguinem nullo modo fuisse assumptum à Verbo. Difficultas ergo est; An sanguis fuerit ita assumptus, vt non habuerit propriam subsistentiam, quēadmodum fuerunt assumpta Corpus, & Anima? *Dico etiam* falsum supponere, dum ait, sanguinem esse partem hominis, vt probatum est n. 4. & 5. & quando Aristoteles dixit, *sanguinem esse partem animalis*, locutus est de parte in potentia, vt obseruauimus, probando nostram propositionem n. 4.

18 *Idem Eminentissimus* in subsequentibus rationibus intendit, se demonstrare, sanguinem esse partem actualem humanæ naturæ. Fundatur in doctrina *Tridentini sessione 13. De excellentia SS. Eucharistiæ cap. 3.* vbi definitur, in Sacramento Eucharistiæ esse quidē *Corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animāq; sub vtraque, vi naturalis illius connexionis, et cōcomitātiæ, qua partes Christi Dñi, qui iam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur.* In quibus verbis notat hic Cardinalis; quòd apertè dicitur *sanguis pars Christi Domini*, imò ex eo, quòd sit pars, probatur, quòd debeat poni nunc in Eucharistia sub speciebus panis per concomitātiam propter coniunctionē naturalem, quàm partes habent inter se, ratione cuius, vbi est vna pars, nempe corpus, debet esse altera, nempe sanguis: sicut è contra propter eandem rationem definitur, *Corpus esse sub speciebus vini*, quia vbi est sanguis, debet esse altera compars, nempe corpus: non potest ergo dubitari, quòd sanguis sit pars humanitatis.

19 *Respondetur*, ex illis verbis nil haberi, quod significet, sanguinem esse partem, aut ex quo hoc colligatur; solùm namquè dicitur, corpus poni sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamquè sub vtraque vi naturalis connexionis partiū Christi Domini viuentis, & ampliùs non morituri; quod totū verum est, absque eo quòd sanguis sit pars Christi: nam ibi per connexionem naturalem partiū intelligitur tantùm cōnexio naturalis Animæ, & Corporis Christi Domini, quæ necessariò petit, saltem naturaliter loquendo (quod addo, quia aliqui sūt opinati eandem formam sub pluribus posse replicari materijs, & è contra eandem mate-

riam sub pluribus formis) vt vbicumque sit corpus, concomitetur ipsum anima, & è contra, vbicumque sit Anima, ibi sit corpus, & quia corpus illud informatur Anima, non debet esse aridum, aut siccum, quia sic non haberet dispositionem naturaliter requisitam ad conseruationem vitæ, eadem connexio naturalis partium Christi viuentis, corporis scilicet, & Animæ, necessariò postulat, vt vbicumque sit corpus, ibi sit, & eius sanguis, à quo habet corpus esse humidum, & viuidum; & è contra, vbicumque est sanguis illius corporis, ibi, naturaliter loquendo, sit & ipsum corpus.

*Et certè*, si Concilium in illo loco ponit, sanguinem esse partē naturæ humanę Christi se habētem ad Diuinitatem, sicut corpus eius, & Anima se habent; non deberet dicere, Diuinitatem poni sub vtraque specie propter admirabilem eius cum corpore, & anima hypostaticam vnionē (vt ibidem immediatè subiungit) potiùs quam propter vnionem hypostaticam eius cū sanguine: nam si sanguis esset pars talis, sequeretur, quòd Diuinitas ratione vnionis cum ipso poneretur sub vtraque specie tàm benè, quàm ratione vnionis eius cum corpore, & anima. Vndè hæc clausula, quam prætermisit Lugo, videtur confirmare nostram conclusionem, siuè sanguis dicatur pars Christi, siue non.

20 *Prosequitur idem Author* probare, sanguinem esse partē humanitatis ex eo, quod Christus sit verè, & propriè Filius B. Virginis. *Sit tale argumentum*. Ad filiationem requiritur origo à viuente principio coniuncto, scilicet, vt aliquid de substantia generantis maneat in genito: sed quod mansit de substantia Virginis in Christo est sanguis eius: quia formatum est corpus ipsius de sanguinibus Virginis: ergo, vel sanguis Virginis erat de substantia eiusdem, vel Christus nō est de substantia Mariæ, & ita nec eius filius.

*Respondetur*, negando sequelam: neque enim est difficultas specialis de Beata Virgine, quę non est de alijs matribus, imò etiam de Patribus: etenim Patres concurrunt ad generationē mediante semine, quod non est de substantia eorū, nec est omnino animatum; cùm nec etiā sanguis ipse sit animatus: Dico ergo, quòd *ly principio coniuncto* non debet sic intelligi, vt principiū illud sit pars actualis substantiæ generantis, sed potentialis tantùm, sicut sanguis, & semen, quod transiret in substantiam aliti, nisi à natura præseruaretur ad generationem.

21 *Probat idem Eminentissimus suum assumptum*: quia, si sanguis non esset pars humani corporis, non apparet, cur in Christo resur-

surgente, & in alijs corporibus beatis debuerit, & debeat resurgere etiam sanguis cum carne beata; si enim sanguis sit solùm ad nutriendas partes corporis, non deberet ad eum finem poni in corpore beato, in quo nutritionis opus omninò cessat; quarè, sicut cibus non ponitur stomacho Beati, licèt cibus, & chilus requiratur ad alimentum sanguinis; sic nec deberet poni sanguis, licèt sit alimentum carnis. Neque etiam poni debet ad replendas venas, sicut nec ponitur in intestinis corporis Beati ad replēdum illud corpus, quod in hac vita mortali replebatur. Nec deniq, debet poni, eò quòd sanguis necessarius sit ad fouendas alias partes; nam aer etiam necessarius est in hac vita ad refrigerandum corpus, ad quod assidua respiratione trahitur; & tamen in Cœlo non est ponendus aer ad eum effectum in corporibus Beatis: quippè propter impassibilitatem non patientur ab extrinseco agente contrario, neque indigebunt his fomentis, aut refrigeratiuis. Si ergo ponitur, & reparatur sanguis in corpore Beato, sicut de facto redditus fuit Christi corpori, ideò est, quia pertinet ad naturæ integritatem multò magis, quàm pili, barba, & alia huiusmodi, quæ tamen corpori resurgenti restituuntur:

22 *Respondemus*, negando sequelam maioris: sanguis enim est necessarius non solùm ad nutriendum corpus, sed etiam ad conseruationem vitæ, quæ nequit, naturaliter loquendo, cōseruari in corpore omninò arido, & sicco, & quia locus naturalis ipsius ad conseruandum corpus humidum sunt ipsæ venæ, in ipsis poni debet. *Deindè* maximè conducit ad ornatum, & pulchritudinē corporis, quod sinè sanguine appareret turpissimum absque viuido, & naturali colore. Si igitur capilli, & barba, quæ minùs necessaria sunt ad ornatum hominis, resurgere debent, multò magis sanguis, qui ad hāc pulchritudinem magis conducit; & certum est Beatos, ac damnatos multa habituros post resurrectionem, quæ nō erāt partes integrales, aut essentiales ipsorum: nam ordo ipse naturalis, seù ordinata dispositio membrorum inter se non est pars naturæ, cùm sit relatio; & tamen erit in Beatis.

*Non est huius loci* examinare illud, quod dicit Lugo de intestinis, aut de necessitate aeris in Beatitudine; si enim peterem ab ipso Eminentissimo: an intestina Beatorum in Cœlo futura sint vacua? quod ipse *hic, & sectione* 7. admittere videtur; huius tamen necessitatem non capio; quia etiamsi non sit ibi cibi necessitas, posset tamen esse extrinsecum aliquod aliud opus ad seruandas partes ventris distensas, quod videtur necessariū

ad

ad ornatum corporis humani. *Poteram etiam* ab eodem petere: an Beati loquantur corporaliter? non enim apparet vlla necessitas negandi ipsis talem facultatem: sed loquela corporalis non videtur fieri posse absque aere, vel aliquo corpore supplēte locum aeris: igitur etiamsi aer in Cœlo nō esset necessarius ad refrigerandum cor (de quo iam nō curo) posset esse necessarius ad alia munera.

23 *Sit aliud argumentum.* Si in triduo mortis Christi quis Apostolorum supra debitam materiam consecrationis calicis protulisset verba cōsecrationis: *Hic est calix sanguinis, &c.* certè virtute verborum vinum in sāguinem Christi fuisset conuersum. Iam peto: nùm sanguis ille foret adorandus adoratione Latriæ, an non? *Secundum* dici nequit: foret quippè verè sacramentum, quale nunc. *Primum* si dicatur; infero: ergo ibi diuinitas ista non foret pręsēs propter vnionem ad corpus, quod suppono separatum à sanguine: ergo vnione immediata foret vnitus sanguis Verbo; cur & nō modò? *Item* si quis in nocte cœnæ sanguinem cōsecrasset, haud dubiè sub eo sanguine foret diuinitas. Hoc posito: ponamus sanguinem illum fuisse conseruatum post eiusdem à corpore separationem, certè dubitabit nemo, diuinitatem esse vnitam sanguini, sicut & antea: subinfero; at post separationem sanguinis à corpore, minimè erat ibi diuinitas ratione corporis: ergo sanguis ipse immediata vnione ad Verbum gaudebat.

24 *Riccardus* vno verbo ab hoc se expedit discursu, notando, quòd in casu separationis sanguinis à corpore nulla foret debita sanguini adoratio. *Dicimus nos*, quòd, hypothesi data, sanguini illi esset debita adoratio, ob præcedentem vnionem mediatam ipsius ad Verbum. Huic respōsioni, puto, placato animo se subscribere *Caietanum*, *Siluestrum*, & *Aluarez*, quorum sententia est, in Ecclesijs quibusdā conseruari sanguinem Christi nutrimentalem, qui nullam vnquàm cum Verbo habuit vnionem; & dicunt, illum adorari adoratione Latriæ, propter antea habitum contactum; sicut Crux, claui, &c. Nos eadem doctrina vtentes, & maiori cum fundamento poterimus difficultati occurrere, asserendo, sanguinem illum tunc adorandum ob vnionem, humanitate mediante, ad Verbum habitam.

*Dicimus etiam*, quòd fortè in triduo per nouam immediatam vnionem fuerit vnitum Verbum sanguini, ea ratione, qua multi ex schola Scoti sunt opinati, humanitate destructa, partes essentiales noua vnione fuisse immediatè vnitas Verbo. *In fauorem* nostræ doctrinæ sit notum, quāplurimos docere, sanguinem separa-

paratum à corpore, non ampliùs reassumptum, nec fuisse dimissum à Verbo diuino. Hac stante obseruantia: peterem ab istis: nùm sanguis ille à Verbo Diuino dimissus, sit adorandus adoratione Latriæ, nec nè? Ecce ergo, quòd nihil difficultatis habet contra nos suprapositus discursus, quam difficultatem non patiantur nobis contrarij. Respondeant ergo illi pro ipsis, & pro nobis; nos tamen placato animo stamus, adhibita nostra prima solutione.

*Aliud argumentum* desumitur ex authoritate *Caij Papæ in decretali ad Fœlicem*, vbi habet hæc formalia verba: *Si veras partes naturæ humanæ non assumpsit, quo sanguine sumus redempti?* Sentit ergo Pontifex his verbis expressè, sanguinem pertinere ad veras partes naturæ humanæ, & consequenter cùm velit, veras partes naturæ humanæ esse assumptas, quòd etiam sanguis sit assumptus.

*Respondetur*, Pontificem tantùm velle, sãguinem esse assumptũ. Vtrùm verò sanguis assumptus sit mediatè, vel immediatè, non pertinebat ad intentum Pontificis, cui satis erat, ad assũptionem corporis esse assumptum sãguinem, quo corpus redderetur viuum, & non esset siccum, & aridum, quinimò haberet sanguinem, quo essemus redempti.

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Sanguis non fuit vnitus hypostaticè Verbo in triduo mortis Christi.*

25 ITà docent, qui conueniunt nobiscum in prima propositione contra eos, qui contra illam arma sumunt. Ista nostra propositio illis redditur probata rationibus, quibus prima, & illis impugnata, quibus & ipsa prima.

*Eminentissimus de Lugo disput. supra citata sect.* 3 cõtra nostram insurgit propositionem authoritatibus Sanctorum Patrum. Sed nisi me mea fallat sententia, illi Patres potiùs sunt pro veritate nostræ propositionis, quàm pro eiusdem falsitate. Audiatur ergo *Damascenus* 3. *sent. cap.* 27. *Nullam partium naturæ deposuit, nec corpus, nec animam*. Et *lib.* 3. *Fidei cap.* 27. *Et quamquàm mortuus est, vt homo, & sancta eius anima ab incontaminato separata corpore, non tamen Diuinitas ab vtroque separata remansit, ab anima,*

*ma, inquam, & corpore, nec sic vna hypostasis in duas dissecta est hypostases: nam & homo, corpus, & anima secundùm idem à principio in Verbi hypostasi habebat existentiam, & ipsis in morte ab inuicem separatis, vnumquodque eorum mansit, vnam Verbi habens hypostasim.* Et paulò post: *Quare vna Verbi hypostasis, & Verbi, & animæ, & corporis fuit hypostasis, nunquam nec anima, nec corpus propriam habere hypostasem præter eam, quæ Verbi est hypostasis.* Vbi vides, *inquit Lugo*, à Damasceno reputari absurdum, quòd vllo vnquam tempore pro Diuina hypostasi alia subsistentia creata subrogata fuerit in ijs, quibus Verbum Diuinum hypostaticè fuit vnitum.

*Addit Bernardus lib. 5. de consideratione,* vbi dicit de vnione hypostatica: *Nec morte interueniente vllatenùs interimi hæc anima potuit, & sic carne, & anima ab inuicem separatis.* His, & alijs consimilibus Patrum authoritatibus conatur Eminentissimus de Lugo, probare vnionem Verbi cum sanguine in triduo mortis. *Sed nescio*, vndè ex his Sanctorũ dictis probetur opinio nobis cõtraria, cùm potiùs oppositum deducatur: nam Patres nomine partium humanitatis enumerant animam, & corpus, & nunquàm sanguinem.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Alij tres humores, vt cholera, flegma, & melancholia non fuerunt immediatè vniti Verbo Diuino.*

26 HAc in propositione contrarios habemus *Suarez disput.* 15. *sect.* 7. *Lugo supra sect.* 8. Nobis tamen facillimo negotio restat probata propositio à paritate de sanguine: nam si sanguis non fuit immediatè assumptus, cur alij humores?

*Obijciunt* contra propositam propositionem Innocentium Papam, in quadam de celebratione Missarum dicentem, *quatuor humores esse de compositione corporis humani*; & Damascenum 2. *de fide cap.* 12. dicentem, *animalium corpora conflari ex quatuor humoribus*; & Augustinum *epistola* 146. dicentem, *naturam carnis quatuor humoribus temperari*.

*Respondemus primò*, Pontificem non dixisse illos humores esse de cõpositione, sed conuenire ad vegetationem corporis humani; ex hoc autem nostra sententia potiùs roboratur, quã

deb-

debilitetur: quia nulla pars rei animatæ conuenit, vt alimentũ ad ipsum vegetandum. *Occurrimus secundò*, quòd si diceret summus Pontifex esse de compositione, intelligendus foret de cõpositione tantùm mediata, sicut dicimus, elementa esse de compositione mixti. *Hac eadẽ doctrina* fit satis Damasceno. *Ad Augustinum admittimus*, humores esse temperamentum corporis viuentis: inde tamen non sequitur, quòd sint eius partes, licèt sequatur esse necessarias, & consequenter, quòd debeant resurgere in Beatis, in quibus sine dubio erit debitum temperamẽtum corporis, eiusquè partium.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Verbum Diuinum non fuit immediatè vnitum vnguibus, aut capillis.*

27 OPpositum docent *Suarez*, *& Lugo vbi supra.* Nobis tamen probatur nostra propositio, quia nulla est necessitas talis immediatæ vnionis: quippè non sunt partes nec integrales, nec essentiales naturæ, nec anima totius informantur, vt probatum suppono ex libris de Anima. Fauet etiam nobis Augustinus *tractatu* 50. *in Ioannem*, dicens, *capillos superfluum corporis videri.*

*Opponuntur nobis Sanctus Ambrosius lib. de Incarnationis Dominicæ Sacramento cap. 6. Sanctus Athanasius epistola ad Epictetum*, quam refert Diuus Epiphanius *hære*. 77. dicentes, *hæreticos ponentes naturam Diuinam esse eiusdem speciei cum carne Christi, consequenter debuisse asserere, Verbum conuersum fuisse in carnem, capillos in sanguinem, & ossa*: ergo supponunt, *inquit Lugo*, quòd hæc componãt intrinsecè naturam.

28 *Respondetur*, Patres illos non intulisse ex sententia hæreticorũ, tãquã absurdũ, quòd Verbũ cõuersũ fuisset in capillos, ossa, &c. sed id totum retulisse, tãquã doctrinã hæreticorũ, qui id totũ dicebant, vt patet ex *Ambrosio loco citato*: *cum isti dicant*, inquit, *quia Verbum in carnem, capillos, sanguinem, & ossa conuersum est & à natura propria mutatum est; datur illis locus, vt infirmitatem carnis ad infirmitatem Diuinitatis, quadam facta Diuinæ naturæ mixtione detorqueant.*

*Quòd si dicas ex eodem Lugo*: Barba, capilli, & vngues ponuntur in Eucharistia: ergo sunt

partes corporis. *Negamus consequentiam*; possunt enim poni in Eucharistia propter necessariā connexionem naturalem, quam habent cum corpore, licèt non sint eius partes. Hac ratione ponitur ibi quantitas, ponuntur & qualitates corporis, quæ non sunt partes eius; hoc tamen discrimen interuenit, quòd accidentia illa non habeant aliam subsistentiam, quam subsistentiam Verbi, quia non debetur illis alia subsistentia, quàm illa, quæ est subiecti, in quo sunt; sanguis verò, & alij humores, & capilli, & vngues habent proprias subsistentias, quibus immediatè subsistunt.

*Replicabis ex eodem.* Si vngues, & capilli non essent partes, non deberent esse in Beatis, in quibus tamen esse, sacra testatur pagina *apud Lucam* 21.*nu.*18. *& capillus de capite vestro non peribit*: ergo sunt partes. *Negamus sequelam antecedentis*; debent enim esse in illis ex eo, quòd pertineāt ad decorem, & ornatum corporis.

# PROPOSITIO SEXTA.

## *Sententia docens, sanguinem Christi fuisse immediatè vnitum Verbo Diuino est valdè probabilis.*

29 MVltitudinem Theologorum pro probabilitate immediatæ vnionis sanguinis cum Verbo adducit *Suarez sect.6.* & cum ipso *Valentia disput. 2 in 3. partem, q. 5. puncto* 1. Inprimis fauent huic probabilitati sacræ paginæ affirmantes absolutè sanguinem Christi esse sanguinem Dei, non alia quidem ratione, quàm quia à Deo est immediatè assumptus. Audiatur *Paulus Act. Apostolorum* 20.*nu.*28. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo posuit vos Deus regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Eidem sanguini propter eandem rationem tribuitur pretium salutis, & redēptionis; *Prima Petri c.1.n.* 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi Agni immaculati Christi.* Hic ponderādum, quòd si non esset assumptus Christi sanguis, nulla foret ratio prohibens, illum dici, & esse corruptibilem; imò magis corruptibilis erit auro, vel argento: nil enim citiùs corrumpitur, aut putrescit, quàm sanguis extra venas, imò & in ipsis venis, etenim ex illius corruptione

ne omnes nascuntur febres, & morbi.

30 *His succedat ratio*. Sanguis quicumque ille sit, siue materialis, siue formalis, siue decoctus, siue incoctus ad integritatem hominis pertinet; sed Christus assumpsit, quidquid est de integritate naturæ humanæ: ergo sanguinem assumpsit. Maior probatur, supponendo primò, aliquid dici de integritate hominis, vel quòd sit actualis pars; habeatquè complementum suũ, vel quia etsi ens completum nõ sit, nec actualis pars, tamen tale est, vt sit in proxima dispositione ad hoc, vt sit pars actualis, estquè tale, vt viuere non possit homo, & subsistere sinè eo. Non est sanguis de hominis integritate primo modo; esse autem secundo modo docuit Poeta, cum scripsit: *Vitam cum sanguine fudit.*

*Vrgetur ratio*. Incarnatio facta est ad hominis restaurationem, & glorificationem, oportuitquè à Diuino Verbo assumi, quidquid in homine assumi poterat, dequè sua erat integritate: ergo assumpsit sanguinem: quippè sanguis pertinet ad veritatem naturæ humanæ, & sinè illo non potest operari, conseruari, &c.

*Nec argumenta* à nobis adducta conuincunt; nam cum dicitur primo: sanguis nõ informatur: ergo non assumitur. *Nego sequelam*; nam ideò assumitur, quia pertinet ad naturæ conseruationem. *Cũ dicitur secũdò*: Non est pars animalis, sed alimẽtum eiusdẽ: ergo nõ assumitur. *Dico*, quòd sanguis, esto non sit pars corporis, quia in partes corporis debeat conuerti; est tamen pars humanæ naturæ: quia sinè illo non potest conseruari. *Dic etiam*, quòd, licèt non sit pars habens vltimam actualitatem, scilicet sit in potentia ad hoc, vt sit alterius pars; est tamen pars, quæ potest in alteram partem conuerti.

# PROPOSITIO SEPTIMA.

## *Sanguis separatus iterùm vniendus corpori, non fuit à Diuinitate separatus.*

31 NObis aduersatur Maironus *in 4 dist. 43. q. 1.* qui dicit, *Beatum Iacobum à Marchia fuisse contrariæ opinionis*. Audiui tamen à viro quodam doctissimo, mihi magistro; *Beatum Ioannem à Capistrano* nostram docuisse sententiam.

*Veniat ergo fundamentalis ratio pro nostra propositione*. Theologi do-

docent, carnem, aut animam in triduo à Verbo Diuino separatam non fuisse, eo ducti fundamento: quia nec nobis talis separatio profuisset, nec sinè culpa debebant tales partes gratia vnionis priuari; at eadem ratio conuincit de sanguine: ergo, &c. quæ enim nobis vtilitas fuisset talis separatio? quænam culpa præcesserat in Christo, vt sanguis ille à Verbo separaretur?

*Adde*, quòd ille sanguis fuit assumptus à Verbo, vt perpetuò maneret vnitus: ergo nunquam fuit separatus. Antecedens patet; nam ante mortem erat vnitus, & post resurrectionem similiter. Consequentia patet; quia sicut corpus, & anima nunquam dimissa, quia assumpta fuerunt; vt perpetuò manerent vnita: ergo sic similiter sanguis.

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Si qua pars sanguinis fuit à corpore separata, ita vt nunquam esset reunienda, ea fuit à Diuinitate dimissa.*

31 Contrariũ habemus *Valentiam*, qui fatetur, in terris modò esse aliquam partem sanguinis Christi, & illam esse Diuinitati vnitam. Propositioni tamen nostræ fauent duo illa luminaria grandia, nedùm Seraphici ordinis, verùm etiam totius Orbis, scilicet *Beatus Iacobus à Marchia*, & *subtilissimus Scotus in 3. dist. 16. q. 2. §. sed contra &c. l. D.* vbi inquit, *cum dicitur, quòd semel assumptum nunquã fuit dimissum, verùm est de principalibus partibus corporis, quæ concurrunt ad perfectionem hominis, cuiusmodi sunt partes etherogeneæ, scilicet cor, caput manus, & huiusmodi; & tamen aliquæ partes dimissæ sunt, vt si incidit sibi vngues, vel rasit sibi capillos, & sic de partibus carnis, & alijs.* Ex hoc loco Scoti duo colligo.

*Primum* nedùm partes etherogeneas esse vnitas, sed etiam necessària ad consistentiãm corporis: quippè *Scotus* ait, dimissas esse partes minùs necessarias, scilicet vngues, & capillos. Si ergo dimittuntur: ergo erant vnitæ; quia quod non erat vnitum, non dimittitur.

*Alterum*, quòd colligo ex illo loco Scoti, est, quòd ea, quæ nũquam resumenda fuerunt, dimissa fuerunt; ex hoc enim arguit *Scotus*, vngues, & capillos fuisse dimissos, quia non erant relu-

resumendi: ergo, si qua pars sanguinis Christi non erat corpori reunienda, vel quia in terris remansit, vel quia fuit corrupta, ea dimissa fuit à Verbo Diuino. Erit ergo sanguis ille adorandus propter præcedentem vnionem ad Verbum.

33 *Difficultates contra nostram istā propositionem. Prima*: illud, quod semel vnitum est Deo, non debet ab eo separari sinè eius culpa; sed sanguis Christi semel fuit vnitus Deo ipso viuente, nec vnquam peccauit, sed semper immunis fuit ab omni culpa, iuxtà quod dicit *Isaias c.* 52. *n.* 9. *iniquitatem non fecerit, nec dolus fuerit in ore eius*; quæ verba de Christo sumuntur, prout *D. Petrus exprimit in prima Canonica cap.* 2. *nu.* 21. cùm dicit: *Christus passus est pro nobis, &c. relinquens exemplū, vt sequamini vestigia eius, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius*: ergo, sicut in vita nunquàm Deus fuit ab assumpto homine separatus; ita nec in morte sinè eius culpa debuit separari, neque quantùm ad animam, neque quantùm ad corpus, neque quantùm ad sanguinem: cùm sanguis sit quid pertinens ad entitatem corporis humani.

*Confirmatur per authoritatem* D. Thomæ *par.* 3 *q.* 53. *art.* 2. vbi agens de carne Christi, quærit; *an fuerit à Diuinitate separata?* & rei, udendo dicit, quòd *illud, quod per gratiam Dei conceditur, nunquàm absque culpa reuocatur*: vndè dicit *Apostolus ad Rom.* 11. *n.* 29. *sinè pœnitentia enim sunt dona, &c. vocatio Dei*; multo autem maior est gratia vnionis, per quam Diuinitas vnita est carni Christi in persona, quàm gratia adoptionis, qua aliqui sanctificātur; & magis permanēs ex sui ratione: quia hæc gratia ordinatur ad vnionem personalem; gratia autem adoptionis nunquam perditur sinè culpa, & ad quamdam vnionem affectualem ordinatur: igitur, cùm in Christo nullum fuerit peccatum, impossibile fuit, quòd solueretur vnio Diuinitatis cum carne ipsius; & ideo, sicut ante mortem caro Christi vnita fuit secundùm personam, & hypostasim Verbo Dei, ita remāsit vnita post mortem, &c. De sanguine per identitatem rationis idem iudicium est faciendum.

34 *Secunda difficultas* sumitur ex dictis Augustini, & Magistri sentētiarū *supra cit.* super illud *Psalmi* 29. *n.* 10. *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem, &c.* estque talis: quod non est vtile ad Redemptionem humani generis, non debuit esse, tùm in corpore, tùm in sanguine Christi: sed nulla vtilitas sequebatur ex separatione ipsius corporis, vel sanguinis à Diuinitate: ergo non debuit separari. *Confirmatur* ex dictis D. Bonauenturæ *in* 3. *sententiarum dist.* 21. Vbi ad illud quæsitum, *an in mor-*

morte Christi Diuinitas à carne fue.
rit separata? respondet, quod nō:
vndè *Leo Papa* dicit: *tanta est*
*vnio Dei, & hominis, vt nec sup-*
*plicio possit dirimi, neque morte di-*
*stingui*, subdit Diuus Bonauen-
tura: *ratio huius est liberalitas ex*
*parte assumentis: quia cum Deus*
*dat aliquod bonum, non subtrahit*
*illud sinè culpa*, & sic confirmat
etiam supradictum argumētum
primum; & indè subdit pro alia
ratione, dicens, quòd *per eam*
*non sufficeret, cùm Diuinitas ipsam*
*pœnam sentire non possit. Vndè, cùm*
*caro vnita sit Diuinæ naturæ in*
*vnitate hypostasis Filij Dei, illa di-*
*citur caro Verbi, sicut dicit Dama-*
*scenus, cùm dicit; si mortuus est,*
*vt homo, & sancta illa anima ab*
*eius corpore diuisa est, Diuinitas*
*tamen inseparabilis ab vtroq; per-*
*mansit*. Hæc Bonauentura. Ex
cuius dictis, & Damasceni, cùm
dicunt, *ab vtroque*, scilicet ani-
ma, & corpore, benè potest in-
cludi etiam sanguis, qui pars
corporis noscitur euidentiùs;
quàm animæ: quia ex tali sepa-
ratione nulla vtilitas sequere-
tur; sicut infertur ex dicto Psal-
mi: *Quæ vtilitas in sanguine meo,*
*dum descendo in corruptionem.*

35 *Tertia difficultas* colligitur ex
dictis prædicti Diui *Bonauenturæ*
*citati quæst.* 2. cùm dicit pro se-
cunda ratione, quare Diuinitas
à carne non debuit separari. Se-
cunda ratio est dignitas ex par-
te assumptibilis: sicut enim nun-
quàm decuit, ipsam carnem

incinerari, vt dicit *Dauid psalmo*
15. *nu.* 10. *quoniam non derelinques*
*animā meam in inferno; nec dabis*
*Sanctum tuum videre corruptio-*
*nem*, sic nec à Verbo debuit se-
parari, dicit *Bonauentura*, qui
etiam in quæstione præcedenti,
dùm quærit, *an in morte Christi*
*anima fuerit à Diuinitate separa-*
*ta*; respōdendo, dicit, quòd non;
*quia non decebat Deum, qui eam*
*indissolubili vinculo coniunxerat;*
*vndè sicut non decet, virum relin-*
*quere vxorem, sic non debuit Ver-*
*bum Dei ab anima separari, nec no-*
*bis expediebat: quia tunc non ha-*
*buisset potentiam ad genus huma-*
*num captum, eripiendum, nec me-*
*diatoris officium ad reconciliandum:*
Hæc Bonauentura, qui etiam
ad secundum argumentum re-
spondendo dicit, *quòd est coniun-*
*ctio naturalis, & supernaturalis*.
Quando ergo dicit, quod illa
in morte diuiduntur, quæ in Na-
tiuitate coniuncta sunt, hoc in-
telligit de vnione naturali; vnio
autem Diuinitatis ad animam,
non erat naturalis, sed superna-
turalis: ergo, &c. Patet enim ex
dictis, quod non minùs est su-
pernaturalis vnio Diuinitatis ad
carnem, & sanguinem, quàm ad
animā; imò magis: quia maior
est conuenientia spiritus Domi-
ni ad spiritum rationalem, qui
creatus est ad imaginem, & si-
militudinem Dei: ergo, quòd
*Deus coniunxit, homo non separa-*
*ret*, dicit Deus apud *Matthæum*
19. *nu.* 7. loquens de viro, & vxo-
re;

re; quantò magis ergo in tali matrimonio Iesu Christi coniuncto per eumdem inter personam Diuinam, & humanam naturam?

36 *Difficultas quarta colligitur ex dictis D. Thomæ in 3. sententiarum dist.* 21. vbi tractat de morte Christi, & respondendo dicit, *quod Corpus Christi in morte Christi non fuit separatum à Deitate*; cuius ratio ex duobus potest accipi. *Primò* ex parte Dei, qui cùm sit immutabilis, ei, quod sibi perfectè coniunctum est, immutabilitatem præstat, vt scilicet immutabilitas ei adhæreat; *Tūc arguo sic*: sanguis Christi in corpore Christi perfectè coniunctus extitit immutabili Deo: ergo immutabilis Deus immutabilitatem præstitit prædicto sanguini, sicut animæ, & corpori, ita, vt immutabilitas Dei prædicto sanguini adhæreret, sicut animę, & corpori: ergo sicut immutabilitas Dei nunquàm fuit separata ab anima, & corpore, ita nec à sanguine effuso in pretium redemptionis humanæ.

*Confirmatur per authoritatem D. Gregorij* in lib. moralium dicentis, quòd *Deus vbiquè totus est, & solus est perfectus, & immutabilis: nam omnè, quod mutatur* (dicit ipse) *desinit esse, quod fuit, & incipit esse, quod non fuit; & omne, quod modò sic, modò aliter est, iuxta non esse, est permanere; aut in statu suo, non potest, & aliquo modo ad non esse tendit, dum ab eo, quod fuerat, semper ad aliud per momenta temporum ducitur; Dei esse verò est indiuisibile.* Vndè *ad Moysem dicitur Exod. 3. nu. 14. Ego sum, qui sum: hæc dices filijs Israel; qui est misit me ad vos. Iacobus* quoque *Apostolus c. 1. n. 17.* ait: *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Beatus quoque Seuerinus*, de Deo dicit: *stabilisquè manens, dat cuncta moueri.* Indè colligitur, quòd omnium rerū vicissitudo est, solus Deus vicissitudine caret: ergo stabilis, & incommutabilis Deus stabiliter, & incommutabiliter sibi naturam humanam vniuit, sed nō sinè sanguine: ergo nec sanguis in tempore mortis Christi ab eius Diuinitate fuit seiunctus.

37 *Secundò* (*et est quinta difficultas*) ex parte ipsius assumpti, vt colligitur *ex B. Th. in 3. cit. sent.* Qui per mortem, quam etiam obedientia Patris sustinuit, non debuit suam dignitatem omittere, sed magis debuit clarificari. *Tūnc arguo sic*: dignitas assūpti hominis non debuit per mortem minui, sed augeri: ergo sanguis tempore mortis Christi à Diuinitate non debuit separari, sed magis clarificari, sicut post resurrectionem factum est, vt prædixit Christus apud *Ioannem* 12. n. 27. cùm ait: *nunc anima mea turbata est, & quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora, & propterea*

*terea veni in horam hanc, Pater clarifica nomen tuum; venit ergo vox de Cœlo, dicens: Et clarificaui, & iterùm clarificabo:* ecce, quod Diuinitas ad humanitatem loquitur respondendo, se clarificaturam eandem.

38 *Confirmatur per authoritatem* D. Thomæ *par. 3. q. 63.* vbi tractat, *utrùm Corpus Christi resurrexerit integrũ?* Et arguendo primò, quod non; sic dicit: *sunt enim de integritate corporis humani caro, & sanguis, quod Christus non videtur habuisse; dicitur enim prima Corinthiorum 15. Caro, & sanguis regnum Dei non possidebunt: Christus autem resurrexit in gloria Regni Dei: ergo videtur, quod non habuit carnem, & sanguinem. Præterea sanguis est vnus de quatuor humoribus: si ergo Christus habuit sanguinem, pari ratione habuit alios humores, ex quibus causatur corruptio in alijs corporibus animaliũ; sic ergo sequitur, quòd Corpus Christi fuit corruptibile, quod est inconueniens: non ergo habuit carnem, & sanguinem. Præterea Corpus Christi, quod resurrexit, in Cœlum ascendit; sed aliquid de sanguine eius in quibusdam Ecclesijs reseruatur pro reliquijs, non ergo resurrexit Corpus Christi cum integritate omnium suarum partium. Sed contra est, quod Dominus Lucæ vltimo post resurrectionem dixit: palpate, & videte quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Respondendo, dicendum est, quòd (sicut supra dictum est) Corpus Christi in resurrectione fuit eiusdẽ naturæ, sed alterius gloriæ, vndè quidquid ad naturam corporis humani pertinet totum fuit in Corpore Christi resurgentis. Manifestum est autem, quòd ad naturam corporis humani pertinent caro, sanguis, ossa, & alia huiusmodi & ideò omnia ista in Corpore Christi resurgentis fuerunt, & etiam integraliter absque diminutione, alioquin non fuisset perfecta resurrectio, si non fuisset integratum, quidquid per mortem acciderat.* Hæc D. Thomas. Qui etiam subdit respondendo ad tertium argumẽtum, quòd totus sanguis, qui de Corpore Christi fluxit, cùm ad naturæ humanæ veritatem pertineat, in Christi Corpore resurrexit; etiam eadem ratio est de omnibus particulis ad veritatem, & integritatem humanæ naturæ pertinentibus. Sanguis autem ille, qui in quibusdam Ecclesijs pro reliquis seruatur, non fluxit de latere Christi, sed miraculosè dicitur effluxisse de quadã imagine Christi percussã.

39 *Sexta difficultas* colligitur ex dictis *Scoti in 3. dist. 21.* vbi tractat, *utrùm Corpus Christi fuisset putrefactum si resurrectio non fuisset accelerata?* & concludens, quòd, cùm res naturales à fortiori virtute prohibentur, non possunt cõsequi suum effectũm, ideò Corpus Christi nunquàm fuisset putrefactum, prohibente Diuina virtute; & inf. à supra l. C. dicit: *quòd duplex est processus*

*cessus naturæ. Vnus, quo ab imperfecto proficit, & tendit in perfectũ, & hęc est via generationis: alius, quo à perfecto deficit, & tendit in imperfectum, & hæc est via corruptionis. In primo processu patet, quòd natura incipit à semine, & alterando deducitur in sanguinem. Sanguis vltrà per alterationem in ossa, & carnem & caro in organizationem, & figurationem conuenientem animæ; si ergo Verbum vnisset sibi naturã ita, quòd natura habuisset cursum suum, vt primò vnisset sibi sanguinem, & mediante sanguine per successionem carnem, & mediãte carne organizatam carnem. & si sic fecisset, non impediuisset cursum naturæ successiuè, nisi per nouum miraculum aliud, quàm sit illud, quo primò vnisset sibi sanguinem; quia illo stante, potuit natura habere naturalem cursum suum. ideò, si cursus debuisset impediri, hoc necessariò fuisset nouo miraculo. Eodem modo oportet dicere de processu naturali defectiuo, s. à perfecto ad imperfectum: quoniam, non obstante primo miraculo, quo corpus fuit vnitum Verbo, fuisset corpus naturaliter putrefactum, nisi alio nouo miraculo fuisset præseruatum.*

*Et infra l.C. vers. si enim,* dicit: *quòd antiquum miraculum semper conseruasset vnionem partium naturæ humanæ, scilicet animæ cum corpore, & si vnquàm fuissent separata, sicut fuerunt, tunc oportet dicere, quòd nouo miraculo fuit mortuus. Ex quo enim antiquo miraculo si non superuenisset aliud, semper fuissent partes vnitæ inter se, sicut fuerũt in Verbo, sequitur quod, ex quo fuerunt separatæ, hoc fuit nouo miraculo. Et sic nouo miraculo fuit corpus præseruatum à putrefactione; & alia volitione secundùm rationem voluit corpus vniri Verbo, & alia voluit, corpus præseruari à resolutione, impediendo actiones causarum naturalium, & non ponitur aliud pro miraculo, nisi alia volitio secũdùm rationem aliã, & aliam respectũ diuersorum obiectorum.* Hæc Scotus.

*Tale sit modò argumentum.* Eodẽ miraculo, quo corpus Christi potuit præseruari à corruptione, potuit etiam præseruari, & sanguis; sed corpus Christi præseruatum est nouo miraculo; ergo & sanguis, qui ad corpus pertinet, nouo miraculo est seruatus. Antecedens patet per doctrinam Scoti. Consequens sequitur ex dictis eius: ergo, &c.

40 *Septima difficultas* resultat ex dictis eiusdem Scoti cit. qui subdit ibidem §. ad primum principale: *Putrefactio enim nobis nihil valuisset, nec fuisset decens; imò causa erroris, & incredulitatis resurrectionis eius, si corpus fuisset putrefactum.* Et sic ad illud *Prophetæ psal. 15. n. 10. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem,* dicit ipse ibidem, *quod verum est de facto: quia sicut per animam, & carnem voluit sibi corpus vniri, quod fuit antiquum miraculum, ita voluit, quòd illud corpus inanima-*

*tum non putrefieret, etiam si resurrectio fuisset prolungata.* Hæc Scotus. Ita arguo: putrefactio corporis Christi nihil nobis valuisset, nec fuisset decens, nec conueniens, nec expediens; imò causa erroris, & incredulitatis: ergo ad euitandum prædicta inconuenientia, cõfiteamur, sanguinem Christi, tempore mortis eius effusum, eodem modo fuisse præseruatum à corruptione, quomodò & corpus; sed corpus fuit præseruatum per vnionem Diuinitatis: ergo, & sanguis pari modo, & eodem miraculo.

41 *Octaua difficultas* colligitur ex dictis *Scoti vbi supra §. ad primũ,* cùm subdit, *quod nisi in illo triduo fuisset incobatum nouum miraculum, benè fuisset aliqua inchoatio resolutionis corporis Christi, non obstantibus vnguentis.* Nunc tale sit argumentum. Si, de quo minùs videtur inesse, inest; ergo multò fortiùs de quo magis, *vt in 2. Topicorum;* sed minùs videtur inesse ad corruptionem corpus, vnguentis conditum, quàm sanguis sinè vnguentis effusus, & *Scotus* præsupponit, quòd corpus Christi, non obstantibus vnguentis, incepisset resolui in illo triduo, si non interuenisset nouum miraculum; ergo multò magis debuit resolui sanguis, qui non fuit aliqua naturali, vel artificiali vnctione perfusus, quod est indecentissimum, & inconuenientissimum dicere; ergo ad euitandam tantam indecentiam, confiteamur, eodem modo, & miraculo, sanguinem fuisse seruatum, quo, vel quibus, & corpus.

*Istis omnibus difficultatibus* est occurrendum ex doctrina; quòd Theologi volunt cum D. Thoma, animam, & corpus remansisse vnita Verbo; quia nunquàm separanda à Christo; ergo nos possumus dicere, sanguinem diffusum à corpore Christi, qui tamen ampliùs corpori Christi non erat vniendus, fuisse à Verbo dimissum.



PRO.

# PROPOSITIO NONA.

## *Immediatè, & sinè vllo medio quod Diuinum Verbum assumpsit totum hominem tàm cathegorematicè, quàm syncathegorematicè.*

42 PArtitionem medij in medium *quod*, & in medium *quo*, iam cuncti docent Theologi. Mediũ *quod* id dicitur, quod primò assumitur in se, & per assumptionem illius assumitur aliud; hac ratione dicimus, superficiem mediũ *quod* inter parietem, & albedinem: quippè paries priùs recipit in se superficiem, & mediàte ea albedinem. Medium *quo* est forma constitutiua particulariter illius naturę, quæ assumitur; nam, sicut forma est ratio agendi illius naturæ, cuius est, licèt ea non diceretur agere; ita eadem forma potest dici ratio assumendi, licèt illa non primò assumatur. *Statuimus hanc propositionem*, vt videremus: *vtrùm* Diuinum Verbum assumens, & vniens sibi naturam humanam constantem varijs partibus, priùs totum sumpserit, & per illud partes; *vel an* primò assumpserit vnam ex partibus, & per illam alias consequẽter, & ex illis totum? Nam si aliquid in homine sumptum induit rationem causæ, aut efficientis, aut sinè qua nõ assumptionis eorum, quæ postmodùm, & consequenter vniuntur, ac proindè diceretur medium intrinsecum, seù substantiale: nam homo secundùm se totum, sicut & secundùm quamlibet sui partem substantia est, & totum est homini intrinsecum, sicut & partes.

*Volumus autem* eodem instanti temporis, quo absolutus fuit homo ille, qui à Diuino Verbo assumptus est, Diuinũ Verbum illum sibi vniuisse, ita, vt non priùs tẽpore fuerit homo, quàm homo, Deus, & Christus:

43 *Ratione Scoti* probamus hanc propositionem, estquè talis. Si tempore priùs formatus est homo ille, quàm vnitus Verbo, nõ erit Sanctissima Virgo Mater Dei: quia completa esset hominis illius generatio, & productus terminus, ad quem generationis, quo producto, cessat actio Matris, antequàm esset homo Deus: sed ex fide Catholica Sãctissima Virgo est non solum Mater Christi, scilicèt hominis, sed etiam Dei: ergo oportuit in eodem instanti temporis termi-

nari generationem hominis, & eiusdem cum Verbo vnionem.

*Succedat aliud argumentũ*, & est huiusmodi. Illud fuit assumptũ à Diuino Verbo vno, & eodem instanti temporis, quod, nisi vnitum esset, fieret persona habens propriam subsistentiam: sed totus homo cùm omnibus suis partibus erat in proxima dispositione, vt personaretur; quando assumptus fuit, & sinè illa assumptione futurus erat persona: ergo eodem instanti assumptus fuit totus homo, & suæ partes.

## PROPOSITIO DECIMA.

### *In assumptione humanitatis secundùm ordinem executionis nullum fuit medium quod, sed humanitas sinè medio fuit assumpta.*

44 EST communis *Scoti, & suorum cum* Durando, *& Riccardo in 3. dist. 2. q. 2. contra Diuum Thomam, & suos.*

*Propositionem nostram* probamus ex eo, quòd assumptio humanitatis non est eiusdem humanitatis productio, sed præexistentis humanitatis eleuatio ad subsistendum subsistentia Verbi: ergo assumens non est necesse, quòd incipiat assumere à partibus, sed à tota humanitate, quam intendit eleuare. Pulchrum sanè argumentum, & plausibile.

*Secundò probatur à Scoto*. Natura humana eodem ordine debuit personari à Diuino Verbo; quo esset personata à propria personalitate: sed immediatè tota natura personatur à propria personalitate; ergo, &, à personalitate Diuina. Maior est clara: quia persona Diuina suppleuit vicẽ personalitatis creatæ, atquè ita in eodem instanti debuit personare naturam, quo personaretur propria personalitate. Minor probatur: quia natura humana, antequàm sit cõpleta, & singularis, non est capax personalitatis: ergo immediatè ipsa personatur, & non mediantibus partibus.

45 *Eminẽtissimus Caietanus* respõdet ad hoc argumentum, licèt satis obscurè. Summa autem consistit in negatione maioris; ad cuius probationem dicit, nõ eodem ordine personasse Verbũ naturam, quo personaretur per propriam personalitatem: quandoquidẽ, cũ personalitas creata causetur à natura, cuius est personalitas, & omnis causa

fal-

ſaltem ordine naturę debeat ſuũ præcedere effectum, ſequitur, quòd perſonalitas creata non poteſt conuenire naturæ, niſi ea tota ſit perfecta; hinc ſequitur, naturam creatam immediatè perfici à propria perſonalitate: at verò, cùm perſonalitas Diuina ſit altioris ordinis, nec cauſetur à natura, quam perſonare debet, ſed ante ipſam pręexiſtat, poterit Verbum Diuinum inchoare aſſumptionis ordinem, vndè voluerit, vel nimirum à partibus, vel à tota natura.

*Reſponſio hæc* parui valoris etiã iudicatur *à Valentia puncto* 2. nam ex ipſomet Caietano talis eſt ordo mediorum, ſi res fiat in inſtanti, qualis fuiſſet, ſi res fieret in tempore: ergo, ſicut per agens naturale natura non perſonatur, niſi quando eſt ſingularis; ita talem ordinem ſeruauit Diuina perſona in perſonando iſtam naturam; non ergo priùs partes perſonauit, quàm totam naturam.

46 *Valentia aliter reſpondet*; negat minorem, quòd ſcilicet natura tota in ſe priùs perſonetur, quã partes. *Quòd ſi illi obijciatur*, partes non eſſe perſonabiles, niſi ratione totius, & illud primò perſonatur, quòd primò natum eſt perſonari. *Reſpondet*, quòd perſonari dupliciter poteſt intelligi; vel quòd ita aſſumitur, vt ipſum immediatè ſit, atquè fiat perſona per perſonalitatem: vel quod eſt pertinens ad perſonam, atquè adeò quocumquè modo à perſona ſubſtentetur. Primo modo verùm eſſe, ait, totum eſſe primò aptum natum perſonari. Secundo verò modo partes ſunt primò perſonabiles.

*Argumentum in ſuo perſiſtit robore*: nã partes ideo ſunt ſecundo modo perſonabiles, quia ſunt aliquid naturæ primo modo perſonabilis, & ideò partes ſecundo modo perſonãtur; quia totum primo modo perſonatur: ergo, cùm non ſit perſonatio totius, non poterit eſſe perſonatio partium; & ita partes nullo modo in aſſumptione potuerũt præcedere totum.

47 *Tertiò probatur*. Si Verbum Diuinum non primò aſſumpſit humanitatem, quàm partes, ſequitur non primò fuiſſe hominem, quod eſt abſurdum; nam hoc prædicatum, *homo*, tàm primò dicitur de Chriſto, quàm de Petro. Sequela patet: quia aſſumens eſt primò aſſumptum: ſed aſſumptum primò ſunt partes, quæ non ſunt homo: ergo, &c.

*Huius argumenti* primam ſequelam negat *Caietanus*, & ad probationem dicit aliud eſſe aſſumptibile totale, aliud partiale; & etiã aliam eſſe aſſumptionem totaliter terminatam; & aliã partialiter terminatam. Tota natura humana eſt aſſumptibile totale, & ab hac totaliter terminatur aſſumptio; partes verò ſunt aſſumptibile partiale,

tiale, & ab illis partialiter terminatur assumptio. *Hinc* ad argumentum diceret, quòd assumens est primò assumptum totale, non partiale.

*Responsio friuola est*: quippè in ficto radicem habet fundamento, quòd scilicet partes nō possint denominare totū; quod falsum est: cùm in triduo nō fuerit totū, & tamen partes, estò quòd essent assumptibile partiale, denominabant sufficienter assumens. *Vndè Valentia* simpliciter concedit, Verbum non fuisse primò hominem, docetquè, hoc non esse inconueniens. *Nimis liberalis est hic Doctor.*

48 *Multa, & solida impugnant* hāc nostram propositionem maximè, quia non est vna Scotistarum opinio circa solutionem ad argumenta in contrarium: *An scilicet hac in re vna tantùm, vel multiplex sit vnio?* Mairónus *in 3. d. 1. q. 3.* valdè liberalis, quatuor assignat vniones iuxtà quatuor principalia fundamenta. Dicit ergo, *vnam vnionem factam esse in carne, secundam in anima, tertiam in toto, quartam in accidentibus.* Bossolius *autem dist. 2. q. 3. art. 2.* vnam tantùm ponit vnionem, & hac sola dicit, *totam naturam primò dici assumptam, & consequenter partes.* *Addit,* quòd in triduo ad destructionem totius humanitatis, fuit etiam destructa illa vnio, & causatæ fuerunt duæ vniones de nouo, vna in carne, alia in anima. *Obserua,* quòd in resurrectione humanitatis redierit prima vnio, & corruptæ fuerint illæ duæ vniones denouo causatæ.

49 *Tataretus* est opinatus, hanc esse opinionem Scoti, & videtur deduci ex *primo articulo in 3. d. 2. q. 2. cit. §. contra primum, &c. argumento vltimo contra Varronem,* vbi expresè dicit, quòd sola vnio ad totum sinè vnionibus ad animam, & ad corpus sit satis. Idem etiam patet ex argumento primo ad oppositum. *Sit hoc scitum,* etiam quòd secundū Scotum in reportatis pars non propriè personatur, nisi per accidens, quatenus scilicet est pars illius totius, quod assumitur; *& Lychetus in 2. d. 15. q. 1. in corpore quæstionis,* ait, quòd partes totius sunt singularizatæ, & non est inconueniens, quòd duo singularia partialia efficiāt vnum singulare totale: nam homo habet singularitatem totalem aliam à singularitate corporis, & animæ: at suppositum, cum sit incommunicabile, *vt quo, & vt quod* nequit esse pars alicuius, quia tunc esset communicabile saltem, *vt quo.* Itaquè nulla pars compositi est per se suppositata, sed solùm compositum perfectum, scilicet completum, dicitur suppositatum.

*Ex quo deduco*, quòd licèt in triduo Verbum esset vnitum animæ, & corpori Christi, neutra tamen pars dicebatur suppositum. Idem dicit *Scotus cit.*

*art. 1.*

*art. 1. §. ideò quantum. &c. in fine l. A.* ait enim: *In eodē instāti naturę, in quo materia præcedit totū vel forma, neutrum natum est esse personā; sed tunc primò, quando ex istis vnitis est tota natura, tunc ipsa tota est persona in se, si non impediatur ab assumente.* Hæc Scotus. Varia Authorum nostræ scholæ placita in hac parte notaui, vt liberum sit cuilibet Scotistæ, vni, vel alteri se subscribere opinioni. *Vt quid sentio,* dicam; si res veritatis zelo examinaretur, credo, plùs esse de æquiuocatione, quā de veritate concertationem:

50 *Obijcitur contra nostram propositionem ex D. Thoma art. 5.* Qualis est ordo naturæ in existentia ipsa rerum assumptarum, talis est ordo earum in assumptione: sed in existentia priùs natura sunt partes, quàm totum: *tùm* quia sunt causæ totius; *tùm pariter* quia possunt esse sinè toto, & nō è conuerso: ergo partes priùs assumptæ sunt.

*Respondemus*, Deum non seruasse eundem ordinem in assumptione humanitatis, quem seruauit in ipsius productione: ratio est, quia assumptio non fuit productio naturæ sed illius eleuatio ad personalitatem Verbi. Neganda ergo est maior propositio: & hoc est, quod habet *Scotus in solutione secundi argumenti principalis*: quòd alius est ordo, cùm aliqua comparantur inter se, & alius, cùm comparantur ad tertium.

51 *Replicat Caietanus.* Primum in resolutione est vltimum in compositione, vel coniunctione aliqua: sed totum primò fuit absolutum, & disunitum à Verbo in triduo, & partes remanserunt vnitæ: ergo totum fuit vltimum in coniunctione, & partes priores: ergo totum mediantibus partibus fuit assumptum.

*Respondemus*, quòd in triduo primo, & principaliter non intēdebatur dissolutio vnionis totius, sed destructio humanitatis. Vndè colligitur, tantùm illo facto, quòd productio humanitatis incipiebat à partibus, quæ fuerunt posteriores in resolutione. Per accidens autem fuit, quòd destrueretur vnio ad humanitatem, quia scilicet subiectū vnionis fuit destructum. *Ad argumentum* ergo in forma respondetur: vltimum in resolutione esse primum in compositione, & primum in resolutione esse vltimum in coniunctione, verùm esse de illo, cuius resolutio per se intenditur.

52 *Obijcitur secundò ex Caietano.* Quæ sunt priora in intentione, sunt posteriora in executione: sed Verbum secundùm intentionem primò assumpsit naturam humanam: ergo huius assumptio in executione fuit vltima.

*Respondeo*, maiorem esse veram cum comparatur ad agens finitum, quod non potest primò producere terminum ab ipso intentum, sed debet progredi per

media

media requisita; & agens infinitum, cui nihil resistit, non necessariò seruat ordinem illum, sed immediatè potest attingere effectum intentum. *Hinc nos* in fauorem nostræ propositionis ita dicebamus supra n.44. Assumptio non est productio humanæ naturæ, sed præexistentis naturæ eleuatio ad subsistentiam Diuinam: ergo assumens non est necesse, quòd incipiat assumere à partibus, sed à sola humanitate, quam intendit eleuare ad subsistentiam Diuini Verbi.

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## *Admittendum est medium quo in assumptione, & vnione humanitatis cum Deo.*

53 Plana erit nobis via ad istã propositionem. Moneo solùm, quòd medium *quo* longè distat à medio *quod*, vt aliàs notaui: quia medium *quo* nullam notat prioritatem, nullamq; infert causalitatem, quãuis hæc duo in medio *quod* reperiantur; notatquè solummodò rationem causæ sinè qua non, imò nec hanc notat; propterea fit, vt quamuis anima non sit medium *quod* in Incarnatione, sit tamen medium *quo*. Isto in sensu intelligendi sunt omnes Patres, qui affirmant, primò assumptam fuisse animam, & per eam alias partes cum toto. Sufficiat afferre *Diui Augustini sententiam epist. 3. ad Polutianum: Ipsa magnitudo diuinæ virtutis animam sibi rationalem, & per eandem corpus humanum, totumquè omninò hominem in melius mutandum coarctauit*: si quidèm, dum ait, *per eãdem*, significat quidèm, animam esse medium *quo* in huiusmodi coarctatione, non autem medium *quod*.

54 *Si quis quærat*, quarè anima Christi dicatur medium *quo* assumptionis, & vnionis naturæ humanæ cum Deo? *Respondeo*, id fieri, quia etsi quælibet res etiam inanimata sit capax, vt assumatur à Diuino Verbo, tamen homo propter dignitatem animæ rationalis dicitur solus vnibilis cum Deo: ergo dignitas animę rationalis hoc ei confert. *Deindè*: est anima rationalis fõs, & origo omnium operationum, quæ a Diuino Verbo assumptæ, possunt eleuari ad eam perfectionem, ad quã creatura summè perfecta Diuino Verbo coniuncta potest peruenire. Si anima rationalis propter suam digni-

dignita-

gnitatem est medium *quo* in Incarnatione Dominica, dicendum quoquè erit, partem nobiliorem eiusdem animæ, quam Theologi superiorē portionem appellāt, esse medium *quo* vnionis, & assumptionis aliarum partium animæ, quas appellant inferiorem portionem: siquidèm non minùs distat portio superior ab inferiori, quàm distet anima à corpore, dummodò accipiamus vtramque portionem pro varijs potentijs animæ, ita, vt portio superior complectatur intellectum, voluntatem, & memoriam, quæ sunt facultates nullum habentes cum corpore cōmercium nec in actu primo, nec secundo; sitquè portio inferior colligatio aliarum facultatum potentiæ sentientis, vegetantis, &c.

## PROPOSITIO DVODECIMA.

### *Sinè vllo medio extrinseco assumpta est humanitas à Verbo.*

55 RESpondet hęc propositio difficultati illi, qua quæritur: *Vtrùm anima Christi assumpta fuerit existens in puris naturalibus sinè vllo dono supernaturali; vel fuerit anima illa priusquàm vniretur, prædita cœlesti aliqua gratia, quæ antecederet vnionem, disponeretquè animam ad assumptionem?* Videatur *Scotus in 3. dist. 2. q. 2. §. contra hoc arguo, &c.* qui nostram probat propositionē hoc pari discursu. Priùs oportuit animam illam, sicut & totum hominem esse in vltimo actu substantiali, quàm aliquod susciperet accidens superadditum naturæ: sed non habuit vltimum actum substātialem anima, antequàm vniretur Verbo, vt anteà probatum est: ergo priùs fuit vnita, quàm vllam haberet gratiam.

*Nostræ propositionis veritatem* colligunt Theologi ex *Ioannis 1. Vidimus gloriam eius, quasi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* Vbi de industria Ioannes vocat Christum Vnigenitū, dicitquè, gloriam eius esse gloriam Vnigeniti, priusquàm de plenitudine gratiæ illius loquatur. Vel ostendit, gratiam, eiusquè plenitudinem collatam fuisse homini Christo, eò quòd per incarnationem Verbi esset filius Dei. *Videatur Doctor cit. qui multa, & pulchra dicit.*

56 *Quæ contra nostram propositionem* adduci possunt accipe. *Primò.*

*mò*. Si gratia non requireretur, vt medium congruum, hoc ideo foret, *vt ait Scotus*, quia habitus, & operatio præsupponunt suppositum: sed hoc esse falsum, probo dupliciter: *Primò*, quia *secundùm Scotum in 4. dist.* 10. albedo separata à subiecto potest mouere potentiam visiuam. *Secundò* idem *Scotus in 1. d. 2.* vult, quòd intellectus, & volitio diuina præintelligantur ipsis personis diuinis.

*Respondetur* negando falsitatem consequentis, obseruando, quòd *Scotus* non intelligit absolutè, omnem operationem prærequirere suppositum, nec quòd suppositalitas sit ratio operandi. Tantùm docet, quòd quando aliqua natura nata est in se suppositari, priùs supponitetur, quã operetur. *Ad aliam difficultatem* de intellectione, & volitione diuina dico, nullam esse paritatem; disparitas est, quia essentia diuina est in se perfectè existens, & subsistens, licèt non cõmunicanda.

57 *Replicabis.* Esse personale Verbi Dei est improportionatum naturæ humanæ: ergo debet poni in natura humana aliquod, per quod reddatur proportionata: hoc non potest esse, nisi gratia: ergo gratia debet præsupponi in natura ad istius assũptionem. Antecedens probatur: quia esse personale Verbi excedit facultatem naturæ creatæ: ergo natura creata minimè attinget ad illud, nisi præuia gratia.

*Respondetur*, antecedens esse æquiuocum, multiplicemquè habere sensum. Si intelligat, naturam creatam illius non esse vigoris, quòd natiua virtute attingere valeat ad esse personale Verbi, vt in ipso subsistat, verissimum est antecedens; sed tũc dico ad assumptum, quòd illud per quod natura redditur proportionata, minimè est gratia habitualis, sed solùm beneficiũ potentiæ obedientialis; nulla enim gratia creata potest facere, quòd natura de se attingat ad personale Diuinum, sed supposita potentia obedientiali in humanitate, reliquum operatur diuinum brachium.

58 *Secundò*. Vnio hypostatica dignitate excedit vnionem beatificam: sed vnio beatifica (scilicet visio beatifica) non habetur, nisi interuentu, & medio lumine gloriæ: ergo & vnio hypostatica sinè gratia præmissa in natura, minimè habebitur.

*Respondemus*, (non curando pro nunc de maioritate inter vnam, & alteram vnionem) quòd etiam si verum esset antecedens, vana est consequentia: quia ad vnionem beatificam est alia necessitas gratiæ, & luminis: quæ locum non habet in vnione hypostatica. Ratio huius est, quia ad beatificam visionem requiritur lumen, quo constituatur intellectus in esse

su-

supernaturali; & ex ipso intellectu, lumine, & obiecto habetur integra causa productiua visionis supernaturalis. At ad vnionem hypostaticam nullum præstat influxum humanitas, sed passiuè se habet. *Quod si velis*, naturam fore disponendam per gratiam sibi inhærentē ad vnionem hypostaticam; dicam ego, naturam debere etiam disponi ad recipiendam illam gratiam supernaturalem disponentem, & idem de altera forma disponente; quapropter haberetur processus in infinitum. Quieto ergo animo demus finē huic propositioni, & asseramus, naturam humanam immediatè recipere in se vnionem hypostaticā, nulla præexigita gratia in ipsa natura ad vnionem.

# DISPVTATIO SEXTA.

## *De Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis.*

1 ABstinere non possunt Theologi à Tractatu de Virgine Deipara, cùm de Dei partu, atq; Cóceptione instituta sit Disputatio. Vndè post disputationē de Assūptione naturę humanę à Verbo, agendū quoq; est de ea Virgine, in cuius vtero facta est huiusmodi vnio, atquè assūptio. Arduam sanè, atquè obscuram, & maximè difficilem aggredimur materiam; ad cuius pleniorem explicationem, priùs originalis peccati natura declaranda est, vt originalis maculę natura intellecta, faciliùs intelligere valeamus: *nùm tali peccato Beatissima Virgo fuerit ratione aliqua inquinata*. Quarè in hac disputatione sic ꝓcedemus. Primò agemus de terrestri Paradiso. Secundò de facultate, & dominio hominis in statu innocentiæ. Tertiò de iustitia Originali. Quartò de peccato originali absolutè. Et vltimò de ipsomet originali peccato in ordine ad Virginem immaculatā. Et quandoquidem constat ex Gen. 3 initium peccati à serpētis cepisse tentatione; hinc videndum est primò.

## An fuerit verus Serpens, qui primos Parētes tētauit?

# PROPOSITIO PRIMA.

### Aliquorum placita confutantur.

2 IOsephus Iudæus fuit opinatus, serpentem illum fuisse verum, & naturalem; addens, quòd tunc naturali facultate pollebat intelligendi, & volendi, & loquendi, & vti pedibus ad gradiendum sine veneno. *Accedit alius Doctor* asserens, ante peccatū Adami animalia fuisse mansueta, corditèr viuentia, intelligentia, & loquentia sensatè. *Fabulam reputo* istam doctrinam: licèt enim ille fuerit verus serpens; minimè tamen dotatus erat facultate intelligēdi, & loquendi; pugnant quippè hæc ex terminis: cùm talis virtus sit immaterialis. Dicere autem, serpentem & intellectu, & pedibus fuisse à Deo priuatū propter fallaciam molitam Euę; simile mihi videtur fabulis, & figmentis Poetarum.

3 *Efrem Syrus dicebat*, fuisse verum Serpentem, qui licèt naturaliter loqui non poterat, petiuit hoc tamen Satan à Deo, vt ad tempus daret illi hanc facultatem, vt loqueretur ad tentandam Euam. *Res mihi*, omnino aliena à veritate. *Cyrillus* affirmat non fuisse verum serpentē, sed speciem dumtaxat, & simulacrum serpētis, sub quo Dæmō alloquutus est mulieri. *Huic discursui* nequeo votum dare. Si enim non fuisset verus Serpens, finita tentatione, Dæmon imaginem illam serpentis deposuisset, cum tamen Sacra Scriptura oppositum testetur.

4 *Eminentissimus Caietanus* asserebat, nec verum, nec fictum fuisse illum Serpentem, sed intelligi pro Dæmone, qui; quia callidissimus, & insidiosus, Serpens dicitur in Scriptura. Hinc concludit: quòd totus ille processus, & tentatio non fuit externa, vel sensibilis; sed intimo tantùm suasu, & suggestione facta est. *Caietani opinio* minimè mihi probari potest: quippè peruertit totam Paradisi, & Sacræ Scripturæ historiam.

PRO

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Vera sententia proponitur.*

5 *VErior sententia est, fuisse in ea tentatione verum & naturalem Serpentem, in quem sese Diabolus insinuauit, & per eum, quasi per organum suum formauit humanas voces. & alloquens Euã, callida, & malitiosa tentatione eã decepit.* Fauet nostræ opinioni, quod Moyses eum appellat simpliciter Serpentem; & genus pęnæ, quo punitus fuit, ostendit, eum fuisse realem serpentem. Cur ergo confugiendum ad fictum Serpentem? Pręter serpẽtem autem, fuisse ibi adhuc Dęmonẽ; ostendit humanus sermo, & ratiocinatio cũ Eua, quod excedit vim, & facultatẽ Brutorũ.

*Si dicatur pro Caietano*, scripturam Sacrã vti vocabulis animalium ad significandum creaturas rationales, verbi gratia: *Ecce Agnus Dei: vicit leo de Tribu Iuda*, & in Apocalypsi, Diabolus, *Draco, & Serpens antiquus vocatur. Respondemus*, quòd Sacræ Scripturę sensus, quando obscurus, vel dubius est, iuxtà regulam *Diui Augustini lib. 2. de doctrina Christi c. 36: & Scoti in 4. d. 10. q. 1. §. hic duo sunt, &c.* colligendus est ex antecedẽtibus, vel subsequentibus verbis, & tũc cognoscitur, quando verè, & quãdo figuratè loquitur, Hìc tota series Scripturæ est in sensu verò, & sic de serpente verò interpretanda est, &c.

6 *Replicabis*. Verus sermo non potest serpenti conuenire; sed clarè patet, serpentem esse loquutum: ergò non fuit verus Serpens. *Respondemus*, quòd minimè loquebatur Serpens; sed Diabolus, vel mouebat organa Serpentis, & refrangebat aerem ad modum humanum formando conceptus: vel se solo mouebat refrangendo aerem, & loquebatur Diabolus, & tunc Serpens nullatenùs loquebatur, sed faciebat, quę naturaliter sibi congrua sunt. *Dices*. Serpẽs est animal, sicut cætera; quomodo ergo potest sibi competere calliditas, & malitia? *Infrà dicemus*, quomodò sit callidior, nõ quòd supponat astutiã, quæ repugnat serpẽti, sed illã, quę opponitur prudẽtiæ, quæ potest Brutis cõpetere ex natura specifica.

*PEtes, an quando dicitur* Gen. 3. n. 1. *Serpentẽ fuisse callidiorẽ Bestijs terræ, intelligatur de serpẽte, vel Diabolo?*

Eminẽtissimus Caietanus absolutè putat debere dici de Diabolo, qui ritè comparatur Bestijs nam propter peccatum ad ordinem Bestiarum deiectus est.

PRO-

# PROPOSITIO TERTIA.

## Hic Caietani modus non est probandus.

7 Ratio: quia Dæmon propter peccatum, minimè ammisit sua naturalia dona; & ideò non est comparandus cum Bestijs: hinc dicit Augustinus, scripturam loqui de calliditate veri Serpentis, non tamen per se, quasi verò ex natura sua sit talis; sed quatenùs erat instrumētum, & organum Diaboli ad fallendum Euam.

*Vrget contrà Tostatus*. Si Serpens dicitur callidior bestijs terræ propter non suam calliditatem, sed Diaboli; aut igitur propter calliditatem, quæ erat in Diabolo, vel per eam, quam accepit à Diabolo? Nō primum: quia nihil dicitur tale propter aliquid, quod sibi non inest; nec enim potest dici callidior propter calliditatem, quæ non erat in eo. Non secundum: quia vel sibi dedit calliditatem suam, & hoc est impossibile, cùm sit accidens spirituale: vel dedit calliditatem congruentem suæ naturæ sensibili; sed hæc non potest recipi, nisi mutata specifica natura, ac mutato temperamento, quod Diabolus non potest facere: ergo. *Respondemus* prædicta scripturæ verba dicta esse de vero Serpente. Illum autem appellauit astutiorem cæteris; non vt significaret per astutiam naturalem Serpentis deceptam fuisse Euam: sed vt ostenderet, Serpentem fuisse aptius instrumentum à Diabolo accipiendū: quia præcunctis animantibus astutior est ad nocendum propter naturalem inimicitiam, quæ est inter eum, & homines. Hinc, non temerè, nec sinè magna ratione à Diuina prouidentia factum est, vt Diabolus ad decipiendum hominem, in Serpentem potiùs, quàm in aliquod aliud animal, insinuaret seipsum.

8 *Dices*: Multa alia animalia longè superant Serpentem naturali solertia, prudentia, & astutia, vt Canes, Lupi, Vulpes, &c. igitur aptiora instrumenta erāt illa ad decipiendum. *Dicimus*, quòd duplex calliditatis, & prudentiæ genus respectū Serpentum excogitari potest. Vnum, quo vtuntur ad vitæ tutelam, ad prosequenda vtilia, & fugienda nociua. Alterū, quod adhibēt ad insidiandum, & nocendum homini; quoad primum, ex multiplici capite patet Serpentum astutia. *Primum* est quoad incātationem: quia aures obturant.

*Secun-*

***Secundum***, quādo percutiuntur, in quantum custodiunt caput, vndè tota vita pendet. *Tertium*, quando bibunt, nè aquam inficiant, venena deponunt. *Quartum*, hyberno transacto tempore, veterem membranam expoliant. *Quoad secundum* satis patet Serpentis astutia, qua vtitur ad nocendum: sanè hominem Serpens occultè, callidè, atquè insidiosè mordet, & morsu quidem lethali. Idquè facit nō metu, non aliquo comodo, vel incomodo suo ductus: sed naturali hominis odio, & propensissimè ad ei nocendum, naturæ instinctu, vt patet ex scripturis, Patribus, & Philosophis. Quamùis igitur de alijs animalibus fortassis inueniantur aliqua nonminùs Serpentibus astuta, ad occultè tamen lædedum hominem sinè vllo comodo suo; nullum tamen Serpente insidiosius, & callidius inuenitur. Rectè igitur dictum est: *Serpens erat callidior, &c.* Videatur *Diuus Bonauentura in 2. sent. dist. 25.*

# DVBIVM PVLCHRVM.

## *Cur Eua non exhorruit Serpentis congressum?*

9 QVibusdam placuit cum D. Bonauentura asserere, Diabolum ad tentādā Euam elegisse genus quoddam Serpentis, virgineum vultum efferens; & quia naturale est suis similibus gaudere, illius Serpentis cōgressu delectabatur potiùs Eua, quàm timeret. *Fabulosa* videtur mihi res ista: non enim tale Serpentis genus aliquādo legimus. *Basilius* dicit, quòd tunc non erat horribilis, sed mansuetus, & mitis, erectus incedebat; sed hæc sinè fundamento dici, credo. *Hinc dico*, quòd Serpens semper fuit talis naturæ, & horribilis. Sed non exhorruit Eua illius aspectum, vel congressum; quia ante peccatum in statu innocentiæ omnia animalia erant obedientia ad nutum; & sicut non poterant malum inferre, sic nec timorem, nec horrorem incutiebant.

10 *Petes: Quod genus Serpentis fuerit?* Aliqui dixerunt, *Basiliscum*, qui est regulus: nàm sicut Dæmon Princeps inuasit Euam; sic instrumento regali vsus est, nempè Basilisco. *Alij* è contra: quia Basiliscus est adeò paruus, vt credi non possit animal sic paruum, deforme, & pestilens Euā adijsse, dicunt fuisse *Scytalem*, quod est animal formosum, & pulchrum, tanta præfulgens tergi varietate, vt squamarum

nito-

nitore, ac venustate aspicientes detineat. *Adde*, quòd Eua non obstupuit audiens secū loquentem, & disputantem Serpentem; non quia putabat, qui loquebatur secum fuisse solùm Serpentem; sed quia existimabat per Serpentem, aliquem spiritum Angelicum loqui; & ideò non obstupuit, quia sciebat, Angelicos spiritus id posse facere, quia credebat suæ vtilitati benè consulere. Ita *Bonauentura*, & *Thomas* dicentes; quòd *mulier putauit Serpentem accepisse loquendi officium, non per naturam, sed aliqua supernaturali operatione.*

11 *Res obscura*: nam hinc magis debebat timere Eua vidēdo bonum Angelum sub specie Serpentis alloqui, qui poterat sub specie hominis cōsultiùs loqui. *Putamus ergo*, propterea non obstupuisse, quia ignorabat, animalia carere facultate loquēdi; nouitas enim rerum, & inexperientia ipsius, & conditio muliebris, quæ minimè possedit omniscientiam rerum, poterant ignorantiæ Euæ esse in causa; quia igitur existimauit Eua loquendi facultate prǣditum fuisse naturaliter Serpentem; non obstupuit ad eius loquutionem.

*Dices*, absurdum videri, quòd Eua in illo statu perfecta ignorauerit, an Serpens loqui potuisset? cùm in statu naturæ corruptæ cuilibet mulierculæ notum sit. *Dicit ad hoc Tostatus*, quòd nunc experientia rerum habita, omnes sciunt, Serpētem loqui non posse naturaliter; sed tunc nulla præcesserat experientia, nulla vigebat fama; nec erat incongruum in illo statu respectù mulieris, quæ ex sui conditione nō habet scientiam omnium rerum, sed quanta sufficit statui fœmineo.

12 *Replicabis*: status ille excludebat omnem imperfectionem, & omni malo vacabat animæ, & corporis: sed deceptio, & error, seù ignorantia est maximum malum animæ: ergo, &c.

*Respondemus*, duplicem esse ignorantiam; vnam puræ negationis, alteram prauæ dispositionis; ista repugnabat in statu Innocentiæ, sed non illa: nam pueri erant multarum rerum ignorantes: nullus autem poterat firmo assensu credere falsa pro veris, vel è contra. Et hæc est ignorantia prauæ dispositionis. Eua igitur poterat habere ignorantiam puræ negationis, &c. *Dices*: Mulier firmo assensu credidit Serpenti: ergo habuit ignorantiam prauæ dispositionis. *Negatur antecedens*: quia fuit dubia, & suspensa, & solùm ex promissione fuit inducta ad credendum.

DE

# DE PARADISO TERRESTRI.

13 IN Sacra Scriptura nomine *Paradisi*, significatur locus quidam amœnissimus, & ad oblectandum hominem iucundissimus. Et interdùm intelligitur de loco aliquo corporeo, & aliquando de loco quodam spirituali. Hinc est difficultas: *an Paradisus idem, de quo loquitur Moyses in Gen. capite secundo, sit locus aliquis corporeus; an verò spiritualis?*

*Philo, Origenes, & Ambrosius* videntur sentire, Paradisum non esse quid corporeum, & nequè in terra, sed in Cœlo Empyreo, ad quem raptus est Paulus. Per arbores Paradisi intelligunt virtutes Angelicas; per flumina, aquas, quæ sunt supra firmamentum.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Opinio ista longè abest à veritate.*

14 NObis fauet Magnus Pater Augustinus, & cum ipso *Scotus in 2. dist. 17. q. 2.* & certè ex Moysis locutione clarè habetur, Paradisum fuisse locū quemdam in terra, corporeum, & aspectabilem omni genere voluptatum, ac deliciarum abūdantem: Verba enim Scripturæ, quando sub historico sensu possunt accipi secūdùm propriam, & vsitatam significationem, non est recurrendum ad sensus mysticos; ex rebus autem ibi actis, putà introductio, & expulsio Adami, corrigitur eorum sententia, quæ dicit, Paradisum nō fuisse determinatam aliquam regionem, aut certū quempiam terræ locum, sed nomine Paradisi denotari vniuersam terram, quæ in primæua conditione, ac statu suo, ob eximeam bonitatem, amœnitatem, & fœcunditatem, erat tota, quasi hortus quidam amœnissimus, & tanquàm Paradisus, vt dicitur de loco, vbi erat Sodoma, & Gomora cap. 13. Genesis.

15 *Dices*, Aquæ diluuii, quindecim cubitis ascenderunt altiùs quouis monte; & tamen ad Paradisum non attingerunt; ergo vel est Spiritualis, vel Aetereus, & non Terrestris. *Respondetur*; quòd, si ille aquarum ascensus fuit miraculosus, & ad punitionem peccatorū ordinatus: ideò

non accesserunt ad Paradisum, in quo non erat peccatum aliquod puniendum. *Replicabis*: ille vocatur Paradisus voluptatis: sed voluptas est in mente: ergo Paradisus est mentalis, seù spiritualis. *Respondetur*; quòd dicitur Paradisus voluptatis effectiuè; prout est locus quidam delitiosus, nostris sensibus exterioribus valdè delectabilis.

## *De Loco, & Situ Paradisi Terrestris.*

16 HAc in re non est vna Sãctorum Patrum sententia. *Aliqui* etenim dixerunt, Paradisum immẽso penè oceano distare à terra; hoc dixerunt, vt promptam haberent responsionem, *cur hominibus foret inaccessus, & vsquè modò à nullo repertus*. *Alijs placuit*; Paradisum esse in loco altissimo, & orbi lunari proximo; moti sunt ad ita discurrendum propter tres causas. *Prima* ob salubritatem habitationis: Locus enim Cœlo vicinus, est trãquillissimus, temperatissimus, & ad conseruandã vitam maximè aptus: quia à nullo extrinseco corruptiuo potest infici. *Secunda ratio*: vt tradere possint, quomodò Paradisus fuerit immunis ab illo exitio vniuersalis Diluuij, quod operuit omnes montes. *Tertia ratio erat*, vt tradere possent, quomodò quatuor illa flumina irrigarent Terram nostram: si enim propè Cœlum non essent; non possent flumina illa ita fluere per totam Terram nostram.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Duæ hæ opiniones non sunt probabiles.*

17 ET quidem omni stabili fũdamento caret prima opinio: quandoquidem luce clarius est, non esse talis distãtia inter terrã, & Paradisum, eò, vel maximè; q̃a Paradisus ponitur in Edom, quæ regio procul distat à Mesopotamia, vel Arabia. *Secunda opinio* pariter videtur incredibilis: nam ille locus est inconuenientissimus habitationi. Tùm propter vicinitatem Solis, & Stellarum: tùm propter elementum ignis. Item notat *Tolomeus*, quòd interuallum inter orbem Lunæ, & Terræ, est ferè septiès, ac deciès maius diametro Terræ: hoc est, ipsius Ter-

ræ longitudine; quæ distantia comparata in ordine ad nostra milliaria, continet milliaria cẽtum millia, addictis nouem millibus nongentis triginta septem: ergo si Paradisus culmine suo attingit cœlum; necesse est, ipsum habuisse pro basi, & fundamento vniuersam Terræ latitudinem, quod est ridiculum.

*Tostatus ex Alexandro dicit, Paradisũ esse in tertia aeris regione, vt dicatur excedere terminos huius nostri aeris caliginosi, & turbolenti.*

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Improbabilis est itidem hæc opinio.*

18 VEritatem docent supra adductæ rationes. Illis adde. Nulla regio est ineptior habitationi, quàm tertia ob nimiam siccitatem, ingentem ardorem, vehementem agitationem, ad vertiginem Cœlorum; sphæræ; ignis, &c. Quod communiter dicitur de Montibus, Alpis, Olympo, &c. Narratio fabulosa est; vel si vera est; patet esse ineptos habitationi propter aeris siccitatem. *Dices*. Si Paradisus non fuit in alto positus; tunc aquis diluuij perditus esset: nam excessit quindecim cubitis altissimos montes. *Respondet Scotus in 2. dist. 17. q. 2. §. si ista ratio, &c. l. B.* illam inundationem fuisse miraculosam, ac proindè non debuisse destruere Paradisum, qui immunis mansit, sicut in Iordane, & in Mare rubro.

*Seraphicus Bonauentura ait fuisse sub, vel non procul ab Aequinoctiali: nam ibi est summa temperies, ob æqualitatem dierum, & noctium.*

# PROPOSITIO QVARTA.


## *Nec ista opinio est admittenda.*

19 ITa Scotus cit. Probatur: quia illa regio ob viciniatem Zonæ, &c. solis ardore, vehemtener infestatur, & in hyeme est proximior ibi Sol, quàm nobis in sũma æstate: minùs aptus est locus ille humanæ habitationi; licèt ibi videatur, & inuenta sit habitatio, vt in Aethiopia, &c.

*Nonnullis placuit*, Paradisum esse, vel fuisse in his regionibus, quas Tigris, & Euphrates prælabuntur, non longè à Mesopotamia. *Scotus disertè ait*, Paradisum Terrestrem esse conuenientissimum locum humanæ habitationi, ex parte sua, nimis idoneum ad præseruandum à corruptione. Patet: quia debebat esse voluptuosus cum aere temperatissimo, dulci, & suaui; nec extremè calidus, nec frigidus; nec summè humidus, nec siccus; quæ sunt qualitates primæ, quæ contemperatæ faciunt optimum temperamentum; non potuit ergo esse sub æquinoctiali; imò ille locus adeò, conseruatiuus, & nutritiuus est, vt Scotus dixerit, Enoch, & Eliam, non miraculosè, sed naturaliter ibi viuere vsque in finem Mundi: si enim Adam, & Mathusalem extra Paradisum potuerunt tandiù viuere naturaliter; cur illi non in Paradiso?

## De Quantitate, Latitudine, & Longitudine Paradisi.

20 ALiquibus placuit asserere, esse magnum, & amplissimum locum: tùm ex parte fluuij, qui eum irrigabat, quem maximum, & altissimum declarant quatuor flumina, quæ indè scaturiunt: tùm quia, si Adam non peccasset, debebat esse domicilium omnium hominum illius status: ergo propter tantã multitudinem, debebat esse amplissimus. *Tostatus* eum valdè angustat, neque longitudinem fuisse plus duodecim milliariũ, & ambitum, triginta sex: quia non debebant ibi manere, nisi qui nascebantur electi, qui sunt paucissimi: non enim erat locus Bestiarum ad fœcundãdam terram, quæ erat fertilissima. *Quidam Ioannes Anglicus* dicit, habere amplitudinem trium Insularum Angliæ, Siciliæ, & Sardiniæ.



PRO-

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Cùm res sit omninò incerta; mihi credibile est, Paradisum, non fuisse locum, ita patentem, & spatiosum.*

21 NAm appellatur hortus in Sacra Scriptura, & collocatum dicitur in regione Edom ad plagam eius Orientalem, eiusque in medio fuisse lignum vitæ, & scientiæ boni, & mali; nec tam angustum, sicut censet Tostatus; sed esse tantæ capacitatis, quanta erat necessaria pro habitatione hominum illius status, qui reuera fuissent multi, & certè longa vita vixissent. Sed non est credẽdum, semper omnes in illo Paradiso habitaturos, vt remanens amplitudo Terræ, remansisset inhabitabilis; frustrà enim dedisset Deus homini dominium super vniuersam Terram, quàm nunquàm habitasset, vel perlustrasset; imò magnam imperfectionem afferret homini, qui scientiam rerum, & regionum totius mundi non habuisset.

22 *Nota*, quid dicendum sit, quare Paradisum tàm magnificum condidit Deus, qui non debebat esse humano vsui, nisi per breuissimum tempus? *Varij* varias excogitarunt rationes. Bona est hæc: quia Deus non gubernat, & disponit secundùm præscientiã, sed secundùm exigentiam naturæ, & status; & quia status Adæ erat perfectissimus, quando fuit sinè peccato: ideò debebatur sibi locus correspondens secundùm exigentiam, sic à Deo dispositus, & ordinatus, quantumuis ergo Deus præsciuerit, Adã peccaturum, & eo loco priuandum; voluit tamen per illud breuissimum tempus, quòd illic permaneret; & raperetur hinc ad contemplandum, quòd, si in terris erat aliquid corporeum, tam aspectabile, & tam iucundum; multò fortiùs in Cœlis Paradisum esse iucundiorem, & pulchriorem. Hinc sunt duo dubia.

## DVBIVM PRIMVM.

### *Cur Paradisus iste nullo tempore ab aliquo fuit inuentus?*

23 ASsignant aliqui rationem: quia est extra nostram terram habitabilem,& vltrà amplissimum,& mortalibus innauigabile Oceanum. *Alij dicunt*, esse inaccessum, propter eius altitudinem, vtpotè, qui Lunarem orbem tangit. Res iucunda, nè dicam fabulosa. *Dicunt Alij*. Paradisum esse inaccessum, & inaccessibilem, tribus de causis. Primò, propter altissimos, & insuperabiles montes, qui illum circumdant. Secundò, propter interpositas solitudines, ferocissimis, & venenosis bestijs refertas. Tertiò, quia circùm circà, loca sunt quædam, exhalentia spiritum quemdam exitialem, non solùm hominibus, sed superuolantibus auibus lethalem.

*Chrysostomus dicit*: ante Diluuium, notam esse Paradisi viam; sed inaccessam propter illam terribilem Cherubini custodiā; post verò Diluuium illa indicia, seù viæ, aquis sunt deletæ; hinc tota via restat occultata.

*Sed in rei veritate* credo, Paradisum Terrestrem, sua natura esse accessibilem: si enim sua natura inaccessibilis esset; ad quid arcere hominem ab eius introitu, & adhibere sic munitam custodiam? Sed cur non quæsitus, vel repertus? A quibus? Si ab infidelibus? nequaquàm: quia omnia ista, dicunt esse fabulosa; quia Sacras Scripturas peruertunt; si à fidelibus? nec etiam: nàm ex fide habent, tale iter esse hominibus interclusum, & Paradisi locum adiri non posse.

## DVBIVM SECVNDVM.

### *An Paradisus Terrestris modò extet?*

24 BEnedictus Peretius ait, hoc nō esse dogma fidei; sed de numero esse earum rerū, quæ in contrarias partes, salua fide Catholica, agitari, & tractari posсūt. Existimat proindè, Pa-

Paradisum illum terrestrem generali diluuio destructum, & hoc tempore nullũ esse. Vt hoc probet, supponit, quòd Paradisus terrestris erat circa Mesopotamiam, vel Armeniam. Primò ex nomine Edom. Secũdò ex loco, vbi requieuit Arca super montes Armeniæ. Tertiò, ex Fluminibus, Tigris, & Euphratis. His suppositis, *ita argumentatur*. Terrestris Paradisus erat circa Armeniam, vel Mesopotamiam: sed in his locis, quæ, & fuere olìm, hodiequè sunt, non modò comperta, & nota; sed etiam à varijs gentibus culta, & habitata, nusquàm inuenitur Paradisus; relinquitur ergo, nullum esse nunc paradisum, sed illum fuisse è medio sublatum.

*Fauet alia ratio*. Tempore Diluuij, aqua quindecim cubitis excessit omnes montes: sed Paradisus erat in terra hac nostra habitabili: ergo à Diluuio fuit dissipatus. Probat etiam authoritate Ruperti, & Gregorij, soluitquè omnes authoritates in contrarium; præcisè de Enoch, & Elia, de quibus dicit, non fuisse translatos in hunc Paradisum, sed in locum aliquem iucundum, atquè amœnum, quem ex vi vocabuli significat Paradisus. Probabile est de Enoch ante Diluuium fuisse ibi, & nè obrueretur ab aquis, postea potuisse Enoch sublatum in aeris ora, Diluuij aquas superiore, conseruari à Deo, & ab illo exitio liberari.

## PROPOSITIO SEXTA.

*Hæc sententia probabilis est, tamen quia Scotus supponit modò extare, & ibi Enoch, & Eliam non miraculosè, sed naturaliter viuere; mihi dicendum est oppositum.*

25 Ad rationem autem supradicti Authoris potest dici, quòd non est notum, omnes illas regiones Armeniæ, & Mesopotamiæ cultas esse, & compertas; cùm etiã à longè videatur Arca; nec patet accessus propter aquas, & præcipitia; quis scit, an inter media loca ista sit Paradisus? *Imò duo* alia flumina, Geon, & Ganges etiam ex Paradiso exeunt, & tamen non sunt in Armenia, vel Mesosopotamia: quis scit, an nomina regionum mutata sint, & præter Armeniam, & Mesopota-

ta.

tamiam, quæ nunc sunt, sint aliæ huius nominis, nobis ignotæ? *Ad aliud de aquis* iam dictum est n. 18. fuisse miraculum, nè inundarent locum Paradisi; quia ibi nihil erat purgandum. *Ad Gregorium, & Rupertum dicimus,* opponendo Augustinum, Hieronymum, Ireneum, Iustinum, &c. *Dicimus etiam*, quòd Rupertus non negat, Paradisum extare: sed quod Enoch, & Elias sint ibi translati; & de hoc nos non curamus.

## De Facultate, & Dominio Hominis in statu Innocentiæ.

26 Moneo, quod triplici modo potest agitari quæstio de hominis dominio in statu innocentiæ; scilicet respectù animalium, respectù hominum, & respectù sui.


*Quantùm* ad primum dominium ex Sacra Scriptura satis est notum, illud habuisse: statim enim post hominis creationem, dixit ei Deus, vt præesset piscibus maris; & volatilibus cœli. Valdè notandum est, quòd primo loco posuit pisces, videlicèt, quod isti omnium animalium minimè dociles, minimque humani imperij capaces, & nostræ disciplinæ participes esse videntur; quod si eis præest homo, quantò magis cæteris animalibus dominari, credendum est. *Hinc* non laudatur sententia *Theodoreti* asserentis, Cetos, & Balænas, pisces magnos, propter homines non esse factos; ac proindè ab hominis dominio prorsùs immunes: nam causa, propter quã dicitur homo præesse animantibus, est prudentia, & mentis ratio, quam non habet minùs respectù aliorum piscium, quàm Cetorum, & Balænarum; & quamùis hoc non posuerit expresse Moyses; implicitè tamen intellexit; sicut implicitè de cæteris bestijs terræ locutus est. Et *Iacobi* 3. *nu.* 7. expresse habetur: *omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentum, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana.*

27 Scitum etiam suppono, quòd duplex est dominium, seù potestas; vna in actu primo, quæ vocatur ius dominij, & potestatis; alia in actu secundo, quæ vocatur executio, seù vsus dominij. De iure dominij non est dubitandum, quin in statu innocentiæ non præfulserit homo ex mille locis Scripturæ: non enim alia ratione cunctos animantes; ad Adamum adduxit pro impositione nominis; nisi quia exprimere volebat ius dominij, & potestatis, quod super eas sibi dede-

dederat; eò vel maximè, quia rectitudo ordinis naturalis, & ratio Diuinæ Prouidentiæ id postulat: vt, quæ imperfectiora sunt, perfectioribus subijciantur, & inferiora per superiora regentur.

*Hæc potestas*, seù ius dominij, etiam post peccatum remansit in homine; nam sibi debetur propter rationalis naturæ excelentiam, quam non perdidit homo propter peccatum, quod non destruit, nec destruere valet naturalia dona. Patet: quia post diluuium dixit Deus Gen. 9. n. 2. *Terror vester, & tremor sit super cuncta animalia terræ, &c.* *Accedit*: quia, si per peccatum hoc iure dominij expoliatus fuisset homo, non liceret animalia capere, occidere, & ad libitum facere, quod velit.

*Tota difficultas est* de vsu, & executione huius potestatis, & imperij: & quidem ante peccatum, & in Beato illo statu plenissimus erat, & amplissimus huius dominationis vsus, minimeque laboriosus, aut difficilis: quia nec ex parte hominis vllum erat impedimentum, aut difficultas; nec vlla in animalibus repugnantia. *Patet*: nam omnes Sancti Patres dicunt in locum Genesis, ita subiecta fuisse animalia homini in illo statu, sicut pars sensitiua inferior intellectiuæ: sed tunc ratio plenissimè dominabatur sensibus, & effectibus, ita, vt sinè molestia, eos retraxisset à suo delectabili obiecto: ergo similiter animalia sub perfecto dominio sibi subdebantur. Signum huius dominij visum est quandoquè in Sanctis, vt Daniel imperauit Leonibus, Elisæus Vrsis, Seraphicus Pater Franciscus, & Antonius noster piscibus, auibus, &c. *Verùm* hoc interest inter statum hominis ante, & post peccatum, quòd hæc animalium obedientia in illo statu fuisset perfecta, & ordinaria sinè vllo miraculo; post peccatum extraordinaria est ad breue, & particulare tempus, non sinè miraculo, & respectù quorumdam sanctorum virorum. Hinc est,



# DVBIVM PRIMVM.

## *Quomodò Animalia erant humani imperij capacia in illo statu, & sibi obediebant, etiam ferocissima.*

29 Ratio dubij fundatur in, in eo, quod in illo statu non erant animalia ratione prædita, vt intelligerent,& quid imperasset homo, & quomodò mãdata eius exequerentur. Certè animalia erant, sicut modò substantialiter sunt in suo esse, siue ferocia, siue mansueta sint. Sed ex duplici capite prouenire poterat huiusmodi animalium obedientia:

*Primò* ex solertia, sagacitate, industria, & prudentia humana, quam tunc habebat homo perfectissimam, & cognoscere poterat ingenia cuiuscumque animalis, & percaluisset omnes vires, & rationes, quibus animalia, etiam ferocissima, atque sæuissima mitigari, domari, & sub potestate eius subijci possent. Et hac ratione homo in illo statu potuisset, imò, & de facto, perfectè imperasset cunctis animantibus.

30 *Hinc curiosè* obseruandum est, quòd quatuor modis effici posset, vt animal, quantumuis sæuum, & tumulentum, mansuefiat, & sub potestate,& dominio hominis redigatur. *Primò* per arcanos quosdam modos, qui certis verbis,& carminibus constant, vt sunt incantationes, verbi gratia. *Secundò* per commutationem Regionis, & consueti victus variationem: si enim Leones in partes frigidas transferantur, & cibis mollioribus vtantur, paulatìm leonina ferocia remittitur. *Tertiò* per consuetudinem eorum, qui animalia ferocia curant, alunt, & benignè tractant. *Quartò* arte, industria, & consuetudine non solùm parent hominibus: sed etiã eorum verba, & nutus, & morem gerunt: quia in parte sensitiua potest habitus generari ex frequenti actuum exercitio.

31 *Secundò*, & ratio, qua possumus accipere hanc animalium promptam obedientiam in statu innocentiæ, tota sumitur, & pendet ex singulari quadam ergà hominum in illo statu prouidentia, & cura, qua factùm est, vt non solùm ei non nocerent, quinimò obedientiam præstarent ad nutum. *Dixerunt aliqui*, huiusmodi singularem prouiden-

dentiam exerceri per Angelos, quorum ministerio fiebat, vt humano imperio cuncta animalia sinè impedimento, difficultate, & repugnantia subessent. *Veriùs mihi videtur*, quòd immediatè animalia parebant, quia Deus speciali illo fauore faciebat, vt animalia non apprehenderent, tamquam eorum inimicum, hominem, sed amicum, & benefactorem, vt modò est de Cane, &c. Cæterùm, post Adæ peccatum, huiusmodi hominis imperium, quantùm ad eius vsum, & executionem, licèt minimè sit totaliter extrinctum, tamen maiorem in partem diminutũ, & angustiatum est: licèt enim imperet aliquibus animalibus, tamen cum labore, & difficultate imperat.

## DVBIVM SECVNDVM.

### *An in Innocentiæ statu Homo Homini imperasset?*

## PROPOSITIO VNICA.

### *In illo statu fuisset hominum quorumdam in alios homines imperium.*

32 PRobatur. Nàm cùm homo naturaliter appetat societatem, gaudeatquè de humano comite, & societate; & cùm certum sit, tunc homines multiplicatos non in solitudine stetisse, sed congregatos, & consociatos; nè aliqua perturbatio, & confusio fuisset in tanta hominum multitudine; necesse erat aliquis ordo superiorum, & inferiorum, regentium, & rectorum, imperantium, & mandata exequentium; & sic consentaneum erat, vt illi præessent, & imperarent istis. Itẽ, in Angelis adest huiusmodi ordo Hyerarchius, vt alij inferiores, & alij superiores sint; hi mandantes, & illi exequentes; ergo similiter in statu innocentiæ inter homines, negari non potest, Patres in eo statu filijs debuisse imperare, & maritos vxoribus.

33 *Quæ contra* nostram propositionem militant, ista sunt. *Primò*: nàm loquens Deus de hominis imperio, solùm ad animalia restrinxit: ergo non debet dilatari, & extendi. *Accedit*; quia ea ratione homo cæteris animantibus imperat, quia rationalis, & ad

ad Dei imaginem factus est; sed hoc est æquale omnibus hominibus: ergo nulla ratio est; cur homo homini imperasset. *Item*. Subijci aliorum imperio, & ex alieno iudicio, & voluntate pendere, cùm sit contrà liberam hominis inclinationem, nō potest esse, quin sit inuoluntarium, violentum, acerbum, & odiosum; at hoc procùl fuisset ab eo fœlicissimo statu: ergo. *Tandem*: Seruitus nata videtur ex peccato: post enim peccatum Deus dixit Euæ *Gen. 3. n. 6. sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.*

34 *Vt solidiùs*, & clariùs occurramus propositis contra nostram propositionem. Moneo: quòd duplex est dominium, dispoticum, & politicum; seù vnum seruile, & aliud ciuile. *Primum est* respectù Dominorum in seruos, & vtique est coactum, violentum, inuoluntarium, & acerbum. *Secundum est* Patrum in filios, & voluntarium, atque iucundum est; quia ad propriam vtilitatem, & bonum, sponte electum, & assumptum est. *Primum* totum planè refertur ad bonum, & emolumentum dominantis: quapropter non potest non esse onerosum, & odiosum subditis: contra enim voluntatem, & inclinationem est, laborare, & non in suam, sed in alterius vtilitatem cedere. *Secundum* imperium non refertur ad bonum dominantis, sed subditorum, & ad bonum publicum, & commune. In illo igitur statu vni præfuissent alijs non præfectura seruili, sed ciuili, quæ nihil violenti, inuoluntarij, & acerbi mixtum habuisset, eo modo, quo iusti dicuntur dominari apud Augustinum. Non enim iusti dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi; nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia; hoc naturalis ordo præscribit; ita Deus hominem condidit.

35 *Nunc ad impugnationes*. Ad primam respondetur, scripturam non dixisse, *dominamini hominibus*, quia hoc non est vniuersale omnibus, sed aliquibus sapientibus, & prudentibus; sed respectù animalium erat homo vniuersalis imperator, eò quod Dei imago. *Eadem doctrina occurritur ad secundum*. Tale dominium non competit homini: quia homo est ad Dei imaginem; sed propter eius prudentiam, & excellentiam in gubernando. Cætera soluuntur, obseruata distinctione duplicis dominij præmissa.

*Dices*: cur ergo in pœnam datum est mulieri esse subiectam viro, si stante innocentiæ statu, etiam subijceretur illi? *Respondetur*, quòd tunc propter integritatem naturæ, talis subiectio fuisset sibi iucūda, & suauis: quia maritus non imperasset, nisi bona delectabilia, ad quæ exequenda naturaliter inclinabatur.

Mo-

Modò est molesta, & onerosa: quia non semper mariti bona imperant; & si imperant, cum tristitia, & dolore fiunt propter resistentiam appetitus sensitiui, qui ad bona commoda inclinatur.

36 *De tertio dominio* hominis respectû sui in statu innocentiæ, multæ tractantur quæstiones; & præcipuè, an ita subderetur sibi appetitus sensitiuus, vt absque difficultate, & tristitia potuisset illum retrahere à suo proprio delectabili, nè immoderatè condelectaretur? Et certè donum originalis iustitiæ, quo decoratus erat homo in illo statu, hoc habebat pro adæquato effectu, scilicet, internum bellum partis sensitiuæ aduersùs rationalem, tranquillare, ita quòd non erat sibi nec arduum, nec difficile virtuosè viuere, & diuinas leges implere: nam hæc iustitia faciebat, vt vires inferiores perfectè subderentur rationi, & per subiectionem ipsius rationis, Deo. *Probatur*. Nam in primo homine erat huiusmodi perfecta trãquillitas per illud supernaturale donum sibi exhibitum, quod reddebat Deũ delectabiliorem quocũque obiecto sensibili creato; & sic partem superiorem perfectè Deo subijciebat; sicut, & potentia inferior perfectè rationi subijciebatur per idem donum, nè immoderatè condelectaretur suo proprio delectabili, & retrahebatur sinè tristitia; & hoc totũ beneficio iustitiæ originalis. Et hæc de facultate, & dominio hominis, &c.

# DE IVSTITIA ORIGINALI

## PROPOSITIO PAIMA.

### *Protoparentes iustitia originali, ante eorum lapsum, condecorati fuerunt.*

37 ITa *Scotus in 2. dist. 32. q. vnica, §. ad argumenta 4. quæstionis*, vbi docet, quòd status innocentiæ minimè fuisset perfectus sinè interuentu gratiæ sãctificantis, &c. *Fauet ratio*: quia gratia sanctificans est radix meriti de condigno: per illam homo fit filius Dei adoptiuus, particeps Diuinæ naturæ, & habet ius ad æternam fœlicitatem; cùm ergo omnia ista sint sanctificantis gratiæ effectus; irrationabiliter diceretur Protoparens

rens eadem nudatus in innocentiæ statu. *Adde ex eodem Scoto in 2. dist. 29. in responsione ad quartum*, quòd,etsi homo beneficio originalis iustitiæ coniungeretur Deo, minimè tamen illi vniebatur sub illa ratione, qua erat vltimus finis supernaturalis,& per actum meritorium attingibilis;conueniebat ergo iustitia originalis illi bono, vt cõuenienti, & delectabili. Nè ergo coniunctione ad Deum finem supernaturalem, & per actum meritorium attingibilem, priuetur Protoparens; concludendum, illum ante lapsum gratia sanctificante condecoratum fuisse.

*Vltimam*, & firmam probationem nostræ propositionis accipite ex *Tridentino sess.5. de peccato,Canone 2. & 3.* docente:hominem, iustitiam, & sanctitatem, in qua constitutus fuerat, amisisse per peccatum. Nomine iustitiæ ex cõmuni voto scribentium intelligitur iustitia originalis; & per sanctitatem,gratia sanctificans: ergo Tridentinum dat suum votum in fauorem nostræ propositionis.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Protoparentes creatos esse in gratia sanctificante, est valdè probabile.*

38 Scotus loquens de Angelis in 2.dist.5.q.1.§.ad inquirendum, &c. rem reliquit indecisam. Nostræ tamen propositioni subscribunt *Sanctus Thomas 1.p. q. 95. art. 1. Caietanus ibidem, Molina de opere sex dierũ, disp.23. conclusione 8. Valentia 1. p. disp.7.q.3. puncto 2. Bellarminus tom.3.lib.de gratia primi hominis cap. 3. Pererius tomo 1. in Genesim lib. 5. disp. de secunda excellentia status innocentiæ q. 1.* fauet nobis magnus *Pater Augustinus tom 3. in Encheridion cap.104.* ita docens: *Deus primum hominem in ea salute, in qua conditus erat, custodire voluisset.* Hic ponderandum, quòd salus ista, de qua sermonem habet Augustinus, haud dubiè est sanctitas spiritualis, & consequenter gratia sanctificans.

*Ratione* probamus nostram propositionem ex perfectione operum diuinorum, Decebat enim sapientissimum artificem, qui in creatione hominis voluit, quasi summum, & Epilogum suorum operum, in lucem edere, non creare illum absque perfectione naturali,& supernaturali

turali propria huius status; vnde, cùm cætera forent valdè bona, cõsentaneum erat, hominem ipsum non carere præcipua bonitate, scilicet, gratia, igitur.

39 *Sit altera probatio* desumpta ex paritate de creatione Angelorum, quos in proprio Tractatu statui, creatos fuisse in gratia sanctificante: ergo idem dicendum de Protoparentibus; eò vel maximè, quòd argumenta, quæ adducuntur cõtrà nostram propositionem, pari passu currunt contra assertionem de creatione Angelorum in gratia.

*Pater Valentia* conatur nostrã improbare propositionem ex *Tridentino sess.* 5. & dicit: hæc esse verba Tridentini: *Si quis non cõfitetur, primũ hominem Adam cùm mandatum Dei in Paradiso fuisset trãsgressus, statim sanctitatẽ, & iustitiam, in qua creatus fuit, amisisse, &c. Anathema sit.* Certè Pater Valẽtia non vidit Tridentinum: nam in Canone illo non habentur illa verba, *in qua creatus fuit*, quinimò ibi legitur, *in qua constitutus fuerat*, quæ verba solùm significant, Adamum constitutum fuisse à Deo in gratia, antequàm peccaret.

*Alia ergo ratio* pro nostra propositione accipi potest ex Sacra Scriptura *Gen.* 1. *n.* 26. ex illis verbis: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Origines enim, Sanctus Basilius, Sanctus Ambrosius, Sãctus Nissenus, Theodoretus, Rupertus, Sanctus Thomas, Magister, & alij, quos *Pererius refert lib.* 4. *ad prædicta verba*, magnum discrimen notarunt inter imaginem, & similitudinem: nimirùm, hominem dici factũ ad imaginem Dei propter dona naturalia; ad similitudinem verò propter supernaturalia, scilicet, sanctitatem, & iustitiam. Sentiunt ergo in prædicto loco Genesios haberi, primos parẽtes in sui creatione, sanctitatem, seù gratiam, accepisse.

40 *Quæ contra nostram* pugnant propositionem, sunt ista. *Primò*: quia naturalia sunt priora supernaturalibus: ergo priùs condi debuit natura humana, & postea infundi gratia. *Secundò*: quia oportebat ab homine diluсidiùs cognosci, gratiam esse donum gratuitum, & non debitum; hoc autem non aliter meliùs dignosceret, quàm si priùs naturam solam, deindè gratiam accepisset, ergo. *Tertiò*: quia magis distat natura à gratia, quàm hæc à gloria; sed homo priùs accepit gratiã, quàm gloriã: ergo & priùs habuit naturã, quàm gratiam. *Quartò*: quia decebat, primos Parentes non insigniri gratia, nisi liberè se disponerent ad illius infusionem: ergo priùs se disposuerunt, nimirùm in prima sui creatione; deindè verò gratiam acceperũt in tempore posteriori.

41 *Ad omnia* per ordinem respõdemus. *Ad primum*, putamus, suffi-

sufficere prioritatem naturæ inter naturam, & gratiam: hæc autem in eodem temporis puncto compatitur naturæ, & gratiæ simultatem, sicut in Angelis. *Ad secundum* dicimus, mentem Adami, & Euæ fuisse in prima cōditione diuinitùs illustratam, vt cognoscerent, gratiam non esse naturæ debitam, sed liberali dono infusam à Deo. *Ad tertium*, concessis maiori, & minori, negatur consequentia: quia gloria non conceditur in hac vita, sed reseruatur in futuro; gratia verò nunc infundi debet, vt sit principium merendi gloriam,& ideò gloria non confertur simul cum gratia: hæc verò benè potest infundi, cùm primò conditur natura, vt ab initio incipiat mereri finem, propter quem condita est; sicut Angeli meruerunt gloriam in ipso puncto creationis. *Ad quartum* breuiter dicimus, potuisse primos Parentes in eodem instanti, in quo gratiam receperunt, se disponere ad illius infusionem: quippè in vno instanti temporis admittunt Philosophi plura instantia naturæ.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Iustitia originalis in primis Parentibus fuit donum supernaturale per modum qualitatis permanentis, additum Naturæ.*

41 SVpponit propositio ista, iustitiam originalem realiter distingui à gratia sanctificante, vt docet *Scotus in 2. dist. 29. in responsione ad quartum*, notans, gratiam sanctificantem excessisse iustitiam originalem: quippè gratia sanctificans coniungebat fini; vt bono supernaturali,& per meritum attingendum supernaturaliter; non sic iustitia originalis, à qua solùm præstabatur coniunctio illi bono, vt conuenienti, & delectabili: idem habet subtilis Doctor *in 2. dist. 32. ad argumentum quartæ quæstionis* ponens, potuisse esse iustitiam originalem sinè gratia sanctificante.

*Fauet ratio*: quia de facto sanctificans gratia minimè eam ponit in potentijs trāquillitatem, quæ in innocentiæ statu præstabatur ab originali iustitia. *Nec satisfacit Scotus* dicens, in statu innocentiæ, gratiam fuisse intensiorem; hinc eam præstasse tunc tranquillitatem in potentijs, quam de facto minimè ponit. *Contrà*: quia gratia sanctificans, quantumcunque intensa, minimè eam de facto largitur tran-

tranquillitatem, qua erat condecoratus status innocentiæ.

43 *Moneo item primò*, quòd actus supernaturalis sic dicitur, prout secernitur à naturali. Naturalis autem, *vt docet Scotus in 17. quolibetali articulo* 1. duplex est; alter, qui indè dicitur naturalis: quia est conformis inclinationi naturali; & sic actus, quo mens diligit se, vel sibi commodùm appetit, secũdum Scotum, actus naturalis dicitur, in quantùm scilicet inclinationi naturali cõformatur. Alter verò dicitur naturalis: quia voluntas, seù alia potentia cum communi, seù generali concursu Dei, producere potest: & hoc, siue actus talis cõformetur, vel non conformetur inclinationi naturali. Et hoc modò sumitur actus naturalis, à quo actus supernaturalis secernitur, adeò vt, si actus naturalis, hoc modo sumptus, est, qui ab homine cum solo Dei generali concursu poni potest, actus supernaturalis è contra, de quo agimus, est ille, qui cum solo generali concursu, humanæ naturæ viribus, fieri non potest; & sic credere, sperare, ac pœnitere, sicut oportet, vt nobis iustificationis gratia cõferatur, actus dicitur supernaturalis, vt Sacrũ Concilium Tridentinum *sess. 6. de Iustificatione, Canone* 1. 2. 3 & ante ipsum *Concilia Mileuit. c.* 5. *Aph. c.* 8. *& c. vl. de consensu dis.* 4. *inf. can.* 4. definierunt: quia ad vtramque productionem vires naturales minimè sufficiũt, quinimò speciale auxilium desideratur.

44 *Moneo secundò*, quòd aliquod dicitur supernaturale dupliciter; quoad substantiam scilicet, seù absolutam entitatem suam, & quoad modum. Illud dicitur supernaturale quoad substantiam, quod ratione suæ essentialis differentiæ in tali rerum ordine collocatur, vt ab vlla virtute creata naturalibus viribus effici possit. Illud verò appellatur supernaturale quantùm ad modum, quod, etsi quantùm ad absolutam entitatem vires naturales non excedat; excedit tamen quantùm ad aliquem modum, essentiam eius consequentem. *Quis autem sit ille modus?* In eo minimè est Theologorum communis consensus. Aliquibus enim placet, consistere quoad fieri; quia scilicet fit modo supernaturali, seù ab alia causa, quàm à naturali, seù non seruato ordine naturalium causarũ; sicut est oculus restitutus cœco miraculosè, & homo resuscitatus. Alijs placet, consistere in facto esse; quia videlicèt naturali entitati actus additur modus quidam, qui non possit, nisi supernaturaliter fieri, vt est intensio quædam, vel ratio meriti ad consequendam vitam æternam.

45 *Moneo tertiò*: aliquid dici supernaturale, quoad substantiam dupliciter. *Primò*: quia eius en-

titas talis cōditionis est, vt nullo modo ad eius productionem virtus aliqua creata concurrere possit; & sic lumen gloriæ, habitus Fidei, Spei, & Charitatis, entia supernaturalia quoad substantiam dicuntur: hi enim habitus totaliter, & immediatè à Deo pendent adeò, vt neque homo, neque Angelus simul cum Deo physicam eius productionem attingere possit. *Alio modo* aliquid dicitur supernaturale quoad substantiam; quia eius substantia vires naturales excedit nimis; non tamen hoc modo, vt nullam efficientiam, neque partialem, neque totalem, ad ipsum habere possint; sed solùm: quia à viribus naturalibus præcisè effici non potest.

46 *Tandem moneo quartò*, quòd supernaturale posteriori modo dictum subdiuidi potest: etenim auxilium Diuinum necessarium esse, dicitur, ad hoc, vt producatur eius substantia: quia illa secundùm se specificè sumpta excedit secundùm naturam suam vires naturales. Alio modo auxilium, dicitur, esse necessarium: quia, estò actus substantiæ secūdùm specificam rationem spectatæ, vires naturales non excedat, excedit tamen, si spectetur secundùm particularem rationem in indiuiduo; & hoc potest esse propter maximam intensionem graduum, qui in ipsa reperiuntur. Priori modo quidam Recentiores existimāt, actus dici supernaturales quoad substantiam; posteriori verò modo, dicunt, appellari supernaturales quantùm ad modum.

47 *Noto etiam*, iustitiam originalem esse donum: quippè à Deo gratiosè communicatur. *Nec dicas*, innocentiæ statum de per se dicere tranquillitatem potentiarū; & consequenter, cùm ea trāquillitas haberi nequeat sinè originali iustitia, cōcludi debet, innocentiæ statui fuisse debitam originalem iustitiam. *Respondemus enim*, iustitiam originalem fuisse debitam ex congruentia quadam, & moraliter; non verò expostulatam ab intrinseco conceptu naturæ. His declaratis, & suppositis.

48 *Probatur* nostra propositio. Illud est ens supernaturale quoad substantiam, quod naturæ, qua natura est, minimè debetur: & ab ipsa naturaliter non exigitur; nec à natura potest produci; talis est iustitia originalis: ergo illa est dicenda supernaturalis quoad substantiam. Minor ex eo patet, quòd nullus ex Philosophis docuit, originalem iustitiam exigi à natura.

*Dices*; casu, quo Protoparens in innocentiæ statu perseuerasset; nobis fuisset debita originalis iustitia: ergò saltem in ordine ad nos fuisset à natura exigita; & consequenter minimè collocata in linea supernaturalium. *Respōdemus* notando, duplicem esse exigentiam. Vna suam

suam trahit originem à principijs intrinsecis naturæ respiciẽtibus naturale complementum entis naturalis, stantis in sua sphæra. Altera datur exigentia fundata in moralitate, & ordinatione Diuina, nullo modo spectante ad seriem vniuersi, & ordinationem entium naturalium. Primam exigẽtiam agnoscunt Philosophi in corpore organico vltimatè disposito respectù animæ rationalis: Deus enim debet ex communi prouidentia spectante ad seriem vniuersi, & ad complementum naturalium entium, corpori vltimatè disposito animam rationalem, vndè, quamquàm hæc à tota natura nequeat produci; minimè tamen eam dixeris supernaturalem quoad substantiam. Altera exigentia respicit seriem superiorem ad ordinem naturalem, & fundatur in quadam prouidentia Diuina, & morali, qua Deus sic ordinat. Illa ergo exigentia minimè fundatur in principijs physicis naturæ. *Rem declaramus* in productione supernaturali charitatis, qua de lege ordinaria indiget homo ad supernaturaliter merendum: *Concludimus*, iustitiam originalem dicendam supernaturalem: tùm quia non expostulatur ex physicis principijs intrinsecis naturæ; nec tota natura ea est condecorata virtute naturali, qua valeat producere iustitiam originalem.

49 *Replicabis.* Originalis iustitia coniungebat vltimo fini in ordine naturali: ergo spectabat ad naturalem seriem vniuersi. *Respondemus*, iustitiam originalem fuisse homini datam, vt per illam res supernaturales redderẽtur dulciores, & delectabiliores rebus sensibilibus; quod munus, cùm præstari nequeat à dono naturali, sed ab iustitiæ originalis beneficio; dicendum est, iustitiam originalem, suam sedem habere propriam in linea supernaturalium.

50 *Vt clarior* tantæ rei natura appareat; notandum est, quòd naturale (æquiuoca vox cùm sit) sub multiplici consideratione cadere potest; rem restringo ad subsequẽtes notatos modos. *Primò* ergo sumitur pro omni illo, quod est naturæ consentaneum, ad quod natura dicit propentionem, vel ad perfectionem sibi conuenientem; hinc habitus Fedei, Spei, & Charitatis, licèt dona supernaturalia in se sint; tamen naturalia dici valent, quatenùs natura habet ad eos habitus propensionem naturalem, tamquàm ad perfectionem sibi cõuenientem. *Secundò* sumitur naturale pro principio contradistincto à principio gratuito, aut à forma eleuante hominem suprà ordinem naturæ; & hac in acceptione naturale dici potest omne illud, quod non est principium actus gratuiti. Hoc in sensu do-

cet *Scotus in 2.dist. 3.quæst.1.* speciem impressam Diuinæ naturæ, Angelis, & primis Parentibus in eorum creatione infusam, naturalem perfectionem, censeri debere.

*Tertiò* sumitur pro quacumque forma in natiuitate tradita. *Quartò* propriè sumitur pro quacũque parte naturæ, vel pro quacumque re à principijs naturalibus profluente, vel, vt clariùs dicam, sumitur in ista quarta acceptione pro illo, quod naturæ viribus attingi potest. *In præsenti* in dubium non vocamus. *Vtrùm* originalis iustitia sit donum naturale in illis tribus prioribus acceptionibus? Nam esse naturale secũdùm illas acceptiones, supponimus. Restringitur ergo difficultas: an originalis iustitia sit aliquid naturale in vltimo sensu; hoc est: an sit aliquid à principijs naturalibus profluens; & ad illam detur dispositio physica, & naturalis in natura? *Fuit nostra propositio*, iustitiam originalem, minimè esse exulandam à linea supernaturali: quippè natura tota non est in se satis ad illam producendam, nec ad illam datur in natura physica, & naturalis dispositio.

51 *Dices contra* à nobis stabilita, primò. Si iustitia originalis esset in linea supernaturalium, indè sequeretur, & concupiscentiam carnis connumerandam inter proprietates naturales naturæ humanæ: hoc non est dicendum: ergo contra veritatem sumus, dùm putamus, originalem iustitiam, sedem habere in linea supernaturalium. *Firmatur ratio*: dona supernaturalia indè dantur, vt per ea suppleatur defectus naturæ: sed iustitia originalis hac ratione non datur: ergo iustitia originalis non est supernaturalis. *Confirmatur discursus*: proprietas connaturalis naturæ est à Deo creãte naturam: sed concupiscentia carnis aduersùs spiritum, non fuit à Deo causata, ex testimonio *Ioannis in Epistola prima cap. 2.nu.16.* asserente, concupiscentiam non esse ex Patre, sed ex mundo ortam: ergo concupiscentia minimè est proprietas connaturalis naturæ, & consequenter iustitia originalis locũ non habebit in linea supernaturalium.

52 *Respondetur*, cõcupiscentiam carnis esse conditionem naturæ humanæ secundùm partem inferiorem, & sensitiuam. *Ad authoritatem Apostoli dicimus*, eum esse locutum non de concupiscentia in actu primo, & quatenùs est aptitudo, & potestas naturæ ad concupiscendum. Mens ergo Sancti Apostoli est, quòd concupiscentia in actu secundo, & quatenùs actualiter oppositionem facit spiritui, appetendo bonum delectabile sensibile contra affectionem iustitiæ, minimè esse à Deo, sed à peccato; quod

quod totum concedimus. Concupiscentia igitur in actu primo considerata, & prout est aptitudo, & potestas naturæ ad cõcupiscendum, est conditio naturalis naturæ, & concreata à Deo simul cum natura: concupiscentia verò in actu secundo, & prout naturaliter pugnat aduersùs spiritum, minimè est proprietas inseparabilis à natura, nec fit à Deo, sed à peccato: quia in pœnam peccati fuit ablata originalis iustitia, quæ erat obstaculum contrà concupiscentiam, eamquè impediebat, nè exiret in actum secundum, & actualiter pugnaret aduersùs spiritum.

53 *Replicabis.* Nullus defectus est à Deo; sed concupiscentia, etiã in actu primo, & quatenùs est potestas appetitus ad concupiscendum, est defectus naturæ: ergo concupiscentia, etiam in actu primo, non est à Deo, & proindè vt sic non erit proprietas naturalis naturæ humanæ. Maior patet: quippè Deus naturam quamlibet in sua specie perfectã fecit, iuxta illud *Geneseos c. 1. n. 31. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.*

*Respondetur distinguendo maiorem.* Nullus defectus naturæ, nõ exigitus ab ipsa natura intrinsecè, & necessariò requisitus pro sua conditione, est à Deo, concedo; nullus defectus exigitus ab ipsa intrinsecè, & ab eadem necessariò requisitus pro sua conditione, est à Deo; nego. Cùm enim ex rebus creatis aliæ sint alijs imperfectiores, imperfectio illa, qua sunt imperfectiores, est velut proprietas earum connaturaliter ab ipsis intrinsecè dimanans; cùm autem Deus creauerit rem quamlibet iuxta suæ naturæ exigentiam; & cum omnibus illis conditionibus, & proprietatibus, quas ex sua cõditione petit ab intrinseco: sequitur, Deum creasse defectum, aut imperfectionẽ exigitam ab ipsa natura: quia estò sit aliquo modo defectus; est tamen conueniens naturæ pro sua conditione. Vndè concupiscentia in actu primo, & prout est potestas naturæ ad concupiscendum, quamquàm aliquo modo sit defectus; tamen intrinsecè exigitur à natura humana secundùm partem inferiorem, & sensitiuã: quoniam secundùm hanc petit intrinsecè posse ferri in obiectũ delectabile; & ideò fuit à Deo concreata cum ipsa natura.

*Vel*, si placet, *dic*: quòd concupiscentia in actu primo non sit absolutè defectus, aut imperfectio, sed potiùs est perfectio naturæ humanæ quoad partem sensitiuam: quia concupiscentia in actu primo, aliud nõ est, quàm aptitudo, aut potestas naturæ ad possidẽdum suum obiectum; hoc autem videtur potiùs perfectiò, quàm imperfectio, aut defectus. ergo

54 *Replicabis.* Concupiscentia est pœna peccati: ergo minimè

est

est proprietas, aut naturalis cōditio naturæ humanæ. *Respondetur*, distinguendo antecedens. Concupiscentia in actu secundo, & actualiter pugnans contrà spiritum, est pœna peccati; concedo antecedens; concupiscentia in actu primo; nego antecedens: concupiscentia namque, vt est facultas naturæ, aut aptitudo ad concupiscendum, per iustitiam originalem fuit impedita, nè exiret in actum secundum, seù nè actualiter se opponeret spiritui, sumeretquè arma contrà affectionem iustitiæ; cùm igitur iustitia originalis fuerit ablata in pœnam peccati, sequitur, quòd cōcupiscentia in actu secundo, seù quando actualiter pugnat contra spiritum, sit pœna peccati.

55 *Dices secundò*. Omne donum supernaturale constituit hominem extrà ordinem naturalem, & eum ponit in quodam esse supernaturali, vt patet de gratia, Spe, Fide, & Charitate: sed iustitia originalis non constituit hominem supra òrdinem naturæ: ergo non est in linea supernaturalium. *Concessa maiori*, negatur minor: nam licèt iustitia originalis nō cōstituat hominē intra ordinem gratiæ gratum facientis; illum tamen constituit in esse quodam supernaturali, cùm ipsa sit forma supernaturalis, sicut fides, verbi gratia: & quamuis seipsa, seclusa Charitate, nequeat constituere hominem in ordine gratiæ gratum facientis; ipsum tamen constituit in quodam esse supernaturali.

56 *Replicabis*: omne bonum supernaturale est à Deo, vt authore gratiæ: sed iustitia originalis non fuit à Deo infusa, vt ab authore gratiæ: ergo iustitia originalis minimè est donum supernaturale. *Respondetur*, præmissa distinctione maioris: omne bonum supernaturale infunditur à Deo, vt authore gratiæ, strictè, vel largo modo sumpto; concedo maiorem; omne donum supernaturale infunditur à Deo, vt authore gratiæ, stricto modo sumpto; nego.

*Ad pleniorem intelligentiam*: Notandum, quòd sicut gratia dupliciter sumitur; primò strictè pro gratia gratum faciente; secundò pro quocumque effectu gratis dato. Ita author gratiæ potest sumi dupliciter. Primò pro authore gratiæ gratum facientis; in qua acceptione dicitur author gratiæ strictè. Secundò, largo modo pro authore gratiæ, hoc est effectus gratuitus. *Ad rem nostram*. Omne donum supernaturale infunditur à Deo, & authore gratiæ in aliqua ex notatis acceptionibus; non tamen est necessarium, quòd omne donum supernaturale infundatur ab ipso specialiter, vt authore gratiæ gratum facientis. *Hinc habetur* responsio ad argumentum.

57 *Dices*

57 *Dices tertiò.* Quod potest produci solis naturæ viribus, non habet locum in linea supernaturalium: sed iustitia originalis potest produci naturæ viribus: ergo ista procul abest à linea supernaturalium. Minor probatur; ponens tranquillitatem, & pacem inter potentias inferiores, & superiores, est iustitia originalis: at solis naturæ viribus est potens homo producere formam ponẽtem tranquillitatem inter illas potentias: ergo potest homo producere iustitiam originalem. *Declaratur ratio.* Homo condecoratus iustitia originali valet quamplurimos producere actus subiectionis potentiarum inferiorum ad potentiam superiorem: ergo ille habitus, tametsi à natura sit productus, inclinabit ad consimiles actus subiectionis, ac proindè præstabit effectus iustitiæ originalis. Res posset exemplificari in nonnullis Philosophis, de quibus legitur tales acquisiuisse habitus virtuosos, vt omninò essent facilitati ad benè operandum moraliter, & paterentur difficultatem operando difformiter ad rectum dictamen.

*Concedimus*, per actus virtuosos acquiri habitum ad virtuosè operandum inclinantem; negamus tamen præstare effectum iustitiæ originalis: huius námque proprium est reddere spiritualia, & supernaturalia, dulciora, & delectabiliora sensibilibus, & conducere ad opus maxima cum suauitate, & dulcedine operantis. Operans medio habitu acquisito, aliqualem etiam patitur difficultatem; hinc minimè collocandus in linea, in qua iustitia originalis. Vt res clarior appareat; sit.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Declaratur iustitiæ originalis effectus adæquatus.*


58 MOneo, hominem constare ex duabus partibus diuersæ rationis, quarum vna sensitiua dicitur, altera rationalis. Vi primæ, est homo propensus in bonum sensibile, immoderatè, illud appetendo, etiam repugnante ratione. Vi partis rationalis, est propensus homo ad bonum spirituale, & supernaturale; hinc grandis illa pugna inter sensum, & rationem, spiritum, & carnem. Vndè *Paulus decantabat c. 7. ad Romanos nu. 23. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.*

In

*In fauorem* rationalis potentiæ, benignè condecoratus fuit homo à Deo originali iustitia; cuius effectum adæquatum, dicimus consistere in internum bellum, & pugnam partis sensitiuæ contra rationem prohibere; vt homini videatur facilis Diuinarum legum adimpletio; & vt Doctor subtilis loco supra citato declarat, hunc effectum præstat reddendo bonum spirituale volūtati delectabilius quocumque bono sensibili conueniente appetitui; & consequenter auertendo appetitum sensitiuum ab inordinata tendentia in suum bonum sensibile, vt sit parti superiori (scilicet rationi) obediens: nam per hoc, quod voluntas firmiter adhæret bono spirituali, & in eo nimiùm delectatur, appetitus sensitiuus propter naturalem connexionem, quam habet cum ipsa, à suo bono sensibili auertitur.

59 *Res declaratur* exemplo extasis, in qua: quia facultates spirituales totaliter adhærent subiecto spirituali, & in eo plurimùm delectantur, facultates corporeæ à suis operationibus suspenduntur propter naturalem connexionem, quam habent cum facultatibus spiritualibus. Ita in casu nostro. Si voluntas iustitia originali condecorata firmiter bono spirituali adhæret, & in eo plurimùm delectatur; appetitus sensitiuus ab inordinata tendentia in suum bonum sensibile auertetur ab illo, pacemquè habebit cum appetitu rationali. *Talem esse effectum ab originali iustitia præstitum homini.*

Ista docebit ratio. Ille est effectus iustitiæ originalis, qui, posita originali iustitia, ponitur, & qui, ablata originali iustitia, aufertur: sed posita iustitia originali, ponitur extinctio pugnæ, & belli interioris partis inferioris contra superiorem: quia quandiù homo retineret originalem iustitiam, minimè sentiret talem pugnam; & ea ablata, statim insurgit pugna, & bellum inter partem superiorem, & inferiorem: ergo effectus de per se conueniens originali iustitiæ, est prohibere, & impedire pugnam, & bellum partis sensitiuæ contrà potentiam rationalem. *Hæc pro nunc*; infrà pleniùs res examinabitur.



PRO-

# PROPOSITIO QVINTA.

## *In Innocentiæ statu homo ab intrinseco fuit mortalis*

60 ITa *Scotus cũ suis in 2.dist.19. q. vnica.* Ad pleniorem tãtæ difficultatis intelligẽtiã; moneo: duplici ex causa prouenire posse mortẽ; harũ vna intrinseca est, altera extrinseca. *Causa intrinseca* adhuc est duplex. *Vna positiua*, & dicit qualitates primas cõponẽtes temperamentũ viuẽtis: nam, cùm illæ, mutua actione, in se inuicem agant, vt calor naturalis in humidum radicale; & omne agens agendo repatiatur, & debilitetur, paulatìm se se destruunt, & dissoluunt temperamentum, & proindè causant mortem. *Alia* est causa intrinseca negatiua; talis est subtractio alimenti necessarij: nam, cùm ad conseruationem viuentis, necessarium sit per alimentum restaurare partes substantiæ deperditæ; subtractio illius causat mortem, & consequenter est causa intrinseca negatiua illius. *Causa autem* extrinseca est vel intemperies aeris, venenum, ferrum, baculus, aut aliud instrumentum, quo viuenti mors violenta infertur. Hoc supposito.

61 *Accedamus* ad probationem nostræ propositionis. Homo in statu innocentiæ habuit causam intrinsecam positiuam mortis, & eam ab intrinseco potentem causare, nisi ab extrinseco impediretur: ergo fuit mortalis ab intrinseco. Antecedens probatur. Homo pro illo statu habuit temperamentum primarũ qualitatum, quæ in viuente sunt causa intrinseca mortis; sed illæ qualitates fuerunt potentes inferre mortem, nisi ab extrinseco impedirentur: ergo in illo statu habuit homo causam intrinsecam positiuam mortis. Maior hæc patet: quia omne mixtum, cuiusmodi est corpus humanum, etiam in innocentiæ statu habuit temperamentum primarum qualitatum. Minor probatur. Primę qualitates causant mortem, se se destruendo per mutuam actionem, & à se inuicem repatiendo: sed qualitates primæ ab intrinseco habent, quòd possint in se inuicem agere, & sese destruere, etiam in statu innocentiæ: ergo in illo statu erant potentes causare mortem, nisi ab extrinseco impedirentur; fuit ergo homo ab intrinseco mortalis. *Vide n.73.*

62 *Moneo tamen*, quòd licet homo in innocentiæ statu habuerit causã intrinsecam mortis, nempè primas qualitates, ab intrin-

ſeco potentes ſe ſe deſtruere, & proindè fuerit homo ab intrinſeco mortalis, illæ tamen qualitates impedirentur ab extrinſeco, nè ſe ſe deſtruerent, & ſic homo ab extrinſeco eſſet immortalis, & potentia, quàm habebat ad moriendum, non reduceretur ad actum. Verè etenim in fœliciſſimo illo rerum ſtatu, in quo primi cōditi ſunt parentes, plena erat vitæ ſecuritas: nullum interiùs, nullum exteriùs mortis obeundæ periculum:

63 *Sola erat* peccati rimula, per quam nos ingrediremur: nec alias cauere iuſſit Dominus mortis inſidias, quandò nouos Paradiſi colonos inſtruxit, quā vt vnum à ſe impoſitum præceptum, obſeruatu facile, cuſtodirent, quando conceſſis in eſcam omnibus lignis pomiferis, ſolam eam tangi vetuit arborem ſcientiæ boni, & mali, ad cuius eſum, mors præ foribus adeſſet, nec haberent, vndè diſſoluendi corporis neceſſitatem euaderēt. *Ex omni* (inquit) *ligno Paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni, & mali nè comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*; *Gen. 2. nu. 16. & 17.* Sed quia ſerpenti decipiēti magis, quàm Domino comminanti crediderunt, ſenſerunt iuſtas inobedientiæ pœnas, ſitim, famem, frigus, æſtum, & ſui corporis mortalitatem, quas tamen, niſi peccaſſent, nequaquàm aliundè ſentirent. Hinc ſolùm, Apoſtolus, omnem Adami ſtirpem, mortem inuaſiſſe teſtatur. *Per vnum* (inquit) *hominem, peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertrāſijt, in quo omnes peccauerunt*, ita *ad Rom. 5. n. 12.*

64 *Eandem doctrinam* ſtatuit Eccleſia contrà Pelagianos, qui hominem, mortalem creatum, docebant: aſtruentes, Adamum, etiam in ſtatu innocentiæ, ineuitabiliter ex ſuæ naturæ conditione moriturum: aſſertionem hanc, hæreticam eſſe docuit *Cōcilium Meleuitanum Canone* 1. his verbis. *Quicūque dicit, Adam primū hominem mortalē factū, ita vt ſiue peccaret ſiue non peccaret, moreretur in corpore, hoc eſt de corpore exiret, non peccati merito, ſed neceſſitate naturæ, anathema ſit.* Conſtans etiam eſt Sanctorum Patrum ſententia, non guſtaturum Adamum mortem, niſi priùs guſtaret, vndè periret. Hinc *Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem*, ait: *Propter transgreſſionem primi hominis, corruptio genus noſtrum inuaſit*. *Auguſtinus lib. 1. de peccatorum remiſſione cap. 2.* ita legit: *Si non peccaſſet Adam, non erat expoliandus corpore, ſed ſuperueſtiendus immortalitate, & incorruptione, vt abſorberetur mortale à vita, ideſt ab animali in ſpiritnale tranſiret*. Tandem veritas probatur ex eo, quòd neceſſitas moriendi, fuit homini impoſita

in

in pœnam peccati, vt patet ex illo ad Rom. 5. *Per peccatum, mors intrauit in mundum.*

65 *Nostra propositio* impugnanda est ita. Homini in statu innocentiæ conueniret intrinsecè non mori: ergo ab intrinseco esset immortalis. Probatur antecedens: quod naturaliter conuenit alicui, competit eidem intrinsecè: sed homini in innocentiæ statu conueniret naturaliter non mori; ergo ab intrinseco ei conueniret, & proindè ab intrinseco esset immortalis.

*Respondetur* distinguendo antecedens; quod conuenit rei naturaliter, hoc est tanquàm aliquid intrinsecè suæ naturæ inditum inseparabiliter, ei conuenit intrinsecè; concedo maiorem; quod conuenit rei naturaliter, hoc est regulariter, & iuxta ordinem ab authore naturæ in rebus positũ, ei conuenit intrinsecè; nego maiorem. Ad minorem dico, quòd homini pro statu innocentiæ conueniret non mori naturaliter, hoc est regulariter; & iuxta ordinem ab authore naturæ constitutum; non autem naturaliter, tamquàm aliquid sibi intrinsecè debitum.

66 *Hinc habes*, quòd aliquid potest esse naturale alicui. *Primò*, quod sit ipsius naturæ, tanquàm aliquid inseparabiliter debitũ, quomodò passiones, seù proprietates se habent respectu cuiuscumque rei. *Secundò* potest intelligi aliquid conuenire rei naturaliter, nempè regulariter, & secundùm aliquod decretum, aut institutum Authoris naturæ; vndè quod conuenit alicui naturaliter in primo sensu, est ipsi intrinsecum; secùs verò, quando ei conuenit naturaliter in secundo sensu. *Ad rem nostram*. Adamo in statu innocentiæ non mori conueniebat naturaliter in secundo sensu: quia Deus decreuit, ipsum, & omnes eius posteros à mortalitate, & corruptione reseruare, dummodò in gratia originali, & statu innocentiæ perseueraret; & ideò actù non mori, minimè erat ei intrinsecum.

67 *Quod fuerit* moralis ab extrinseco, cõtra nos suadetur ita. Omne generabile est corruptibile; sed homo in statu innocẽtiæ esset generabilis, sicut de facto in statu naturæ lapsæ est generabilis: ergo esset corruptibilis, & mortalis, & consequẽtur, &c. *Respondetur* distinguendo maiorem: quod est generabile, est corruptibile ab intrinseco, vel ab extrinseco; concedo maiorem; quod est generabile, est corruptibile necessariò ab extrinseco, nego maiorem; homo autem in statu innocentiæ, sicut esset generabilis, sic & ab intrinseco esset verè corruptibilis, & mortalis, & actù corrũperetur, nisi ab extrinseco cõseruaretur.

# PROPOSITIO SEXTA.

## *In nostris primis Parentibus immortalitas, & impassibilitas non prouenirent ab actuali dono diffuso per totum corpus humanum.*

68 Oppositum docet *Molina disp.* 28. *de operibus sex dierum, conclusione* 3. & 4. Probatur veritas nostræ propositionis. In statu innocentiæ homo exerceret actus facultatis nutrientis: ergo non poterat habere qualitatem corpori inhærentem, à qua proueniret immortalitas, & impassibilitas. Antecedens negabit nemo; quia in eo statu comederet: cùm ad eum finem creauerit Deus arborum fructus, ipsa Sacra Scriptura testante *Gen.* 2 *nu.* 9. & posteri eius non aliter, quàm per nutritionem augerentur, & debitam magnitudinem attingerent. Cõsequentia probatur: quia dum homo nutritur, sicut partes alimenti conuertuntur in substantiam aliti, & acquiruntur; ita partes præexistentes paulatìm alterantur ab ipso cibo, & natiuo calore, & deperduntur. Quod adeò verum est, vt post annorum numerum deperdi soleat magna, imò secundùm alios, tota quãtitas primigeniæ substantiæ. *Ex hoc autem* planè deducitur, non fuisse in corpore primorũ Parentum corpoream qualitatem, qua immortale, & impassibile redderetur: nam partes, quibus inhærebat, alterabantur; ac proindè patiebantur, & paulatìm deperdebantur, ac vitam amittebant; non ergo habebat qualitatem, quæ morti, & passibilitati obstaret.

69 *Nostram propositionem sic impugnant primò*. Homo in statu innocentiæ vel fieret immortalis per aliquam qualitatem eius corpori inhærentem, vel fieret immortalis immediatè ab ipso Deo: hoc vltimum minimè dicendum: ergo fieret immortalis per aliquam qualitatem à Deo corpori impressam. Minor probatur. Illud, quod non fit miraculosè, sed regulariter, & iuxta ordinem ab authore naturæ rebus propositum, non solet fieri à Deo immediatè, & per se ipsum, sed per causas secundas: sed hominem fieri immortalem in statu innocentiæ, non esset miraculosum, sed regulariter, & iuxta ordinem ab authore naturæ in rebus pro illo statu positum: ergo non conseruaretur

tur

tur à Deo immortalis per seipsum, sed per aliquam qualitatem eius corpori inhærentem.

*Respondetur* concedendo maiorem, & negando minorem: hominem enim fieri immortalem in statu innocentiæ, esset miraculosum: quia hoc fieret per impeditionem actionum causarum secundarum naturalium vltimatè dispositarum; & per suspensionem Diuini cócursus cum ipsis; hoc autem non impedit, quòd conseruatio hominis à mortalitate, esset iuxta ordinem à Deo pro illo statu constitutum; etenim ille ordo non erat factus iuxta exigétiam intrinsecam hominis; cùm sit intrinsecè mortalis: quinimò foret supra exigentiam ipsius naturæ.

70 *Secundò*. Deus redderet hominem immortalem in statu innocentiæ, impediendo mutuam actionem primarũ qualitatum, nè agendo in se inuicem, temperamentum eius destruerent; sed hoc non impediret, nisi per aliquod donum homini concessum: ergo homo non fieret immortalis per assistentiam Dei immediatè, sed per aliquam qualitatem, aut animæ, aut corpori inhærentem. Probatur minor: sensualitas, & appetitus sensitiui in statu innocentiæ nõ compescerentur, nè motum elicerent contrà rationem, nisi per donum iustitiæ originalis, quæ est qualitas inhærens: ergo similiter pro illo statu, Deus non impediret primas qualitates, nè vna in aliam ageret, & sic se mutuò destruerent, nisi per aliquod donum, quæ sit qualitas inhærens animæ, aut corpori.

71 *Respondetur*, concessa prima maiore, negando minorem. Ad probationem, negatur paritas. Ratio est: quia facultates sensitiuæ, in quibus insurgunt appetitus sensitiui, sunt potentiæ vitales, ex se obedibiles rationi, & potentes ex natura sua elicere plures actus ei conformes; & per consequens ex illis actibus frequentatis, generare habitum, quo reddãtur faciles, & promptæ in obediendo rationi: sicut igitur facultates sensitiuę ex natura sua valent in se generare habitum, reddentem eas, rationi obedientes; sic similiter potuit Deus, ipsis in statu innocentiæ tribuere aliquod donum, quod sit habitus, aut qualitas, eas retrahens ab ordinatis motibus contra rationem; at verò in homine non potest esse aliqua qualitas valens compescere mutuam actionem primarũ qualitatum: siquidem nec in corpore, nec in anima huiusmodi qualitas conuenienter potest inesse. *Legatur Scotus in 4. dist. 29. sub lit. B.*

*Tertiò*. Deus Beatos, & etiam condemnatos reddit immortales per aliquod donum ipsis datum, quod non potest esse aliud, quàm aliqua qualitas, aut habitus

bitus ipsis inhærens: ergo similiter in statu innocentiæ homines essent immortales per aliquam qualitatem, ipsis inhærentem. *Negatur antecedens*. Consulatur Scotus in materia de Beatitudine.

## PROPOSITIO SEPTIMA.

*In statu Innocentiæ Homo fuisset redditus immortalis per assistentiam Dei denegantis suum concursum causis secundis corruptiuis.*

72 PRobatur: quia difficile est explicare, quomodò illa virtus supernaturalis animæ, aut qualitas inhærens corpori valeat impedire actiones agentium naturalium causantium corruptionem, vt corpus possit ab illa præseruari; facilè autem est intelligere quomodò per solam assistentiam Dei, hoc possit præstari: nam, cùm agentia naturalia nequeant agere sinè concursu Dei; per solam negationem sui concursus, potens est impedire actiones causarum secundarum corrumpentium; sicut impediuit, nè ignis Babylonicus combureret pueros: ergò ita in casu nostro.

## PROPOSITIO OCTAVA.

*In Innocentiæ statu, fructus ligni vitæ non fuisset sufficiens ad præseruandum hominem per totam æternitatem.*

73 FAteor, quòd homo in innocentiæ statu per fructũ ligni vitæ diù viueret, ob leuem actionem illius in calorem naturalem, & passionem caloris ab ipso; ille tamen fructus, non sic omninò præseruaret hominem à corruptione, & mortalitate, quin tandem debilitaretur calor naturalis, & humidum radicale cõsumaretur, & denique homo moreretur. Ita habet noster *Scotus in 2. dist. 19. q. vnica*.

*Probatur*: si solus fructus ligni

vitæ

vitæ esset sufficiens ad præseruandum hominem in illo statu; immortalitas esset ipsi naturalis: sed hoc est falsum: ergo lignum vitæ minimè esset de se sufficiens ad reddendum hominem immortalem. Maior probatur. Illud, quod homo acquirit proprijs viribus naturalibus, & per causas naturales, est sibi naturale, sed si lignum vitæ hominem perseueraret immortalem, immortalitatem acquireret proprijs viribus naturalibus, & per medium naturæ, nempè per conuersionem illius fructus in suam substantiam, virtute facultatis naturalis nutritiuæ: ergo si lignum vitæ ex natura sua conseruaret hominem immortalem, illa immortalitas esset ipsi naturalis. Huius rei repugnantiam probo ex authoritate *Diui Augustini lib. 6. supra Gen. ad literam cap.* 25. dicentis: ***Homo mortalis erat, conditione corporis animalis; immortalis, beneficio Conditoris.*** Fauet nobis, quod à Summis Pontificibus, *Pio Quinto, & Gregorio XIII.* damnatur illa propositio: ***Immortalis est vi naturalis conditionis, & non beneficio gratiæ;*** ergo immortalitas in statu innocentiæ non esset homini naturalis, sed beneficio gratiæ; & per cōsequens lignū vitæ minimè esset de se sufficiens ad dandam perpetuam immortalitatem.

74 *Molina disp.* 26. est opinatus, lignū vitæ habuisse vim quamdam naturalem confortantem temperamentum, & restaurantem integrè quidquid virium deperdebat virtus nutritiua, & calor eius naturalis per reactionem nutrimenti in ipsam, & etiam restaurādi perfectè quidquid humidi radicalis esset à calore naturali consumatum. Hunc dicendi modum amplexus est *Suarez lib. 3. cap.* 15. asserens, quòd naturaliter cibus ille, nempè fructus ligni vitæ, aptus erat se se conuertere in corpus humanum, ad ipsum protegēdum effectiuè per nouas qualitates connaturales temperamentum corporis ad pristinum statum reuocandum.

75 *Ex quo isti Authores* videntur fateri, quòd immortalitas in statu innocētiæ esset homini naturalis, & ad authoritates, à nobis in contrarium adductas, nihil aliud dicerent, quàm immortalitatem esse homini naturalem, potest dupliciter intelligi. *Primò*, quòd sit passio eius connaturalis, seù aliquid, eius naturam inseperabiliter consequens absque aliquo medio extrinseco ordinato à Deo ad cōparandam ipsam; isto modo immortalitas se habet in Angelis, & in anima rationali: quia absque medio aliquo extrinseco; ab ipsis exequendo, immortales conseruarentur. *Secundò* potest intelligi, immortalitatem esse ipsi naturalem, nempè: quia est aliquid regulariter comparandum

dum per medium naturale proprijs viribus exequendum, & per sumptionem cibi, suas vires, continuò restaurandas: *Hac stante animaduertentia.*

*Responderent* ad authoritatem Augustini, & Summorum Pontificum, eos solùm velle, quòd immortalitas non est conditio naturalis hominis in primo sensu, non autem quòd non sit ipsi naturalis in secundo sensu; quādo etiam asserunt esse beneficiū gratiæ, non intendere; quòd homo fiat immortalis per aliquod donum supernaturale, siuè qualitatis, siuè solius assistentiæ Diuinæ; sed ideò dicunt esse beneficium gratiæ Conditoris; quia, cū homo fuerit ab intrinseco mortalis, & ei non fuerit debita ab intrinseco immortalitas, gratuitè factū est, quòd Deus ipsi prouiderit lignum vitæ, ad ipsum conseruandum immortalem.

# PROPOSITIO NONA.

## *Hic Molinæ, & Suarij philosophandi modus non est approbandus.*

76 PRobatur, quia ex eo, quod Deus gratuitò prouideret hominem ligno vitæ ad ipsum conseruandum immortalem in statu innocentiæ; non potest dici, quòd immortalitas foret beneficium Dei, negando simul, esse ipsi naturale; sed in horum opinione, viuere immortaliter, fuisset beneficium Cōditoris, & beneficium gratiæ: siquidem *D. Augustinus* expressè asserit, *fuisse beneficium Cōditoris*, & asserendo, *mortalitatem fuisse homini naturalem*, negat tacitè, immortalitatem fuisse eius conditionem naturalem: nam, cùm mortalitas, & immortalitas sint contrariæ, non possunt esse conditiones naturales respectù eiusdem; & Summi Pontifices negant expressè, imò cōdemnant propositionem asserentem, fuisse homini naturalem, & docent, fuisse beneficium gratiæ; ergo non intendebant loco citato asserere, immortalitatem fuisse homini naturalem, & fuisse beneficium gratiæ, sicut ab istis authoribus explicatur; quinimò fuisse absolutè beneficium gratiæ, nempè specialem Dei assistentiam. Maior patet: nam, licèt hominem esse immortalem in illo statu, esset beneficiū Dei ex illa parte, qua Deus ipsi gratuitò, & liberaliter præstaret lignum vitæ, ad ipsum conseruan-

uandum immortalem; esset tamen ipsi ex alia parte naturale; nempè ex hoc, quod illam immortalitatē acquireret per proprias vires naturales, conuertēdo fructū illius ligni in suā substantiā; ergo ex hoc, quod Deus daret homini in statu innocentiæ gratuitò, & liberaliter fructum ligni vitæ ad ipsum conseruandum immortalem; non posset dici, quod immortaliter viuere, esset beneficium Dei.

77 *Sit secunda ratio* pro nostra veritate. Homo in statu innocentiæ ageret in fructum ligni vitæ, sicut in quodlibet aliud alimentum, illumquè conuerteret in suam substantiam: sed agendo in lignum, & conuertendo illud in substantiam, ab ipso pateretur, & virtus nutritiua, & calor naturalis paulatim debilitaretur, & homo tandem aliquando consumaretur: ergo in statu innocentiæ homo non esset perpetuus per solum lignum vitæ.

*Caietanus occurrit* nostro argumento, obseruando; duplicem assignari causam impediētem debilitationem virtutis nutritiuæ in statu innocentiæ repatiendo ab alimento conuerso in substantiam. *Primò obseruat*: in anima fuisse vim quandam naturalem impedientem nè facultas nutritiua, aut calor naturalis debilitaretur per reactionem alimenti. *Secundò ait*, in ipso ligno vitæ fuisse quamdam virtutem naturalem potentem per longum tempus hominem conseruare. *Tandem* concludit, hominem, per illas duas causas ad inuicem copulatas, fieri immortalem.

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Hic dicendi modus repugnat.*

78 PRobatur. Virtus quæcūque, in anima existens, nō posset impedire debilitationem facultatis nutritiuæ, & caloris naturalis, nec consumptionem humidi radicalis per calorem, nisi effectiuè: quia non est imaginabile, quomodò posset illud præstare: cùm qualitas spiritualis (cuiusmodi esset illa virtus, si in anima esset admittenda) non sit formaliter cōtraria qualitatibus corporeis, quæ sunt causa corruptionis hominis, nec eis valeat resistere; sed non posset illas impedire effectiuè: ergo, &c. Minor probatur: non posset illud effectiuè præstare, nisi producendo in homine aliquam qualitatem corpoream,

resistentem actionibus causarũ corrumpentium, & per consequens, reseruantem temperamentum; sed nulla res spiritualis, qualis esset illa virtus, potest aliquid materiale,& corporeum producere: ergo non posset effectiuè hominem in statu innocentiæ reseruare à corruptione hominum, nec impedire actionem qualitatum cõtrariarum debilitantium facultatem nutritiuam.

79 *Deindè dato*, quòd in anima pro illo statu daretur huiusmodi virtus; nil deducitur contra nos; indè enim non sequitur, quòd homo per solum lignum vitæ in statu innocentiæ conseruaretur immortalis; cùm per illam virtutem esset immortalis; & similiter, licèt admitteretur, fuisse in ligno vitæ virtutem potentem cõseruare hominem; non tamen sequitur, quòd per ipsum solùm perpetuò duraret absque corruptione.

*Durandus*, *&* *Gabriel* sunt opinati, lignum vitæ habuisse virtutem confortantem, & restaurantem integrè vim nutritiuam, & quidquid detrimenti patiebatur natura per reactionem contrariorum; ita quod fructus ligni vitæ, certis temporibus sumptus, non solùm præstaret, vt homo diutiùs viueret, sed etiam validiorem in perpetuum vitam haberet.

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## *Claudicat & ista doctrina.*

80 PRobatur, vt posset restaurare vires, quas natura humana deperderet, conuertendo cibum in suam substantiam, eamquè posset reddere validiorem in perpetuum; deberet esse perfectior, & excellentior ipsa natura, quam restauraret; sed fructus ligni vitæ non est perfectior natura humana; cum sit non viuens, & natura sit viuens: ergo non haberet talem virtutem. *Sit altera ratio*: fructus ligni vitæ quotiès sumeretur, aliquãtulum debilitaret vires facultatis nutritiuæ: quia facultas nutritiua conuertendo illum in suam substantiam, ab eo repateretur, sicut à quolibet alio alimento conuerso; ergo illius vires integrè non restauraret; ac proindè, quantumuis homo in statu innocentiæ sumeret fructũ ligni vitæ, paulatim debilitaretur, & tandem moreretur, nisi aliundè fuisset præuentus.

81 *Concludo tandem*, quòd homo in statu innocentiæ esset passibilis.

lis; Ratio est: quia omne illud, in quo aliquid corrumpitur, est passibile: at in homine pro statu innocentiæ corrumperentur aliquæ partes substantiales; siquidem indigeret cibis, qui viuenti non sunt necessarij, nisi ad restaurandum partes substantiæ deperditas: ergo homo in statu innocentiæ esset passibilis.

*Nostram conclusionem* impugnare videtur id, quod legitur apud *Geneseos* 3. *nu.* 22. *Nè fortè mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum*. Quibus verbis ostenditur, Deum voluisse Adamum à Paradiso expellere, nè fortè comederet de ligno vitæ, & viueret in æternum: ergo supponit Deus, quòd per solum lignum vitæ fieret immortalis. *Negatur consequentia*: quia consuetudo est Sacræ Scripturæ, diuturna vocare æterna. Vndè loco citato *ly nè viuat in æternũ*, significat idem, ac si diceretur, nè viuat diù, aut longo tempore; non ergo significat, nè viuat perpetuò, & infinito tempore, quomodò loquitur nostra propositio.

# DE PECCATO ORIGINALI.

ORiginale peccatum, id dicunt Theologi, quod ab origine nostra, idest à primo nostræ naturæ Parente, tãquàm hæreditarium quoddam malũ, ad nos deriuatũ est; ita vt propterea appelletur etiam peccatum naturæ, & culpa radicalis, quæ non deriuatur ad posteros, tanquàm quid ex proprio ipsorum actuali peccato relictum, sed ex primi Parentis peccato descendens. Huius peccati existentiam inquirimus.

## PROPOSITIO PRIMA.

### *De Fide est, dari peccatum originale.*

82 NEgant Hęretici nostram propositionem; illi tamen Theologi cuncti proprium præstant affirmatiuum votum. Loca præcipua Sacræ Paginæ, quibus vtuntur Theologi ad hanc veritatem stabiliendam, isto ordine propono. Primò *Iob* 14. *n.* 4. dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonnè tu, qui solus es?* Psalmo 19. n. 3. *Omnes*

*declinauerunt simul.* Psalmo 50. n.17. *In iniquitatibus conceptus sũ, & in peccatis concepit me mater mea;* in hebreo legitur: *in iniquitate, & peccato.* Oseæ 6.n.7. *Ipsi, sicut Adam, transgressi sunt pactum, ibi preuaricati sunt in me.* Ioann. 1. num. 29. *Ecce qui tollit peccatum mundi*: in græco legitur; *qui tollit illud peccatum mundi*. Secunda Corinthiorum c. 5. nu. 14. *Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sũt, & pro omnibus mortuus est Christus.* Prima Corinthiorum 15.n. 22. *Sicut in Adam omnes moriuntur; ita & in Christo, omnes viuificabuntur.* Romanorum 3.n.23. *omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* Romanorum 5. nu.12. *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*

83 *Rationibus* illa veritas demonstratur. *Primò*: quia Christus est vniuersalis omnium Redemptor; ergo & paruulorum, in quibus solùm inest peccatum originale. *Secundò*: quia Baptismus omnibus est necessarius in remissionem peccati: ergo & paruulis in remissionem sui peccati. Antecedens patet ex primario, & præcipuo effectu Baptismi iuxta traditionem Ecclesiæ baptizantis pueros, & iuxta Ioãnem 3. n.5. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c.* *Tertiò*: quia pœna mortis, similiter morbus, & multiplex ærũna à cõceptione orta, hominem affligens, clamat, esse originale peccatum: nam Sapientiæ primo n.13. dicitur: *Deus mortem non fecit*; ad Romanos 5. & 6. *Per peccatum mors, & stipendium peccati, mors*: ergo peccatum originale, fide Diuina manifestum est. Supposita ergo veritate nostræ primæ propositionis.

# QVÆRIMVS.

## *Quid sit Peccatum Originale.*

QVot Capita, tot sententiæ fuerunt circa originalis Culpæ negotium. Nos libentiùs amplectimur solidiorũ Theòlogorum, & præsertim Scoti nostri sententiam. *Scotus ergo in 2. dist. 32 q. vnica sub l. B. vers. sic ad propositum, &c.* Anselmi vestigijs inhærens, inquit, quòd *originale peccatum est formaliter carentia iustitiæ originalis debitæ, & non qualitercumque debitæ sed debitæ: quia acceptæ in primo Parente, & in ipso amissæ.* Melius intelligemus radicaliter sẽtentiam Scoti, notata subsequenti propositione.

PRO-

# PROPOSITIO SECVNDA.

## Germana Scoti sententia de macula originali.

84 Concinnè, & subtiliter *Scotus in 2.dist.32. q.vnica*, tria inuenit in originali peccato. *Primum*. Cõcupiscentiam, seù pronitatem voluntatis humanæ ad immoderatè condelectandum suo proprio appetibili. *Secundum*, debitum habendi iustitiam originalem. *Tertium*, carentiam eiusdem iustitiæ. Primum, & secundum se habent vt materiale; *tertium*, vt formale. Audiamus Scotum: *Respondeo* (inquit sub litera B.) *concupiscentia potest accipi, vel proùt est actus, vel habitus, vel pronitas in appetitu sensitiuo, & nullum istorum est formaliter peccatum; quia non est peccatum in parte sensitiua. Vel potest accipi, proùt est pronitas in appetitu rationali, idest in voluntate ad concupiscendum delectabilia immoderatè, quæ nata est condelectari appetitui sensitiuo, cui coniungitur; & hoc modo concupiscentia est materiale peccati originalis, quia per carentiam iustitiæ originalis, quæ erat, sicut frænum, cohibens ipsam ab immoderata delectatione, ipsa non positiuè, sed per priuationem fit prona ad concupiscendum immoderatè delectabilia.* Hæc Scotus quoad primum. Quoad secundum verò sic loquitur loc.cit. §.ad argumenta; vers. ad tertium, &c. *dico, quòd ad istud peccatum concurrunt duo, carentia iustitiæ, scilicet, vt formale; & debitum habendi eam, vt materiale; sicut in alijs priuationibus concurrit priuatio, & aptitudo ad habitum.* Quoad tertium, §. *quo ad primum.vers.sic ad propositum, &c.* ità dicit: *Peccatum originale est formaliter carẽtia iustitiæ originalis debitæ, & non qualitercumque debitæ, sed debitæ, quia accepta ex primo Parente, & in ipso amisse.*

85 *Ex his*, meridiana luce limpidiùs cognoscitur, quid reuera importet originale peccatũ, & qua lege possit etiam adæquatè describi; licèt enim carentia iustitiæ, quod est formale in peccato originis, nec insit debito habendi, nec pronitati liberæ facultatis, inest tamen eidem potentiæ volitiuæ, quam connotat; vndè cadit voluntas in descriptione originalis, vt additum, ea ratione nimirùm, qua cadit oculus in definitione cæcitatis. *Ceterùm* difficile videtur, ex præmissis deducere, quod nempè originalis macula sit peccatum, & offensa formaliter, & vnicuique proprium, vt Pa-

tres,

ties, & Concilia passim testantur contra eos, qui dicebant, originis labem esse solummodo reatum pœnæ primi hominis peccato sequenter inflictæ, vel naturæ defectum.

86 *Primò igitur* sciendum est; homines, recenter natos, verè denominari peccatores propter peccatum originis, non eo modo, quo ab actuali denominantur homines peccatores, sed ea lege dumtaxat, qua dicuntur homines peccatores, actu peccaminoso transacto. *Author est Scotus in præcitato loco lit. D.* vbi habet. *Propter solutionem argumentorum est intelligendum, quòd dupliciter potest esse iustitia debita. Vno modo, quia in se accepta, & actione accipientis amissa. Alio modo, quia accepta in alio, & actione alterius amissa. Primo modo, peccatum actuale est iniustitia, & carentia iustitiæ. Secundo modo, originale: vndè magis comparatur peccato, quasi quiescenti in anima post actum transeuntem, quàm comparatur peccato actuali, quod elicitur ab ipsa voluntate peccante.* Hæc Scotus, qui licèt *in 4. dist. 14. q. 1. sub H.* videatur asserere, hominem, transacto actu peccati, formaliter denominari peccatorem ab obligatione ad pœnam; hoc tamen intelligi debet concomitanter: quia primariò dicitur talis ab ordine, quem dicit ad peccauisse, seù à peccato ipso physicè transacto, moraliter tamen præsente; ita colligũt Meliores Scotistæ non solùm ex eodem Scoti loco, vbi docet, reatum illũ dicere simul rationem offensæ, maculæ, & iniuriæ, sed clariùs ex inducto loco secundi, & ex 21. *dist.* 4. *q.* 1. *sub E, & F.* vbi iuxta sanctorum placitum, latum discrimen apponit inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ. Id ipsum colligitur *ea dist.* 16. *q.* 1. *sub H.*

87 *Sicut ergo* actualis peccator dicitur talis, transacto actu peccaminoso, ab ordine ad peccauisse, seù à peccato moraliter præsente, physicè verò destructo: sic etiam homines, recentèr nati, peccatores denominantur à transgressione Adami, transacta realiter, moraliter verò in Diuina imputatione præsente; quæ ideò originalis, non autem actualis nuncupatur: quia nullus actualiter præter Adam, sed quicumque virtualiter peccauit in Adamo, qui de mente *Concilij Tridentini sess. 6. cap. 7. & sessione 5. decreto de peccato originali*: sua inobedientia, sibi, & eius propagini perdidit acceptam in seipso iustitiam. Dato siquidem eo fundamento, quòd Adam, videlicèt, non solùm naturale humanæ propaginis, quia in eo cõtinebatur causaliter, sed morale insuper extitit caput posterorum suorũ, atque hinc, quòd voluntates eorum virtualiter in Adamo, vt in morali capite, clausæ, ac in vnam eius voluntatem, velut confluentes, & conspi-

ſpirantes ſimul,ſpecialiter compromiſſæ fuerint; euidentiſſimè tunc apparebit, quòd Adamo, tanquam fideiuſſore cadente, poſteri quoque, velut pupilli, ceciderunt cum ipſo; ſicut è cõtra, ſi ſteciſſet Adam, ſtetiſſent & ipſi: expreſſum enim pactum cum illo Deus inierat, non ſibi ſoli, ſed cunctis ab eo naturaliter deſcendentibus originalem exhibiturum iuſtitiam, ſi præceptis obediens, cuſtodiuiſſet illam, quo factum fuit, vt non tantùm ex eo, quod Adam pro ſe, & pro tota natura, quæ tunc exiſtebat in ipſo, ſed inſuper ex eo, quod Adam iuſtitiam accipiente formaliter, & virtualiter accipientibus illam in ipſo ſingulis ab eo deſcendentibus, verum, propriumquè omnes, & ſinguli cõtraxerint debitum habendi eiuſdem iuſtitiæ donum; virtualiter inquam, ea ratione dumtaxat, vt primo Parenti formaliter, (ideſt conſequenter, ſeù conſequente voluntate) accipiente iuſtitiam, ſinguli poſteri ſingulas iuſtitias, eadem datione, à Deo libenter oblatas, virtualiter, ideſt antecedenter, ſeù antecedente voluntate, ſeipſis in ipſo receperint.

88 *Sicut tandem* Adamo, originali iuſtitia per inobedientiam denudato, omnes filij poſtmodùm proprio vniuſcuiuſque concurrente debito, eadem iuſtitia ſpoliati naſcuntur, ac tranſgreſſores, ſeù peccatores. Proindè breuiter, ſed diſertis verbis Scotus ipſe rem dilucidat in memorato 2. d. 32. ſub C. *Ex iſtis dictis videtur cõcludi, debitũ in paruulis propter hoc, quod Adam accepit iuſtitiam pro ſe, & pro tota natura quæ tunc erat in eo; & ideò iuſtè Deus exigit à tota natura in quocumque eſt, illam iuſtitiam, quam dedit naturæ; ita quod ſecundùm Anſelmum cap. 7. Adam peccato perſonali nudauit naturam iuſtitia debita, & nudata natura à tali iuſtitia debita, in quocumque facit naturam nudã, facit, & talem debitricem.*

89 *Contra hoc* obijcitur; quia hæc natura numero, quæ eſt in propagato, non fuit in Adam, licèt ibi fuerit natura eiuſdem ſpeciei: ergo illa natura non accepit aliquam iuſtitiam: ergo non eſt debitrix. *Reſpondeo* non faciendo mentionem de hac natura, & hac perſona, quòd iſte debitor eſt iuſtitiæ: quia iuſtitiã accepit formaliter Adam, & ipſe in eo. Et hoc probatur ita: omne donum eſt debitum, quod datur ab ipſo Deo voluntate antecedente, ideſt quantùm eſt ex ſe, ſeù ex parte Dei, ſinè ſpeciali gratia, & merito, licèt non voluntate conſequente; ſed Adam, accipiente iuſtitiam filio eius, data eſt iuſtitia voluntate antecedenti, ideſt, quantùm erat ex parte Dei, quia ſinè ſpeciali dono confereretur filio, niſi adeſſet impedimentum; ergo ex illa collatione facta Patri, filius eſt debitor iuſtitiæ ſic datæ.

90 Qui-

90 *Quarè Doctor* parùm infrà sic ait. *Ad hoc, quòd donum sit debitũ; sufficit datio volũtate antecedẽte, siue virtualiter dare, licèt nõ in se formaliter: ergo ad hoc, quòd voluntas sit debitrix, sufficit similis datio facta illi voluntati: sed quando facta est datio voluntati Adæ, facta est tali modo, quod quasi eadem datione, quantùm erat ex se, dabatur similiter omni voluntati cuiuscumque filij, si non poneretur obex: ergo ex tali datione fit voluntas cuiuscumque filij debitrix; licèt ergo non sit omninò simile de operibus meritorijs datis virtualiter in gratia, vt in proposito; est tamen simile quantùm ad propositum; quia vtrobiquè est præcisè datio ex parte dantis scilicèt voluntate antecedente, & nõ consequente, & ipsa est ita ratio voluntati vt sit debitrix, sicut donõ, vt sit debitum.* Hactenùs Scotus. Cuius aurea dicta, si benè considerentur; dilucidè patet, ex accepta in ipso amissa iustitia, omnes descendentes ab Adam, debitores fuisse.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Explicatur ad quod genus pertineat, quouè modo, & quando contrahatur à posteris.*

91 ORiginale peccatum igitur, licèt origine vnum sit, non imitatione, vt Pelagius dicebat, sed propagatione trãsfusum in posteros, adeò tamen vnicuique proprium est, vt nescio, qua ratione cum Catholica veritate cohæreat opinio asserentium, originalem noxam, nil aliud esse, quàm primi Parentis actuale peccatum, quod nec in paruulis multiplicatur, nec quisquam ex Adamo descendens, vt sibi propriam culpam abscribit, quasi verò tot sint originales sordes, quot sint homines ex Adamo nascentes; hac siquidem data assertione, conuincitur, eam nec iota quidem differre ab opinione Pelagij, qui contra omnem communem Ecclesiæ sensum, vnicum, non proprium vnicuique, sed commune dumtaxat comminiscebatur, originis fore peccatũ. Hoc ergo crimen nec propriæ omissionis, nec commissionis est, auersiuum tamen à Deo solummodò virtualiter, si vltimus finis accipiatur præcisè: quia, si vt legislator accipiatur, formaliter quidem auertit, & Theologicæ malitię rationem. Ex hac auersione sortitur, quod necessariò sit cuiuspiã præcepti transgressio; nec aliud effingi po-

potest, nisi præceptum de conseruando oblatum, acceptumquè originalis iustitiæ donum; quod mandatum, quamquam formaliter neutrius tabulę claudatur limitibus, tamen facilè ad primum primæ tabulæ valet reuocari præceptum.

92 *Contrahitur* deindè huiusmodi peccatum mediante carne; non quidem, quòd caro sit maculata, & maculam in animas, recenter infusas, transfundat, sed media carne maculatur anima, tamquàm instrumento, quatenùs in eius semine est virtus actiua producendi filium Adæ, qui est debitor acceptæ, & amissæ iustitiæ. Ita *Scotus in 2. d. 32. cit. §. ad argumenta tertiæ quæstionis, &c.* etenim ex carne producta mediante seminali propagatione fit corpus, ex quo simul cum anima, tamquàm ex duplici adæquato principio fit homo, qui filius naturalis est Adæ, & ideò debitor originalis iustitiæ, ex cuius carentia propter Adami demeritum, iniustus est. Placeat, paruas Scoti reliquias, ex eodem loco desumptas, auscultare: *anima* (inquit sub E) *contrahit, mediante carne non ita, quod caro, quasi per qualitatem quamdam causatam in ea, causet istud peccatum originale; sed ex eo, quod caro concupiscibiliter seminatur, & ex ipsa formatur corpus organicum, cui infunditur anima cōstituens personam, quæ est filius Adæ; ista ergo persona, quia naturalis filius Adæ; ideò debitrix est iustitiæ originalis datæ à Deo ipsi Adæ pro omnibus filijs; & caret ea; ergo habet peccatum originale. Contrahitur igitur istud peccatum in carne, in quantùm est naturalis ratio, & ex hoc debet iustitiam, qua per peccatum Adæ caret.* Hucusque Scotus, & rectè.

93 *Quando* demum contrahitur à posteris? Ex dictis est deductu facile; si enim Adamus non solùm naturale, sed morale simul humanæ fuit propaginis caput, ea ratione videlicet, vt ipso accipiente, nos etiam acciperemus, & ipso amittente, nos etiã acceptam iustitiã amiserimus; vndè posteros peccasse in Adã, nil aliud sit, quàm amisisse iustitiam in ipso, & amisisse iustitiam in ipso, nil aliud sit ad aures Scoti, quàm intuitu demeriti primi Parentis, acceptam perdidisse iustitiam; tunc primò debitores existunt homines recenter nati, ac proindè peccatores, cùm primò sint homines. In puncto igitur animationis, propter Adami demeritum, maculam originalem contrahunt, atque peccatores existunt.

*Cæterùm*, licèt post Baptismum in nobis remaneat pronitas in malum cum debito habendi iustitiam originalem, imò verò carentiam eiusdem originalis iustitiæ; non tamen inferendum est, remanere in nobis culpam originalem: quia non solum conuellitur in ratione

offensæ, quam dicit per respectum ad peccatum Adami; sed etiam vt dicit carentiam originalis iustitiæ; non per collationem habitus oppositi, qui est ipsamet originalis iustitia, sed per infusionem doni, non æquiualentis solummodò, sed longè superexcedentis, quæ est gratia habitualis, vnica, & sola formalis causa iustificationis humanæ. Ita docuit Scotus sub, I, loco fræquenter memorato §. ad argumentum quæstionis 4. vbi subtiliter hac de re discurrit. *Hac notata doctrina*; ex illa prosequor propositiones.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Peccatum Originale non est aliqua morbida qualitas.*

94 DE hac re iam patet ex superioribus notatis. *Legitur Scotus in 2. dist. 32. §. ad primum dicitur, &c.*

*Vt intelligatur* propositio nostra; moneo: quòd docentes, maculam originalem collocandam in morbida qualitate, ita discurrunt. *Primò* enim dicunt, corpus Adæ post peccatum fuisse infectum aliqua morbida qualitate, seù contagione. *Secundò*, hanc qualitatem non solùm fuisse in carne, sed etiam in semine Adæ. *Tertiò*, hinc fieri, vt omnes posteri, qui ex Adami semine nascuntur, contrahant eandem qualitatem in carne. *Quartò*, ex hac qualitate carnis, deriuari similem qualitatem in animam, idquè fieri in puncto conceptionis, quando anima carni coniungitur. *Quintò*, vtrãque qualitatem, tàm illam, quæ in anima reperitur, quàm, quæ in corpore est, posse vocari concupiscentiam. *Sextò*, solam posteriorem, quæ in anima sedem habet, esse peccatum originale. Exemplo res declaratur: si quis daret pulchrum pomum alicui, qui manus haberet fœtidas; tunc pomum redderetur immundum ob immunditiam manuum. Ad rem nostram; anima in se pulcherrima est, corpus autem est immundum, & ita quando anima vnitur corpori, efficitur immunda: quia corpus quamdam immũditiam causat in anima; quæ immunditia causata à corpore, est qualitas quædam morbida, & in hac putant nostri aduersarij, consistere peccatum originale.

95 *Impugnatur tamen* hic dicendi modus. *Primò*: quia falsum assumitur, dùm dicitur, in corpore esse quamdam morbidam qualitatem, à qua causetur qualitas

litas fœtida in anima. Ratio est: quia non apparet tantum dominium voluntatis supra corpus, vt illud possit physicè alterare per morbidam qualitatem. *Secundò* ponunt isti Doctores qualitatē in corpore, vt insurgat rebellio appetitus sensitiui contra rationem: at propter istam rationem minimè est ponenda talis qualitas in corpore: ergo, &c. Minor probatur. In statu puræ naturæ non foret in corpore talis qualitas: (rebellio tamen contra rationem esset in corpore) ergo sinè necessitate ponitur talis qualitas. *Tertiò*, gratis concessa ea qualitate in corpore, talis qualitas non posset producere qualitatem in anima: quippè qualitas in anima esset spiritualis, & consequenter non posset esse, tanquàm à causa totali, à re corporea. *Item*, vel Deus esset author, & causa illius qualitatis, vel non? Si primum dicas, iam Deus esset author peccati, quod damnat *Tridentinum sess. 6.* Si secundum dicas; iam daretur aliquod ens reale, non habens esse à Deo, quod concedit nullus. *Item*, ista morbida qualitas appellata cōcupiscentia, vel tollitur per Baptismum, vel non tollitur? si non tollitur: ergo peccatum originale maneret post Baptismum, quod dicet nemo; si tollitur; iam in homine post baptismum non esset concupiscentia contra D. Paulum *Ad Romanos c. 7. nu. 23.* cantantem. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, &c.* & D. Iacobum c. 1. suæ epistolæ catholicæ docētem: *vnumquemque tentari à concupiscentia sua, &c.*

96 *Impugnant aduersarij* nostram propositionem ex varijs authoritatibus Sanctorum, & præcipuè *ex Augustino lib. 5. contra Iulianum*, dicentem: *animā in corpore vitiari, tanquàm in vase vitiato. Respondemus*, Augustinum tantùm velle, animam tunc incurrere originalem maculam, quando corpori vnitur; non ergo determinat ibi Sanctus Doctor, quænam sit ratio formalis maculæ originalis? Hinc omnes authoritates D. Augustini exponendæ sunt eo in sensu, quo à Scoto exponuntur *in 2. dist. 32. §. ad primum tertiæ quæstionis*, docens mentem Augustini esse, quod anima ex carne maculetur occasionaliter, vel instrumentaliter, in quantum forma carnis ex semine Adæ propagatæ constituit naturalem filium eius, qui debitor est originalis iustitiæ. Consulantur à nobis dicta, explicando mentem Scoti *prop. 2.*

## PROPOSITIO QVINTA.

### *Originalis labes non est formaliter ipsa concupiscentia.*

97 PRobatur: quia illud totum, quod rationem habet peccati, hoc in Baptismo aufertur ex doctrina *Tridentini sessione* 5.& deducitur ex illo Romanorum 8. *Nihil damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu.* Item Ioannis primo dicitur: *Sanguis Christi emundat nos ab omni peccato*: sed post Baptismum in nobis manet inclinatio, seù concupiscentia ad malũ ex illo ad Rom. 7. ergo concupiscentia, cùm post peccatum maneat, minimè erit ipsum peccatum originale. *Lutherani* toto conatu ex varijs authoritatibus nostram impugnãt propositionem; sed quia apud Theologos cunctos, & proponuntur, & soluuntur, ideò sileo. Noto tamen cum *Tridentino sess.* 5. concupiscentiam dici peccatum, quia est effectus eius, & ad peccatum inclinat. Vndè *Augustinus primo de nuptijs* 23. obseruat, aliquando effectum nuncupari nomine, quo vocatur sua causa, & sic locutionem expeditam, bonam linguam appellamus, & scripturam pulchram dicimus bonam manum, accipiendo scilicèt effectum pro causa; hac etiam ratione dicitur de Christo, factum esse pro nobis peccatum, non quod Christus in se sit peccatum; est ergo sensus; Christus passus est pœnam peccati. Ita in proposito. Concupiscentia dicitur peccatũ originale, non quod verè sit peccatum originale, sed quia est effectus peccati originalis.

## PROPOSITIO SEXTA:

### *Macula originalis non consistit formaliter in Reatu, seù in ordinatione ad pœnas.*

98 PRobatur: malum pœnæ supponit culpam: ergo si paruuli digni sunt pœna, iam in ipsis supponitur culpa, seù peccatum;

catum; ac proindè non constituuntur peccatores ab ordinatione, seù à reatu ad pœnam. Antecedens patet: nam ordinatio, seù dignitas ad præmium præsupponit bonitatem; ergo relatio ad pœnam supponit malitiam, seù peccatum; ergo peccatum minimè consistit in ordinatione ad pœnam. *Item* peccatum originale est verè, & propriè peccatum; sed reatus consequitur ad peccatum: ergo reatus non est peccatum originale. Minor patet: nam ideò homo est ordinatus ad pœnam, quia est in peccato: ergo peccatum supponitur ad ordinationem. *Item* ordinatio ad pœnam est effectus Dei: ergo ordinatio talis, vel reatus nequit esse peccatum. *Item* ordinatio ad pœnam est bona, peccatum autem minimè: ergo, &c. *Item* ordinatio ad pœnam placet Deo; peccatum non placet Deo: ergo &c.

99 *Nostram propositionem* ex varijs capitibus impugnant aduersarij. Primo ex authoritate Scoti, *qui in 4. dist. 14. §. dico ergo, &c.* docet, quod transacto actu peccati, nil remanet in peccatore, nisi quædam relatio, seù dignitas ad pœnam; vndè si secundùm Scotum homo dicitur habitualiter peccator ab ordinatione ad pœnam; etiam poterit homo dici originaliter peccator ab ordinatione ad pœnam. *Respõdemus pro nunc*, quòd licèt ita legat Scotus; hoc tamen debet intelligi concomitanter; quia primariò homo dicitur peccator ab ordine, quem habuit ad peccauisse. Vel clariùs, homo dicitur peccator ab ipso peccato, physicè transacto, moraliter tamen perseuerante. Sic habet Scotus in 4. dist. 21. q. 1. sub, *E*, & *F*, vbi iuxta Sanctorum placita, latum discrimen ponit inter remissionem culpæ, & pœnæ; aliud ergo secundùm Scotum, pœna, seù reatus; & aliud culpa, seù peccatum. Quæ adducuntur contra nos ex D. Augustino, exponantur expositione, qua exposuimus Scotum.



PRO-

# PROPOSITIO SEPTIMA.

## *Ratio formalis maculæ originalis non consistit in ipso peccato indiuiduali, & actuali Adæ extrinsecè denominante peccatores, omnes ab ipso descendentes.*

100 PRobatur primò: quia Arausicanum Secũdũ Canone 2. ait: *Si quis dixerit, Adam inquinatum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas corporis tantùm in omne genus humanum transfudisse, non autem & peccatum, quod mors est animæ, anathema sit*: cum contradicat Apostolus *ad Roman. c.5.* dicens: *Per vnum hominem peccatum in hunc mundum intrauit*: ergo Adã verè transfundit peccatum, & nõ solam peccati pœnam. Idem ait Tridentinũ eisdem ferè verbis *sess. 5. de peccato originali, Canone 2.*

*Deindè secundò*: quia ita diffinit esse, Tridentinum loc. cit. can. 3. *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine vnum est & propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest vnicuique proprium, &c.* ergo peccatum Adæ, omnibus transfusum est, & vnusquisque habet illud propriũ, ac proindè est omninò extrinsecum, & extrinsecè denominans. *Tertiò*, quia *Tridentinum Canone 4.* diffinit, paruulos cõtrahere ex Adamo aliquid, quod lauacro necesse sit expiari: ergo contrahunt peccatum, & eius maculam.

101 *Quartò*; quia Tridentinum Canone 5. ait: *Si quis per gratiam Christi, quæ in Baptismate confertur, asserit non tolli totum id, quod veram, & propriam habet rationẽ peccati, &c. anathemata sit*: ergo verè contrahitur ratio vera, & propria peccati, & non sola denominatio extrinseca à peccato primi parentis. Ibidem diffinitur; per Baptismum non tantùm radi, aut non imputari peccatum; sed tolli, &c. *Quintò*: quia Apostolus *ad Romanos 5. nu. 12.* ait, non tantùm omnes in Adam peccasse, sed etiam peccatum intrasse in hũc mundum; intrare autem peccatum, non est extrinsecè denominari à peccato, sed in se continere formaliter peccatum. *Sextò*, Baptismus est in remissionem peccatorum: ergo in pueris sunt intima peccata, & maculæ lauandæ. *Septimò*: quia gratia Christi transfunditur transfusio ne

sione intrinseca, & non sola denominatione extrinseca: ergo similiter culpa Adami: quia Paulus loco suprapoſito comparat peccatum Adami cum gratia Christi; ideò rectè *Ioannes epist.* 1. c. 1. n. 10. *si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, mendacem facimus eum, &c.*

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Peccatum originale non est illud indiuiduum peccatum, quo Adam actualiter peccauit, vt transfusum ratione originis in filios, eosquè constituens intrinsecè peccatores.*

ITa communis sententia ferè omnium Doctorum, qui si aliquando aiunt, peccatum Adæ esse nobis originale, tantùm designāt, esse nobis originale actiuè, idest originem, ex qua nostra originalia peccata emanarunt.

102 *Probatur primò*: quia peccatum actuale Adæ, per pœnitentiam Adæ fuit sublatum, & penitùs destructum: ergo illud non manet integrum in filijs; res enim esset mira, & absque necessitate idem peccatum, si in vno subiecto destrueretur, & in alio illæsum permaneret. *Secundò*: quia effectus peccati originalis, vt concupiscentia, & mors, in diuersis numero hominibus, est numero diuersus; ergo & ipsum peccatum est diuersum. *Tertiò*: quia peccatum est priuatio rectitudinis debitæ: ergo in multis subiectis, est multiplex numero: quia priuatio multiplicatur iuxta multiplicationem subiectorum, vt patet in cæcitate, surditate, & alijs; hinc patet, quòd peccatum originale filiorum Adæ de facto non sit illud singulare peccatum Adæ, sed esse multiplex iuxta multiplicationem filiorum.

103 *Varij Doctores* citantur contra nostram propositionem, quos non signo: quia credo, illos esse locutos eo in sensu, quo eos declarauimus in initio huius propositionis. Varia certè argumenta proponuntur contra nostram propositionem. Ea nos notabimus, ijsquè pro viribus satisfaciemus.

*Ad probandum ergo* peccatum originis esse ipsam inobedientiam esus vetiti cibi, quæ in Adam fuit peccatum actuale, esse

esse in nobis originale, probant sequentibus argumentis. *Primò*: quia ex *Romanorum* 5. *n.* 12. dicitur: *in quo* (scilicet in Adamo) *omnes peccauerunt*, & *nu.* 19. *per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*, &c. Ex Oseæ 6. n. 7. *Ipsi sicut Adam, transgressi sunt pactum meum: ibi præuaricati sunt*, &c. ergo illud ipsum peccatum Adæ, est nostrum; respectù Adæ actuale, & respectù nostri originale. *Respondetur*, omnes in Adam peccasse, vel ratione debiti contrahendi peccatum diuersum; vel ex eo, quod in Adam, vt in fonte venenato cuncti biberunt, & ita perierunt.

104 *Secundò arguunt contra nos*. Ioannis primo; peccatum Adami dicitur in textu Græco peccatum mundi; & ad Romanos 5. dicitur, intrasse in hunc mundum: ergo non est opus adducere nouum, & distinctum peccatum. *Respondetur*, peccatum Adæ dici peccatum mundi virtute tantùm; ex eo quod fuit causa peccatorum mundi; similiter intrauit per peccata ab ipso deriuata.

*Tertiò*. Voluntas Adami erat moraliter nostra: ergo similiter actus voluntatis ipsius erat noster, atque adeò, & peccatum originale, per hoc enim vnum mors intrat in mundum; intrat autem per illum esum vetitum ex Gen. 2. *In quacumque die comederis, morte morieris*. *Respondetur*, peccatum Adæ virtualiter tantùm, & originaliter esse nostrum peccatum originale; non verò formaliter, & actù est peccatum illud originale, quo ego actù, & formaliter sum peccator.

105 *Quartò*. Peccatum Adæ fuit transmissum in posteros: ergo transmisit Adam illud peccatũ, quod in se habuit; sed non habuit aliud, quàm actuale: ergo illud met erat originale, & actuale. *Respondetur*, Adam habuisse originale peccatum, tamquàm primam originem transmittentem in posteros peccatum originale, tãquàm effectum actualis inobedientiæ contra Deum.

*Quintò*. Præceptum de non comedendo, propositum fuit Adamo, vt homini, & Capiti morali omnium: vndè dixit Eua, sibi fuisse impositum illud præceptum: ergo violatio illius fuit Adami, etiam vt hominis, & capitis continentis omnes; atque adeò fuit peccatum originale. *Respondetur*, præceptum illud abstinendi ab arbore vetita, propositum fuisse Adamo, vt Capiti, quo violante, reliqui fierent violatores violatione deriuata ex Adami violatione. *Sextò*. Fauet *Isaias* 64. *nu*. 6. *Cecidimus quasi folium vniuersi*. Respõdemus, sicut fuit prius.

PRO-

# PROPOSITIO NONA.

## *Peccatum originale formaliter non est priuatio gratiæ, vel vllius doni habitualis.*

106 PRobatur primò: quia peccatum personale, seù actuale mortale; formaliter essentialiter non est priuatio gratiæ, & iustitiæ habitualis: ergo nec peccatum originale erit priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis habitualis. Antecedens patet: quia priuatio gratiæ, & iustitiæ est effectus peccati, supponens peccatum, vt causam, nam, vt sit peccatum, non exigitur priuatio gratiæ; cùm in puro statu naturæ, nulla existente gratia, posset esse peccatum; nempè violatio legis, & priuatio rectitudinis, quæ consistit in eo, quod est non peccasse, aut legem non violasse, aut nihil perpetrasse contrà rectam rationem.

*Sit tale argumentum*. Peccatum originale essentialiter esse posset in statu naturæ puræ, tantùm ordinatæ ad finem naturalem: ergo essentialiter non est priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis. Antecedens patet: quia in tali statu posset Deus constituere hominem caput morale totius posteritatis, & ei præcipere, nè comederet de ligno, aliàs ipsum peccaturum, & in ipso, posteritatem peccaturam peccato gulæ opposito rectæ rationi, & legi Diuinæ. *Sit hoc argumentum*; eo in casu peccatum originale non fuisset priuatio iustitiæ originalis habitualis: quia hæc non esset debita, vt supponitur: ergo de facto ratio formalis peccati originalis minimè est priuatio iustitiæ originalis habitualis. Consequentia probatur, quia essentiæ rerum sunt immutabiles; qua ratione, si de essentia hominis est rationalitas, in quacumque statu debet esse rationalis: quippè quæ possunt adesse, & abesse ab aliqua re, non sunt de essentia illius rei.

107 *Sit altera ratio*. Priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis est pœna peccati originalis: ergo non est culpa, seù ratio ipsius peccati originalis. *Vrgetur ratio*. Priuatio gratiæ, & iustitiæ originalis propriè est à Deo; Deus enim propter peccatum Adæ, illum, & posteros priuat gratia, & iustitia originali: ergo ista priuatio tantùm est pœna, & effectus peccati, non tamen ipsum pec-

catum formaliter.

*Responderi potest*; priuationem gratiæ hanc posse dupliciter cōsiderari; *vno modo*, vt est à Deo puniente Adamum, & posteros eius propter inobedientiam, & sic esse solū pœnā, & à Deo proficisci. *Altero modo*, vt est ab homine, scilicèt ab Adamo, qui nomine suo, & totius posteritatis voluit gratiæ, & donorum priuationem; cùm tamen non velle debuisset, & sic habere rationem peccati originalis, & nō à Deo. *Friuola solutio*: ex illa enim sequeretur, nullam esse pœnam propter culpas à Deo inflictam, quæ non posset dici, & esse peccatum. Si enim mors, ægritudo, & dedecus considerentur, vt volita à peccatore, quatenus voluit peccatū, propter quod à Deo infliguntur, non minus dici poterunt habere rationem peccati, quàm priuatio gratiæ, seù iustitiæ originalis, cùm eadem ratio sit; hoc autem esse alienum à communi sensu, negabit nemo: ergo.

108 *Adde*, quòd Adamus, & posteri in ipso contenti, non aliter voluerunt priuationem iustitiæ originalis habitualis, quàm volendo transgredi Diuinum præceptum; nec enim fuit illis lex specialis imposita conseruandi iustitiam, sed seruandi cætera mandata: ergo in voluntate transgrediendi legem, nō autem in priuatione iustitię habitualis est ratio peccati; illa enim voluntas fuit à nobis, & contra Dei voluntatem. *Concludo*, quòd peccatum originale non sit ipsa formalis gratiæ, & iustitiæ originalis priuatio, sed quid prius, ad quod sequitur talis priuatio. Imò posset inueniri peccatum originale, quod non haberet consequentem istam priuationem actualem; vt si Deus nec Adamo, nec filijs eius gratiam contulisset, & tamen obligasset eum, & filios in ipso ad abstinēdnm à cibo vetito: tunc enim per comestionem prohibitam fieret Adam transgressor, & similiter in ipso eius filij, qui contraherent originale peccatum, absque vlla gratiæ priuatione.

109 *Multa videntur* esse contrà nostram conclusionem, & præcipuè Scotus in terminis pugnat contra nos *in 2. dist. 32. §. quo ad primum, &c.* vbi ita legit; *peccatum originale est formaliter carentia iustitiæ originalis debitæ, & non qualitercumque debitæ, sed debitæ, quia acceptæ in primo parente, & in ipso amissæ.* In fauorem huius sententię Scotus adducit *D. Anselmum lib. 1. de conceptu virginali cap. 27.*

110 *His tamen non obstantibus*, dico, nostram propositionem esse ad mentem nostri subtilissimi Scoti. Primò; quia *Scotus in 4. dist. 14. q. 1.* impugnat sententiā asserentem, peccatum habituale consistere in quadam relatione extrinsecùs aduenienté; & sic argumentatur: Illa relatio esset

effe-

effectus Dei: ergo in illa relatione non potest consistere peccatum. Consequentiam probat Scotus. A termino actionis Diuinæ homo non potest dici peccator: ergo, cùm illa relatio extrinsecùs adueniens sit terminus actionis Diuinæ, nequit anima ab illa dici peccatrix. *Nunc sit tale nostrum argumentum.* Priuatio originalis iustitiæ habitualis est effectus Dei: ergo ad aures Scoti, anima non potest dici peccatrix à priuatione iustitiæ habitualis. Consequentiam probo: quia ad aures Scoti, anima non potest dici peccatrix ab ea re, quæ est terminus actionis Diuinæ, sicut est iustitia originalis ex doctrina tradita *in 2. dist. 29.*

111 Secundò, *Scotus in 2. dist. 32. §. ad argumenta quæstionum lit. I.* explicans illud tertiò Ethicorū de cæco nato, &c. expressè vocat priuationem originalis iustitiæ, pœnam increpabilem: ergo si pœna, iam non est culpa; patet discursus, quia secundùm *Scotum in 4. dist. 21. q. 1. sub F*, est latum discrimen inter remissionem culpæ, & pœnæ; aliud ergo est culpa, & aliud pœna. Tertiò, *Scotus in 2. dist. 32.* explicans, quomodò possit vitari peccatū; habet, quòd etsi pueri in se vitare non potuerint peccatum, tamen potuerunt vitare peccatum in illo, per quem contraxerunt peccatum. Ex hac doctrina patet, quòd pueri peccarunt cum Adamo, & sic in multorum sententia, peccatū Adæ est peccatum puerorum. Hoc stante; *sic argumentor*. Peccatum, quod nos in generatione cōtraximus in probabili sententia aliquorū Scotistarum, est peccatum Adæ: sed secundùm omnes peccatum Adæ non est priuatio originalis iustitię habitualis: ergo nostrum originale peccatum non est priuatio iustitiæ originalis. Minor patet; nàm ideò Adam priuatus fuit originali iustitia, quia peccauit: ergo priuatio originalis iustitiæ est pœna peccati. Argumentùm hoc valeat, quantùm potest. *Adde* secundùm Scotum *in 2. dist. 37. & in 4. dist. 14. q. 1.* quòd peccatum non est priuatio gratiæ, imò hæc sequitur ad peccatum, vt illius effectus. Sic dicendum de iustitia originali.


112 *Ad Scotum ergò dicimus*, ipsum esse locutum in sensu causali, scilicèt voluisse, priuationem iustitiæ originalis esse effectum peccati; appellauit ergo Scotus pœnam peccati, peccatum, sequens exmplum Scripturæ, quæ vocat Christum, peccatum, dicendo: *Christus factus est pro nobis peccatum*; non quod Christus factus sit peccatum; sed sensus est: Christus factus est pro nobis pœna peccati; vt dictum est n. 97. Patet ergo ad Scotum.

*Extranei* etiam insurgunt cōtra nos. *Primò*: quia peccatum originale est mors animæ, ex Arausicano 2. *cap.* 2. & Tridentino *sess* 5. ergo est priuatio gra-

tiæ, & iustitiæ originalis: quia sola ista priuatio est mors auferens vitam animæ. *Respondetur* negando absolutè, peccatum originale esse formaliter mortem animæ: nam mors animæ scilicèt priuatio habituum supernaturalium est effectus, seù pœna subsecuta ad peccatum.

113 *Secundò*. Iustitia originalis erat quædam gratia; & rectitudo, eratquè debita inesse Adamo, & posteris eius:ergo priuatio talis rectitudinis est originale peccatum:habet enim omnia requisita ad rationem peccati; est namque malum, & naturæ rationali oppositum, & quodammodò voluntarium. *Respondetur* negandò, priuationem iustitiæ originalis habere formaliter omnia requisita ad culpam, & ad rationem formalem peccati; est enim malum naturæ rationalis, non primarium, sed secundarium, & effectus mali primarij, & per se, videlicèt peccati.

114 *Tertiò*. Priuatio iustitiæ, & sanctitatis originalis, non est pœna peccati: ergo est ipsum peccatum originale. Antecedēs patet:nam priuatio iustitiæ originalis facit puerū dignum pœna, nempè priuatione gloriæ, quæ est summa pœna; vna autem pœna non reddit hominem dignum alia pœna. *Negatur*, priuationem hanc non esse pęnam, connexam tamen cum alia pœna priuationis gloriæ. *Quartò*. Primarius effectus Baptismi instituti ad delendum peccatum originale, est gratia regenerationis: nam *sess*. 5. *Tridentini Canone* 4. dicitur, paruulos baptizari, vt in ipsis, regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt: ergo priuatio talis gratiæ est peccatum originale. *Conceditur*, primum effectum Baptismi esse gratiam regenerationis, idest gratiam expulsiuam omnis peccati contracti per generationem, quod erat causa, & radix priuationis gratiæ; non verò ipsamet priuatio gratiæ.



PRO-

# PROPOSITIO DECIMA.

*Peccatum originale in posteris, est peccatum eiusdem rationis, & speciei cum peccato habituali, quod manserat in primo Parente ex actu præterito peccati.*

115 PRobatur primò. Quia originale peccatum est peccatum habituale, seù per modũ habitus, & non per modum actus, cùm contrahatur absque vlla actus proprij existentia actuali: ergo erit persimile ei peccato, quod remásit in Adam post actum peccati; non enim persimile secundùm essentiam adulterio, nec periurio, nec homicidio habituali: ergo erit persimile intemperantiæ, qua Adã dicebatur peccator habitualiter post intemperatam comestionem, & ante retractationem illius. *Secundò*: quia, Adam peccante, omnis posteritas peccauit; sed non peccauit peccato Adami actuali: ergo peccauit peccato Adami habituali, contrahendo rationem generationis. *Tertiò* idem colligitur ex *Paulo Rom.* 5. *nu.* 14. illis verbis: *Regnauit mors ab Adam vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt in similitudine prauaricationis Adæ*: ergo tantum qui peccant in similitudinem præuaricationis Adæ, idest peccato habente similitudinem cum peccato Adæ; similitudo autem est inter ea, quæ sunt eiusdem essentiæ, & speciei. Hinc fit vt peccatum habituale Adami, & peccatum originale filiorum eius, solùm numerò intra eamdem speciem distinguantur, additis aliquibus differentijs accidentalibus.

116 *Prima est*, vt peccatum habituale Adami, tũc fuit remissum, cum remissum fuit actuale per actum propriæ pœnitentiæ, non verò originale filij, & ideò post actam pœnitentiam Adami, & remissum eius peccatum actuale, posteritas nascitur in peccato originali. *Secunda est*, vt habituale peccatum Adami ortum fuerit ex actu proprio ipsius Adami; at nostrum originale peccatum ortũ est ex actu alieno, nempè ex actu proprio ipsius Adami, qui physicè noster non erat; quarè actus peccati Adami fuit origo prima, ex qua non tãtùm pullulauit peccatum habituale Adami, sed etiam peccatum originale totius posteritatis

tis humanæ, posita generatione, tamquàm conditione requisita. Fit etiam, vt peccatum originale in omnibus posteris sit æquale in grauitate, & deformitate, quia causa, ex qua capit ortum, est idem actus peccati, licèt ex naturali cuiuscumque complexione, & cōstitutione, vnus sortiatur maiorem, & vehementiorem propensionem ad peccandum, quàm alius, non aliter, ac si vterque esset constitutus in statu puræ naturæ. Propēsio enim ista non est formaliter originale peccatū; sed quidē effectus eius.

*De modo autem*, quo peccatū originis fluat à primo Parente in filios est difficultas: an vt trāsfunderetur à primo Parente in liberos, intercesserit pactum Dei. Aliqui ex recentioribus negāt huiusmodi pactū inter Deū, & Adam, cōtendūtquè, illud esse fabulam, inter quos est *Sotus lib. 1. de natura, & gratia, cap. 20.*

# PROPOSITIO VNDECIMA.

*Inter Deum, & Adam intercessit pactum, quo data est gratia, & iustitia Adamo pro se, & pro liberis, ea conditione, vt ipso non peccante, frueretur ipse, & filij tali dono; ipso verò peccante, spoliarentur illo, tamquàm transgressores pacti.*

117 PRobatur ex illo *Gen. 2 n. 17. de ligno scientiæ boni, & mali nè comedas; in quacumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: sed ista pœna se extendit ab Adamo ad posteros: ergo similiter præceptum, & pactum: Genesis 17. *nu.* 14. *pactum meum irritum fecit*; quod Diuus Augustinus 2. *de nuptijs, & concupiscentia* refert ad pactum Dei cum Adam. Osea 6. n. 7. *ipsi sicut Adam, transgressi sunt pactum, &c.* Ecclesiastici 15. *nu.* 15. hoc pactum clarè expressum est. *Adiecit mandata, & præcepta sua; si volueris mandata seruare, conseruabunt te, &c.* ergo ex scriptura manifestum est pactum Dei cū Adam, & eius posteritate in Adam, vt in Capite morali existente. *Ratio* hoc adhùc ostendit: quia peccatum Adę nocuit liberis, & non aliud, nisi peccatum comestionis: ergo erat pactum, & ordinatio Diuina ratione cuius, illud peccatum erat nobis nociturum; aliàs quoduis aliud peccatum Adę, imò, & cuiusuis alterius nobis noceret.

118 *Hinc*

118 *Hinc fit primò*, vt nequeat negari pactum expressum inter Deum, & Adamum, vt patet ex illis verbis: *in quacumque die comederis ex eo, morte morieris*. Fit secundò, vt pactum inter Deum, & Adamum pro posteritate, aliqua ratione celebratum saltem implicitè, non possit negari: quia pactum pro Adamo non potest negari: ergo nec aliquod pactũ pro posteritate potest negari: quia minùs est necessarium pactum pro Adamo, quàm pro posteritate; nam qui peccat absque vllo alio pacto, & ordinatione, est dignus spoliatione donorum supernaturalium pro se, non verò pro posteritate; atque adeò magis necessarium, vel congruũ erat hoc pactum pro posteritate.

*Vasquez disp.* 133. *cap.* 1. ait, hoc pactum expressum pro posteritate non ita constare, & fortè necessarium non esse, sed sufficere voluntatem, & constitutionem Dei, qua decerneret priuare posteritatem gratia, Adamo peccante. Sed contra hunc Authorem sit.

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Hoc pactum expressum fuit pro posteritate.*

119 Probatur, quia Adam se cognoscebat per reuelationem, tamquàm Caput, non solùm naturale, sed etiam morale totius posteritatis, vt est communis sententia: ergò cognoscebat, se esse obligatum ad agendas partes, non tantùm suas, sed etiam totius posteritatis, in obseruando præcepto imposito sibi, vt Capiti: ergo eo ipso relucebat ordinatio Diuina, & pactum expressum. *Deindè*: quia Deus pepigit alia pacta minoris momenti, vt pactum cum Noe de non amplius mittendo diluuium *Gen.* 9 *n.* 11. & cum Abraham de Circumcisione *Gen.* 17. *n.* 10. cum Isaac, & populo Iudæorum, de danda terra: ergò multò magis pepigit expressum pactum, dando iustitiam originalem Adamo, & pro se, & pro sua posteritate deriuãdam, præcepto obseruato; negandam verò, præcepto violato.

# DVBIVM.

## *An tale pactum fuerit necessarium simpliciter ad deriuandam iustitiam, aut culpam in posteros.*

AFfirmabit quis ex eo, quod peccatum non deductum in pactũ aliquo modo, nec à Patre, nec à Matre, non deriuatur in filios; ergo vt deriuetur, opus est pacto.

# PROPOSITIO TERTIADECIMA.

## *De Potentia absoluta, sinè tali pacto potuisset deriuari.*

120 PRobatur, quia sufficit ordinatio Diuina, vt Deus propter peccatum Patris, aut etiam Matris puniat posteros, eosquè sibi reputet inimicos, & auersos à suo præcepto, ac proindè peccatores, sicut etiam sinè pacto potuisset propter actũ Christi, nos reputare iustos, & filios; hoc tamen non ita expedit Diuinæ pietati: durum enim esset, vt filius cuiusuis patris, aut aui contraheret originales culpas, atque ita dicendum absolutè, congruum esse Diuinæ pietati, & Misericordiæ, vt nunquam permittat, peccatum deriuari à Parentibus in liberos, nisi illud, quod deductum fuit in Patrem.

## *Petes. Quodnam peccatum sit transfusum.*

121 RAtio dubitandi est; quia in Adam fuerunt plura, peccata, verbi gratia, intemperantia, seù gula, inobedientia; superbia, timor, & inordinatus amor in Coniugem; nec videtur maior ratio transfusionis vnius, quàm alterius.

# PROPOSITIO QVARTADECIMA.

*Peccatum transfusum est inobedientia comedendi de arbore prohibita.*

PRobatur ex illo ad *Romanos 5. nu. 19. per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi*; & Gen. 2. *In quacumque die comederis ex eo, morte morieris, &c.* scilicet, tu, & tui tecum; Vnde Tridentinum citatum diffinit, hoc peccatum nobis nocuisse.

## *Petes Vtrùm alia peccata primi Parentis, vel peccata aliorum traducantur in filios?*

# PROPOSITIO QVINTADECIMA.

*Pars negatiua quoad vtramque partem est verior.*

122 PRobatur. Ratio est: quia tantùm respectù Adæ, & præcepti conseruandi iustitiam, fuit facta institutio de iustitia in posteros transfundenda, vel de eius priuatione, non obseruando præceptum. Quod alia peccata Adæ non fuissent translata, colligitur ex *Tridentino sess. 5. decreto de originali*, vbi ait, *originale esse vnum*: at plura essent originalia, si alia peccata Adæ transfererentur: ergo, &c. *Quod verò* aliorum Parentum peccata non transfunderentur; patet: quia nullum legimus de hac transfusione Patrum. *Legatur Scotus in 2. dist. 32.*

*Secundam* partem tenet Scotus *ibidem §. ad argumenta tertiæ quæstionis.* Videtur tamen contra D. Thomam de malo *q. 5. art. 4. ad octauum*; vbi ait: Adamo perseuerante, si aliquis ex posteris eius peccasset, quòd posteri huius haberent originale. *Dices contrà*: si filius Adæ peccaret, amitteret iustitiam originalem; ergo trãsfunderet naturam priuatam ea. *Respondetur* negando cõsequentiam: quia secluso Dei pacto, tale peccatum foret personale tã-

tùm. *Dices secundò*: si Adam post habitam pœnitentiam, peccasset, perdidisset gratiam posteris: ergo, &c. *Negatur* antecedens: quia pactum tantùm fuisset de primo peccato.

# DVBIVM.

## *Vtrùm filij geniti ante peccatum Adæ, contraxissent peccatum, si Adam postea peccasset?*

## PROPOSITIO SEXTADECIMA.

### *Pars negatiua est verior.*

123 PRobatur. Adam solùm accepit iustitiam transfundendam cum natura: ergo peccata commissa ab Adamo post transfusam naturam, non nocerent posteris. *Secundò* videtur contra Dei bonitatem, homines iam genitos fieri peccatores, sinè vllo actu suo. Fateor, rationes non multùm vrgere; fundantur tamen in authoritatibus Patrum docentium: peccatum transfundendum in seminis propagatione.

## *Petes. Vtrùm, Adamo peccante, & non Eua, vel è contra, posteri nascerentur peccatores.*

## PROPOSITIO DECIMASEPTIMA.

### *Solo Adamo peccante, posteri fierent peccatores; Eua sola peccante, non contraheretur originale.*

124 PRima pars huius propositionis est Alensis 2 *p. qu.* 105 *membro* 3. *art.* 1. Probatur: quia scriptura, & Patres docent, nos in Adam peccasse, & in eo mortuos esse: Romanorum 5. dicitur: per vnum hominem peccatum intrasse, & statim dicitur,

citur, illum vnum esse Adam. *Dices*; quod nomen Adam in hebræa lingua est cōmune tam viro, quàm mulieri, iuxta id Gen. 5.nu.2. *Masculum, & fœminam creauit eos, & vocauit nomen eorum, Adam, &c.* Respondetur, tātùm illa verba; per vnum, &c. in Græco, & Latino sunt masculini generis, & ab omnibus Patribus, de Adamo, non de Eua intelliguntur; exceptis Cōmentarijs tributis Ambrosio, & Hieronymo, qui aliter explicāt. Fauet nobis Tridentinum sess.5. Canone 2. & 4.

Secundam partem docet cōmunis consensus. Vndè, quæ videntur probare, Euam partialiter nos infecisse, debent intelligi de occasione, quam dedit Adamo, peccandi. Fateor tamen, nil esse omninò certum.

## *Petes. Vtrùm, si Adam perseuerasset, filij nascerentur impeccabiles, seu confirmati in gratia.*

## PROPOSITIO DECIMAOCTAVA.

### *Pars negatiua est verior.*

125 Videatur Scotus *in 2. dist. 20. q. 1.* Ratio est, quia non nascerentur filij melioris conditionis, quàm ipsi primi Parentes. Anselmus *Lib. Cur Deus homo, cap. 18.* videtur oppositum dicere. Scotus autem cit. §. *ad primum, &c.* piè interpretatur opinionem Anselmi, notans, illum velle dicere, filios tūc impeccabiles: quia filij fuissent tunc mirabiliter adiuti, nè peccassent, tū ob iustitiā originalē, tùm ob sollicitā doctrinā Parentum. Scotus putat, quod si filij superassent primam tentationem, quod essent confirmati in gratia, sicut & ipse Adam, quando primam superasset tentationem. His ergo de peccato originali in se dictis. *De ipso modò in ordine ad Beatam Virginem Mariam, est*

# GRAVE DVBIVM.

## *An Beata Virgo Maria fuerit concepta in peccato Originali.*

126 ILla præuaricatio, quæ totum Adamum actualiter, virtualiter verò totam eius propaginem secundùm corpus, & animam in deterius commutauit, pueris recenter natis, eatenùs propagatione trãsfunditur, quatenùs nullus prorsùs ab Adã naturaliter nascens, eam subterfugere possit, quominùs volens, nolens, ab intrinseco cadat in retiaculo eius. Hoc tamen non obstãte, duplici via potest Deus personam aliquam ab eodem contagio liberare; præseruando scilicet, vel sanctificando. Primus modus simpliciter vetat originale peccatum. Secundus autem tantummodò secundùm quid. Primus modus antecedit infusionem, itaut in eo instãti, in quo debebat maculari natura, præseruata dicatur, & sanctificata simul; vel per infusum originalis iustitiæ donum, vel per habitum gratiæ iustificantis. Secundus modus infusionem prosequitur, itaut maculata in vtero matris natura ab originis labe in vno puncto, statim in puncto subsequenti per accessum habitualis iustitiæ, sanctificatio eiusdem personæ, recenter conceptæ, sequatur. Priori modo, etsi ante tempora Scoti, nullus prorsùs Doctor extiterit, qui determinatè docuerit, personam aliquam sãctificatam fuisse; & loquendo de Virgine eo siquidem salis grano, lentè festinantes incedebant authores, vt huiusmodi circa negotium viderentur mutuli.

Illo tamen in mundum adueniente Doctore, quem Deipara Virgo in sui tutelã emandarat è Cœlis in terram, totus ferè mundus post eum iuit, Virginem ab originali labe, declamando immunem.

127 Vndè nos cum Scoto, & maiori parte Ecclesiæ, defendendã suscipimus illam sententiam, quæ Beatissimam Virginem Mariam, docet, nullum contraxisse peccatum originale; sed præseruatam, & præuentam fuisse ipso momento Conceptionis, & primo instãti sui esse, vt immaculatè conciperetur. Ita Phænix illa Theologorum defendit, veritatis lima, Supremus Trinitatis Cancellarius, Dei digitus, formidabile Hæreticorum fulmen,

Cœle.

Cœlestium arcanorũ Aerarius, Diuinæ mentis interpres, nitidissimum Sacræ Theologiæ speculum, Scotici exercitus moderator, arbor vitæ, puteus æterni fontis, noster Pater Frater Ioannes Scotus; Doctor verè subtilis, & ex hoc capite inter alia, laude dignissimus.

*Scotus ergo noster in 3. dist. 3. q. 1. §. ad quæstionem, &c.* cùm dixisset, potuisse Beatam Mariam præseruari ab originali peccato, vel immediatè post instans, in quo illud contraxisset, ab eo mundari, vel denique, non immediatè, sed post aliquod debitum; hæc subdit: *quid autem horum trium factum sit, Deus nouit. Si authoritati Ecclesiæ, vel authoritati Sacræ Scripturæ non repugnet, videtur probabile, quod excellentius est, tribuere Mariæ.* Quod autem Scotus existimauerit, excellentius fuisse præseruari ab originali, & id non repugnare Sacræ Scripturæ, vel Ecclesiæ, patet; tùm quia postea respondet ad omnia argumenta contra Immaculatam Conceptionem; tùm etiam quia in *dist.* 18. *q. vnica, §. hoc viso, &c. lit. G, Beata* (inquit) *Virgo Mater Dei, nunquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis.*

128 *Ex primis Scoti verbis*, quidam parùm in doctrina Scoti versati, ausi sunt dicere, Scotum non assertiuè defendisse hanc sententiam. Certè, si isti modũ Scoti in proponendis suis opinionibus aduertissent, talia non dixissent. Quando enim Scotus aliquam proponit sententiam, modestè, & religionis gratia, ita loquitur. *Videtur dicendum; probabile existimatur, &c.* Huncquè modum hac in re graui, peculiariter obseruauit Religionis splendor Subtilissimus Scotus. Tamen infrà *dist.* 18. *q. vnica, §. hoc viso, &c. lit. G.* assertiuè loquitur, ita scribendo: *est ibi (scilicet in gloria) etiam Beata Maria Mater Dei, quæ nũquam fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis; fuisset tamen, nisi fuisset præseruata. Hæc Scotus.*

*Mirum sanè est*, quãto cõsensu Scriptores Scoto posteriores, imò, & Theologiæ Professores alijq; viri periti hanc Scoti sẽtẽtiã secuti sũt; sed qui potest enumerare arenas maris. Legat, qui volet, innumeros authores apud *Ludouicum Coccium lib. 3. de Deipara, articulo 1. Salmeron in caput 5. epistolæ ad Roman. disp. 42. Suarez, tom. 2. in tertiam partem disp. 3. sess. 5.* ex religiosissima, & doctissima familia Patrum Dominicanorum non desunt clarissima lumina, quæ veritatem Immaculatæ Conceptionis illustrent, & libenti animo amplectantur. Videatur *Pater Frater Petrus Spinel della Portaza nostri Patris Sancti Dominici filius*, qui innumera scripta, & authores ex Dominicana familia adducit,

cit, & pcipuè septuaginta Sacræ Theologiæ Magistros. Quarè Parisijs sancitum est, nullum Doctoratus gradum in Theologorum schola assequi posse, nisi iureiurando, verbis fidem dederit, aut promiserit, pro sententia de Immaculata Virginis Cōceptione se cōstanter staturum; atque promissis mansurum semper, & vbique.

129 *Vt autem omni claritate* procedamus in hac grauissima materia, moneo, quòd de Immaculata Virginis conceptione, nihil certi diffinit Ecclesia; nullusquè Textus est in Sacra Pagina, qui eam demonstratiuè suadeat: aliàs enim Scoti sententia iam foret de fide. Nil determinatum esse ab Ecclesia, conuincit, quod *Sixtus Pontifex Maximus in extrauaganti; Graue nimis. de reliquijs, & veneratione Sanctorum, &c.* disertè docet, *affirmantes, aut negantes Immaculatam Conceptionem Virginis, hæreticos dici, non debere*; imo sententiam Excōmunicationis, ipso facto incurrendam, in eos profert, qui ausi fuerint hæreticos appellare, qui alterutram sententiam defenderint. Certè *Concilium Tridentinum sess.* 5. non longè à fine, videbatur, determinasse Immaculatam Conceptionem Virginis, sed suam mentem aperit, cùm dicit, se innouare prædictum Sixti Quarti decretum, ac propterea non maioris ponderis sunt verba Concilij, quā illis permittatur à Sixti decreto. Disputāt itaque Theologi sinè hæresis periculo in vtramque partem de Immaculata Coceptione Virginis.

130 Ad clariorem penetrationem veritatis excogitaui sex instantia naturæ in eodem instanti tēporis Conceptionis Virginis reperiri. In primo instāti, vltimatè organizatum fuit Corpus Virginis. In secundo fuit anima illius creata. In tertio, Corpori vnita. In quarto resultauit natura humana, scilicet tertia entitas; & adhùc non erat peccatrix, nec sancta: quia esse naturale tàm ad gratiam, quàm ad culpam per modum subiecti ad accidentalem formam, vel priuationem comparatur; & ideò priùs etiam natura. In quinto signo, intelligitur Virgo priùs esse filia Adæ, quàm intelligatur actù esse in statu gratiæ, vel peccati: quia hic ordo naturę solùm est ordo causæ, quo intelligitur hæc proles ab hoc naturali principio physicè manasse priusquā intelligatur aliud illi superaddi. In sexto, hæc filia Adæ, nisi à Deo fuisset præseruata peculiari priuilegio, peccatum originale contraxisset. Circa quod est quæstio.

# AN DE FACTO INCVRRERIT.

*Nos, Beatam Virginem Mariam, Immaculatam prædicamus, & asserimus, nunquam contraxisse originalem maculam, sed præseruatam, & præuentam fuisse ipso momento Conceptionis, & primo instanti, vt immaculatè conciperetur.*

131 AD *veritatem hanc nostram firmandam*, prodeant in primis, quæ in antiqua lege præcesserunt figuræ, quæ aliquid in lege gratiæ, & Euangelio futurum prænunciabant. De illis enim scribit Apostolus *prima Corinthiorum 10. n. 11. omnia contingebant eis in figura*. Nunc ita: fuit Adam figura Christi, & Eua Mariæ; *prima Corinthiorum 15. nu. 47. Primus Adam de terra terrenus: secundus Adam de Cælo, Cælestis*. Euam fuisse Virginis figuram, identitas nominis notat; nam vtraque Mater viuentium dicitur; Eua quidem temporaliter, & corporaliter viuentium; Maria verò, spiritualis, & vitæ gratiæ viuentium? Vndè sicut Adami creatio, & formatio sinè vllo peccato fuit, & indè figurabat Christum sinè peccato conciprēdum; sic formatio Euæ immaculata, præsefert Virginis Conceptionem Immaculatam. Imò immaculata Adami formatio, quatenùs ex immaculata terra, scilicet nondùm maledicta, sed à Deo benedicta formatum fuit Corpus illius, figurabat Christum nasciturum ex Virgine, benedictionibus plena, & præseruata ab omni maledictione peccati. Huius vltimi argumenti author est *D. Andreas Apostolus*, vt in eius vita referunt Presbyteri Achaiæ; ita enim referunt, Apostolum fuisse locutum; *sicut ex immaculata terra primus homo formatus est, ita ex immaculata Virgine formatus est Christus.*

132 *Succedat* altera probatio. *Gen. 3. nu. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius*. De Eua hæc dicta esse, non dubitamus; non tamen implenda in ipsa, sicut neque id, quod de suo semine in filio dicitur, in eius filio adimpletum est. In hac prophetia est Eua typus Mariæ, sicut semen illius, Christus est. Hoc supposito, notandum est, dictum esse à Deo, inter Virginem, & Dæmonem fore

fore inimicitias, scilicet omnes inimicitias, & quamlibet inimicitiæ speciem, secundùm illam logicæ regulam, quæ docet, *indefinitas propositiones*, qualis est illa, *æquiualere vniuersalibus*; & notandum, inimicitiam inter naturam humanam, & diabolicam consistere in carentia peccati; nam tot contrahimus amicitias cum Dæmone, quot peccata committimus, & quot caremus vitijs, tot habemus inimicitias cum eo. Iam quærendum est, quænam sit illa creatura purè humana, quæ habuerit omnes inimicitias cum Serpente? Et cùm nulla sit, quæ nō contraxerit peccatum originale; hinc liquidò constat oportere necessario, Virginem non cōtraxisse peccatum originale, vt ab eo præseruata, sicut à quocumque mortali, & veniali, omnes inimicitias cum Serpente habeat.

133 *Hoc in loco* tolerare non possum eorum sententiam, qui nihil aliud putāt significare, quàm forè, vt Serpens humi serpens pedibus hominum conteratur; nam hoc iam dixerat Deus Serpenti illis verbis; *super pectus tuum gradieris*, Deinde aliquid maius significari, docent illa verba: *inimicitias ponam inter te, & mulierem*: nam hoc tatum referre ad naturalem horrorem, quo Serpentes solemus auersari, ineptissimum est: cum id multò magis in alijs bestijs cernatur. *Accedit*, quod maxima pars veterum Theologorum hæc non de Serpente ipso, sed de Dæmone, qui deceperat fœminam, interpretantur, vt *Irenæus lib. 4. cap. 78. Hieronymus in quæstionibus hebraicis, Leo sermone 2. de Natali Domini, Eutherius, & Rupertus in eum locum*; quarè necessariò aliquid propheticum significatur, quod non ad totam naturam, sed ad singularem aliquam fœminam pertineat, quod nō obscurè significat hebraicus articulus, qui ad Euam referri non potest, cùm de futuro dicat Deus: *inimicitias ponam, &c.*

134 *Certè* mihi persuadeo, verum sensum, ac germanum huius loci esse, quem ponit *author epistolæ de viro perfecto*, quæ falsò tribuitur Hieronymo, & habetur *in tomo 4.* vbi scribit; *ponam inimicitias inter te, ac mulierem, non certè, pono, dicit: nè ad Euam hoc pertinere videretur. Verbum promissionis est, quod transmittitur ad futura; ponam, inquit inimicitias inter te, & mulierem; illam, inquam, mulierem, quæ Saluatorem parturiat, non quæ generet fratricidium; ponam, inquit, inimicitias inter te, & mulierem, scilicet suscitabo mulierem, quæ repudiata facilitate credendi, &c.* Quem sensum probat etiam *Serapion apud Lipomanum, Genesis 3, Clarum (inquit) est pronuntiatum de Christo, quem sinè semine peperit intemerata Virgo.*

*Eamdem fuisse* multorum senten-

rentiam, docet *Eucherius*, eamdem probat *Rupertus*; dicit igitur: *fore inimicitias inter Beatam Virginem, ac Serpentem, & inter semen Virginis, & semen Serpentis, ac fortè dicit, vt Virgo, vel eius semen conterat Serpentis caput, & Serpens calcaneo ipsius insidietur*. Duas igitur inimicitias dicit, alteram inter Serpentem, ac Virginem, alteram inter semen Serpentis, & semen Virginis. Prima illa inimicitia, si peculiaris debet esse in Virgine, necesse est, vt sit ratione peccati originalis, à quo, quoniam videbat eam liberam Diabolus, maximo odio eam prosequebatur: nam si hoc vnum tollas, cùm omnibus hominibus exercet Diabolus inimicitias. Quod si ad Virginem referendum sit, *ipsa conteret Caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo eius* (quamquam intelligam, aliter ab alijs explicari, non dubito tamen, hanc etiam interpretationem posse admitti, vt dicamus, Caput Serpentis esse originale) cõsequenter, &c.

135 *Secundus locus* in fauorem nostræ propositionis sit ille Gen: 1. n. 3. quando dixit Deus, *fiat lux, & facta est lux, & vidit Deus lucem, quod esset bona*. Lux illa, Beatam Virginem significabat; nam cùm dixisset *n.* 2. tenebras esse super faciem abyssi, quibus significabatur peccatum, quo vniuersum genus hominum in abyssum destinabatur, statim dixit, *fiat lux*, quia, vt ait Paulus 2. *ad Corinthios c.* 4. *nu.* 6. *dixit de tenebris lucem splendescere*, de massa illa videlicèt corrupta, hanc purissimam Virginem elegit. Et estò nonnulli ex antiquis interpretentur hunc locum de natura Angelica; tamen meliùs interpretamur nos de Beata Virgine, quæ de tenebris vocatur in admirabile lumen Dei. Quarè *Petrus Damianus sermone* 3. *de Natiuitate Virginis*, stellam mundi, & *Laurentius Iustinianus sermone de Natiuitate Mariæ*, lucẽ mundi nominauit. Dicitur autẽ meritò lux: quia, vt lux à corpore lucido ita pẽdet, vt ab eo accipiat, quidquid est; sic Beata Virgo à Christo, tanquàm à iustitiæ Sole, omnia recipit. Illa lux dicitur diuisa à tenebris, & tenebræ quidem noctis nomine vocatæ, lux verò appellata est dies; est enim hæc Virgo verus dies, nescia illius noctis, de qua dictum est apud *Iob c.* 3. *n.* 3. *maledicta nox, in qua dictum est, conceptus est homo*: nox enim illa concepta est in nocte peccati, nec nullam habuit mixtionem tenebrarum.

136 *Tertius locus* in fauorem nostræ propositionis desumitur ex eodem primo capite nu. 16. *Fecit Deus duo luminaria magna; luminare maius, vt præesset diei; luminare minus, vt præesset nocti*. Paulus ad Philippenses 2. *n.* 15. vocat fideles, & sanctos, luminaria, *inter quos*, inquit, *lucetis*,

 *sicut*

*sicut luminaria in mundo*. Luminare maius est Virgo, diciturquè præesse diei propter summũ gratiæ splendorem; alij sancti sunt luminare minus, lucentquè in nocte. Si cóferantur cum peccatoribus, ipsi sunt, quasi stellæ in nocte; B. Virgo est sicut sol, & ideò dicitur electa, sicut sol; sicut enim ex nobilissima materia Sol formatus est, ita Virgo est electa, quasi pars nobilissima Adæ, & incredibili gratiæ splendore ornata.

137 *Quartus locus* desumitur ex *Gen.7. n.18. porrò Arca ferebatur super aquas*; quemadmodùm enim nihil, præter eam, aquas diluuij euasit, ita sola Maria à peccato originali, sola fuit immunis, & vt illa Arca omnes rimas penitùs occlusas habebat, vt ab aquis penetrari non posset, ita Beata Virgo Diuini Spiritus gratia plenè stipata, nunquàm vllam peccato rimam apertam habuit.

*Quintus locus* desumitur ex illo *Gen.47. n.26. ex eo tempore vsque in præsentem diem in vniuersa terra Aegypti, regibus quinta pars soluitur, & factum est, quasi in legem, absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit, &c.* quod si Terra Sacerdotalis libera erat à tributo soluendo: quid de Beata Virgine existimare debemus, quæ est plusquàm Sacerdotalis terra, quæ magnũ illum Sacerdotem, ac Pontificem peperit, qui mundum vniuersum suo sanguine lauit; an non debuit à tributo, Diabolo persoluendo, liberari?

138 *Arca fœderis* ex incorruptibili ligno intùs, & extra deaurata, significabat Immaculatam Conceptionem Virginis: cùm in vtraque sedem suam habuerit Altissimus. Fabricatio Templi Salomonis, in qua nullus auditus est mallei sonus, aut cuiuscumque alterius strepitus, throni Salomonis structura ex ebore purissimo, notant, Virginem concipiendam sinè vllo originalis peccati strepitu, & hanc Côceptionem non esse minùs puram à peccato, quàm sit eboris albedo ab omni impuritate. Tandem *Esther c. 15. nu.13. Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*; non debuit ergo Virgo subire legem peccati; & sicut 3 *regum 6.* nihil erat in templo, quod non tegeretur auro, sic omnia in Beata Virgine erant auro gratiæ vestita. Et sicut *Iudith 14. n. 16. Vna mulier hebræa confusionẽ fecit in omni domo Regis Nabuchodonosor, &c.* nunc hoc de Virgine dici debet: illa enim vna est, quæ in primo puncto suę Conceptionis, libera euasit à peccato.

## *Ecclesiæ Catholicæ authoritas in fauorem nostræ propositionis.*

139 SAncta Mater Ecclesia, quamuis non dicat, de fide esse Immaculatam Virginis Conceptionem; tamen in illam partem ita propendit, vt totis viribus eam persuadere studeat, vt videre est in extrauaganti: *Cũ praeexcelsa, &c.* de reliquijs, & veneratione Sanctorum, &c. vbi Sixtus Quartus non solùm probat officiũ de Immaculata Cõceptione Virginis, sed ad illud recitandum, & vt illi adsint fideles, dùm solemniter in Choro recitatur, inuitat per largitionem earumdem indulgẽtiarum, quas *Vrbanus Quartus*, alijquè Pontifices Maximi, ijs, qui nocturno, diurnoq; tempore officio Sanctissimi Corporis Christi, illiusquè festo, & per octauas intersunt. Idem Summus Pontifex vidẽs ex hac prima Extrauagãti, fideles sibi persuasisse, mentem Summi Pontificis fuisse decernere pro atticulo fidei Immaculatam Cõceptionem Virginis, coactus fuit mentem suã aperire in Extrauagãti: *Graue nimis*, eodem titulo, vbi quamuis doceat, vtramque sententiam esse liberam, nihil tamen innouauit de his, quæ statuerat in in præcedente Extrauaganti.

140 Iam probo nostram propositionem. Ecclesia celebrat diem festum Conceptionis, non sanctificationis, vt apparet ex duplici decreto Sixti Quarti; patet ex officio instituto, Ecclesiam celebrare sanctitatem Conceptionis; dicit enim; *Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem, &c.*

*Respondent aliqui*, illam orationem fuisse ab aliquo priuato temerè concinnatam, & per imprudentiam in librum Ecclesiasticum irrepsisse. *Responsio* nimis temeraria: dicit enim Sixtus Quartus, cùm iubet celebrari festum Conceptionis, eius officium emanasse à Sede Apostolica; in eo autem officio erat huiusmodi oratio. Nec quemquã mouere debet, quod fuerit huiusmodi officium, & ea oratio à *Pio Quinto* sublata: ille enim in præfatione Breuiarij profitetur, se voluisse remouere, quæ essent, vel aliena, vel incerta, cùm pristinam orandi, psallendiquè rationem reuocare maximè cuperet; tantùm verò abest, vt aliquid determinauerit cõtrà Virginis Conceptionem; petimus enim primò in oratione: *vt Conceptionis pacis tribuat incrementum*; quæro autem, quid significet Verbum *tribuat*. Certè nil

Gg 2 aliud,

aliud, nisi quod virtute Conceptionis habeamus pacis incremẽtum: ergo Conceptio fuit omninò immaculata: nàm si non erat libera à peccato; quomodò virtute Cõceptionis inpetraremus pacem.

141 *Item in antiphona* ad Magnificat in primis Vesperis, legimus, *Conceptionem dignissimam recolamus*; at quomodò Conceptio dignissima, si in peccato? *Item* in primo responsorio: *Conceptionem Beatæ Mariæ Virginis cum gaudio celebremus*; at quale gaudium; si conceptio fuit maculata? In secundo responsorio dicitur: *Cum iucunditate Conceptionem deuotissimè celebremus*; quomodò cum iucunditate Cõceptionem deuotissimè celebraremus; si Conceptio fuit in in peccato originali? *Item*, in sexto dicitur: Conceptionem nũtiasse gaudium vniuerso mũdo, quod repetitur in antiphona ad Magnificat in secundis Vesperis; sed quale gaudium in vniuerso mundo, si Conceptio fuisset maculata, & peccaminosa?

*Galatinus in lib. 7. de Arcanis cap. 5.* affirmat, ante mille annos celebrari in Ecclesia Græca festum Conceptionis; in Ecclesia verò Latina, saltẽ ante quingentos annos, & plus celebrari solet ab Ecclesijs particularibus festum Immaculatæ Conceptionis; nam *Sanctus Bernardus in epistola ad Canonicos Lugdunenses* reprehendit illos, quòd huiusmodi festum nondùm ab Ecclesia vniuersali approbatum celebrarent; Bernardus autem floruit *anno* 1130. & obijt *anno* 1153. vt testatur *Bellarminus in Tractatu de Scriptoribus Ecclesiasticis*; nunc autem sumus in *anno* 1663. Idem etiam constat ex *Sancto Anselmo*, qui floruit ante Bernardum scilicet *anno* 1081. & veneratus est hoc festum Conceptionis, vt infra patebit. Ante omnes Sixtus Quartus hoc festum celebrari fecit in vniuersa Ecclesia Latina ex Extrauaganti: *Cùm præexcelsa*; *&c.* quæ edita est anno 1466. vbi fideles omnes hortatur ad huiusmodi celebritatem; quam extrauagantem, *Concilium Tridentinum sessione* 5. innouauit simul cum altera eiusdem Pontificis, quæ incipit: *Graue nimis, &c.* ait enim, *obseruandas esse Constitutiones fælicis recordationis Sixti Papæ Quarti, sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.*

142 *Vincentius de Bandelis, & Castronouo* ordinis Prædicatorum distinguit duplicem Conceptionem Beatæ Mariæ; vnam carnalem, quando scilicèt seminis in vtero comprehensio facta est, & deindè formatum corpus, atque anima rationali informatum: alteram spiritualem quando nimirùm sanctificata est, & incepit viuere Deo vita gratiæ. Affirmat ergo non celebrari ab Ecclesia

clesia priorem Conceptionem, quia fuit in peccato, sed solùm posteriorem.

*Responsio* nullo modo mihi probabilis; quinimò dico, ab Ecclesia celebrari festum Conceptionis, quatenùs significat Dei Genitricem, præseruatam fuisse ab originali peccato, quod cæteri homines incurrimus in conceptione carnali. *Sit tale argumentum*. Illud affirmat Sixtus Quartus, celebrari ab Ecclesia Romana, quod nonnulli Prædicatores, quorum ibi meminit, reprehendebant, & condemnabant; sed illi Prædicatores pugnabant contrà Immaculatam Conceptionem Beatæ Mariæ à peccato originali: ergo festum Conceptionis, authoritate Sixti Quarti celebratum erat de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ à peccato originali. *Rem declaro*. Nec illi Concionatores, nec alius Catholicorum reprehendit, ac damnauit Cóceptionem spiritualem, seù sanctificationem, præsertim à tempore Sixti Quarti, & multis retrò sæculis, in quibus iam erat certissimum, Dei Genitricem fuisse in vtero Matris suæ sanctificatam. Rem magis declaro: prædicti Concionatores damnabāt, quod alij eodem tempore constanter affirmabant; hoc autem solùm erat præseruatio ab originali; & hæc fuit occasio dissidij inter ipsos.

143 Audiamus Extrauagantem. *Sanè, cum Sancta Romana Ecclesia de Intemerata, semperq; Virginis Mariæ Cóceptione publicè festū solemniter celebraret, & speciale, ac proprium super hoc officium ordinauerit (nonnulli, vt accepimus) diuersorum ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad populum, publicè per diuersas Ciuitates, & Terras, affimare hactenùs non erubuerunt omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eamdem gloriosissimam, & Immaculatam Dei Genitricem, absque originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos, eiusdem Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes*. Confirmátur; quia nemo dixit, esse hæreticos illos, qui celebrant officium Conceptionis spiritualis, seù sanctificationis Beatæ Mariæ; sed Pontifex in prædicta extrauaganti refert, prædictos Concionatores affirmauisse, esse hæreticos illos, qui celebrant officium Immaculatæ Conceptionis: ergo clarè fit, quòd officium, & festum Conceptionis, de quo ibi loquitur Sixtus Quartus, non est solius Cóceptionis Spiritualis, sed immunitatis, & præseruationis à peccato originali.

144 *Accedat altera probatio*. Festū Conceptionis celebratur ab Ecclesia in eo sensu, in quo Concilium Tridentinum declarat celebrari, sed Concilium Tridentinum declarat celebrari, quatenùs significat immunitatem, & præseruationem à culpa ori-

originali: ergo hoc in sensu celebratur ab Ecclesia. Minor, in qua est difficultas, probatur: quia *in sessione quinta* postquam egerat de peccato originali, & transfusione eius in posteros Adami, ita legit: *Declarat Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fœlicis recordationis Sixti Quarti, sub pœnis in eis Constitutionibus contentis, quas innouat.* Patet ergo, sermonem esse de peccato originali: nam alioquin ineptè fieret mentio de illis, quando Synodus affirmat, *non esse suæ intentionis, comprehendere Beatam Mariam in decreto, vbi agitur de peccato originali.*

145 *Dices*, hanc Extrauagantem non esse insertam Corpori Iuris, quoad illa verba; de Spirituali Conceptione, seù sanctificatione. *Contrà*, quia non potest prudenter ei fides negari. Primò, quia sic legitur in libro Monumentorum Ordinis Sancti Francisci, qui antiquitate, & fidelitate commendatur. *Adde*, quòd *Emanuel Rodriquez in suo Bullario* refert prædictam Constitutionē Sixti Quarti inter multas alias Bullas; nemo autem rationabiliter dicet, viro tam docto, & Religioso non deberi fidem: alioquin, nec cæteræ Bullæ, quas refert, authenticæ censebuntur: ergo. *Adde*, quòd *Ioannes Baptista* Confectius Protonotarius Apostolicus in libro qui inscribitur: *Collectio Priuilegiorum Sacrorum Ordinum*, & dedicatus est Clementi Octauo, refert eamdem Constitutionem cum eadem clausula, quarè vel neganda est fides omnibus priuilegijs, in eo libro contentis, quod nemo prudens dicet; vel habenda est fides huic Constitutioni, prout ab illo refertur.

146 *Dices*, prædictam extrauagantem, quæ habetur in Monumentis Ordinum, editam fuisse, *anno Domini* 1481. alteram verò, quæ inserta est Corpori iuris, editam *anno* 1483. *mense Septembris*: vndè, cùm in hac posteriori non habeatur illa clausula spectans ad Conceptionem Spiritualem, videtur, priorem fuisse iam correptam, seù reuocatam. *Respondetur*, id nullatenùs dici posse: quia in hac posteriori, nulla fit mentio prioris, nec aliquid asseritur priori contrarium; sola autem omissio aliquorum verborum, non est correptio, vel reuocatio, vt patet ex stylo Constitutionum Apostolicarum. *Dices*. Cur ergo in posteriori Constitutione prædicta clausula non fuit posita? *Respondetur*, id forrasse esse factum: quia necessarium non erat poni; cùm ex dictis constet, euidens esse in Constitutione Sixti, quæ inserta est Corpori iuris, adstrui celebritatem Conceptionis,

nis, non spiritualis tantùm, sed corporalis etiam, & immunitatis ab originali.

147 *Succedat hoc fundamentale argumentum.* Quidquid publico, & solemni ritu celebrat Ecclesia Catholica, nō potest esse falsum: sed Ecclesia Catholica publico, & solemni ritu celebrat Beatam Mariam fuisse præseruatam à peccato originali: ergo Beatam Mariam fuisse præseruatam à peccato originali, est dicendum. Maior probatur. Primò authoritate Sanctorum Patrum, qui testantur, Beatam Mariam, quā-do nata est, fuisse Sanctam: quia Ecclesia celebrat publico, & solemni ritu Natiuitatem Sāctam illius, & Ecclesia in huiusmodi rebus, decipi non potest; vndè *Sanctus Idelphonsus in libro contrà disputantes de perpetua Virginitate Sanctæ Mariæ, qui habetur tomo 9. Bibliothecæ nouæ,* probat, B. Virginem fuisse sanctificatam in vtero: quia Ecclesia celebrat Natiuitatem illius. Sanctus Bernardus *Epistola* 175. inquit: *fuit procul dubio, & Mater Domini, ante Sancta, quàm nata, nec fallitur omninò Ecclesia Sancta, sanctum reputans ipsius Natiuitatis diem, & omni anno cum exultatione terræ votiua celebratione suscipiens.* Et Sanctus Thomas 3. *par. q.* 27. *articulo* 1. *in argumento, sed contrà, &c.* inquit: *Ecclesia celebrat Natiuitatem Beatæ Mariæ Virginis; non autem celebratur festum in Ecclesia, nisi pro aliquo Sancto: ergo Beata Virgo in sua Natiuitate fuit Sancta.*

148 *Ex istis Sanctorum dictis*, talem desumo argumentationem: nullo die festum celebrat Ecclesia vniuersalis, nisi quia aliquid sanctum accidit in eo: ergo cùm in die Conceptionis, festum celebrat vniuersalis Ecclesia, credēdum omninò est, aliquid sanctum in eo accidisse: hoc autem nō potest esse aliud, quàm, quod Beata Maria, cùm concepta est, fuerit decorata dono Cœlestis gratiæ, quæ culpam originalem non compatitur. Rem declaro: multùm derogat authoritati vniuersalis Ecclesiæ celebrare aliquid falsum: ergo cùm vniuersalis Ecclesia celebrat festum Immaculatæ Conceptionis, fatendum, Virginem Matrem fuisse in primo puncto suæ Conceptionis Immaculatam.

*Accedit*, quòd indignum est, Indulgentias concedere in honorem alicuius falsitatis; sed Summus Pontifex concessit Indulgentias in honorem immunitatis Beatæ Mariæ à peccato originali: ergo Immaculata Conceptio minimè est falsa. Discursus patet: quippè non foret digna dispensatio Thesauri Ecclesiæ pro adoranda falsitate. Concessio Indulgentiarum clara est: quia Sixtus Quartus in Extrauaganti: Cùm præexcelsa, &c. concedit recitantibus officium Immaculatæ Conceptionis, aut qui interfuerit, easdem

Indul-

Indulgentias, quas in festo Corporis Christi concesserat Vrbanus Quartus, Martinus Quintus, & alij Pontifices Romani. *Vide nu. 174. vsque ad nu. 180. inclusiuè*, vbi alios SS. Patres, & Summos Pontifices adduco.

## *Authoritas pro Immaculata Conceptione ex Concilijs Generalibus.*

149 HAbemus Basiliense Concilium, cuius decreta, estò omnia vim non habeant, sed tantùm ea, quæ sunt à *Martino Quinto* probata, tamen magnæ debent esse apud nos authoritatis. *Sessione* igitur 36. decernit, *Virginem esse conceptam sinè peccato*. Ex *Concilio Ephesino*, quod fuit Secundum Generale, habetur *tomo 6. & 7. Sãcta Deipara Maria, impollutus, & purus ille Virginitatis Thesaurus*. Vbi, cùm absolutè Deiparam appellet impollutam, & puram, innuit, immunem fuisse ab originali peccato. Sextum Concilium Generale, Constantinopoli celebratum, *in actione* 12. approbat grauissimam Epistolam Sophronij Patriarchæ, quæ lecta fuerat in actione vndecima, vbi inter alia habetur: *Maria liberata est ab omni contagio*; siue (vt alij legunt) *ab omni labe Corporis, & animæ*. Ista verba certè immunitatem ab originali peccato, satis significant.

150 *Fauet* Concilium Tridentinum, dùm in *sessione* 5. cum ex professo egisset de peccato originali, & de eius ab Adamo ad posteros generali transfusione, hæc subdit: *Declarat tamen hæc ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam, Dei Genitricem, sed obseruandas esse Constitutiones fælicis recordationis Sixti Papæ Quarti*. Hic nonnulla sunt nobis ponderanda: Primum: quia, cùm hoc Concilium à Spiritu sancto gubernetur, diligenter expendisset testimonia scripturæ, & Patrum, in quibus asseritur, peccatum originale deriuari ad posteros Adami; nihil in eis reperit, quod conuincat fateri, ad Virginem quoq; fuisse deriuatum. Sensit ergo Concilium, omnia explicari posse, ac proindè non esse, cur authores oppositæ sententiæ (quamuis pauci) dicant, omnium, aut ferè omnium Patrum doctrinam fuisse, Beatã Virginem Mariam in peccato originali conceptam esse. Si enim Patres ita sensissent, id certè perspexisset Sancta Synodus, congregata in Spiritu san-

sancto; & si perspexisset, conformaretur illis, sicut in alijs decretis conformatur. *Nota*, quòd nunquàm non approbantur à Sacris Concilijs, quæ à communi sententia Patrum approbantur.

151 *Respondebit aliquis*: Concilium ideò dixisse, *non esse suæ intentionis comprehendere Beatam Mariam in hoc decreto*: quia si intentionem haberet comprehendendi, eo ipso decerneret, Beatam Virginem non esse conceptam in originali; & consequenter foret veritas diffinita. Quarè dùm dixit: *Non esse suæ intentionis*, proindè est, ac si dixisset, nolle se eam partem diffinire, sed relinquere sub dubio, sicut antea erat; quod certè nihil firmitudinis dedit sententiæ asserentium, Beatam Mariam ab originali præseruatam.

*Debilis solutio*. Nam Concilium eo ipso, quod non habuerit intentionem comprehendendi Beatam Mariam in Generali decreto de transfusione originalis, nec etiam habuit intentionem comprehendendi eam in testimonijs Sacræ Scripturæ, & Patrum, quæ generalem hanc transfusionem testantur. At illi, qui modo docent, Virginem incurrisse peccatum originale, intendunt, eam comprehendi in generalibus scripturæ, & Patrũ testimonijs, ac proindè diuersam, imò contrariam intentionem habent. *Errant*, dùm opinantur, nihil firmitudinis à Cõcilio datum sententiæ affirmanti Virginis immunitatem; fauet enim multùm: dùm denuo expendens testimonia Scripturæ, & Patrum, adhuc fatetur, nihil se inuenisse, quod cogat credere, Virginem incurrisse peccatum.

*Nota etiam*, quòd dùm Sacrũ Concilium innouat Constitutiones Sixti Quarti, hortatur consequenter fideles ad Cõceptionem Immaculatam celebrãdam, & denuò statuit, quòd Sixtus præceperat: quarè sicut certum est, Sixtum Quartum, magis fauisse sententiæ de immunitate Mariæ, quàm oppositæ parti (vt dubitabit nemo) ita certum videri debet, multò magis fauisse Tridentinum. Si quis ex alijs capitibus probationes desideret, multas habebit apud Scriptores defendentes Virginis Matris Immaculatam Conceptionem. Legantur.

152 *His accedant rationes*, quæ, cùm plures esse possint, duas pondero. Prima desumitur ex indignitate peccati originalis incompatibilis cum dignitate Matris Dei, & hominis Christi. Secunda ex titulo, seù Epitheto præcipuo Christi, nempè Redemptoris, seù mediatoris.

*Prima igitur ratio* supponit, nihil esse indignius peccato, præsertim mortali: quia seruum, & mancipium facit hominem Sathanæ, excludit à summo Cœ-

lo, & includit in infimo loco: est autem originalis culpa mortale peccatum: cùm priuet gratia, & cœlesti gloria, & proindè indignitatem habet connexam, qualem habet quodcũque mortale peccatum. Viceuersa in puris creaturis nihil dignius Maternitate Dei, scilicèt, quàm esse Matrem Dei, & hominis illius, qui Diuino Verbo hypostaticè vnitus est; qui virtute vnionis adeptus est dignitatem, atque puritatem; vndè appellatur *Deus homo, agnus immaculatus, Pontifex innocens, & impollutus*. Ex his præsuppositis deducitur, Matrem Dei, & hominis Christi non potuisse contrahere peccatum originale; quis enim sibi persuadebit, summam vilitatem, & indignitatem peccati originalis in ea esse Virgine, quæ ab æterno destinata erat in Matrem Dei, quo titulo nihil est honorificentius, atque dignius; impunitas peccati originalis esse non poterat in ea Virgine, quæ futura erat Mater Agni immaculati.

153 *Secunda ratio* præsupponit, Christum mediatorem esse Dei, & hominum, qui vniuersam humanam naturam à morte peccati proprio sanguine redemerit. Indè ita argumentatur *Scotus in 3. dist. 3. q. 1.* Si Christus est Redemptor, & Mediator, & alios non redemerit redemptione potissima, & optima; saltem circa aliquem debuit habere optimum actum redemptionis, qui in hoc consistit, vt aliquis præseruetur à seruitute, scilicèt à peccato. Si autem aliquis debet redimi redemptione præseruatiua, haud dubiè prærogatiua talis debetur Matri suæ; ergo redemit eam, non liberando eam à peccato originali iam contracto, sed contrahendo. Optimum redemptionis modũ non esse Christo negandum, res per se clamat. Optimum autem redemptionis modum in præseruatione à peccato originali esse positum, suadetur in primis relatione facta ad Deum, cui redemptus per redemptionem conciliatur: nàm ille Redemptor, qui impedit, nè Deus offendatur, rem magis gratam facit Deo, quàm si eum, qui iam in peccatum inciderat, reducat ad Deum.

154 *Idem probatur* relatione facta ad malum, à quo Redemptor liberat: est autem peccatum originale summum malum, & qui impedit, nè tale malum adueniat, multò melius facit, quã si malum tollat, cùm aduenerit. *Idem probatur* ex obligatione, qua tenetur is, qui per præseruationem redimitur. Vt enim in adultis melius est non peccasse, quàm per pœnitentiam à peccato commisso resilire; ita in paruulis excellentius est, præseruari à peccato originali, quàm ab eo liberari, postquàm contractum est. Hinc colligimus, Chri-

Christum non esse propriè Redemptorem, si non habuerit optimum modum redimendi; & cùm impium sit hoc de Christo sentire; verum est, illum esse Redemptorem Virginis, sicut & bonorũ Angelorum per præseruationem à peccato originali, & quocumque alio.

# PROPOSITIO DECIMANONA.

## *Proponuntur, & soluuntur argumenta in contrarium.*

155 QVi tollunt à Virgine debitum habendi iustitiæ originalis donum, eo quod Virgo, vt naturale solùm, non autem vt morale Caput agnouit Adamum, in cuius pacto, quod secum Deus inierat de exhibenda originali iustitia, clausa non fuit, imò fuit exclusa per anteuertens decretum, quod Deus ipse ante casum Adami pro Virgine seruanda, sanciuerat; facilè docent, eam originalem non contraxisse labem. Nulla siquidem fingi potest originalis macula, vbi nulla carentia reperitur iustitię originalis, & vbi nullum est debitum habendi eiusdem iustitiæ donum.

*Qui tandem oppositum docent*; scilicèt, purissimam Christi Domini Matrem habuisse debitum habendi huiusmodi originalis iustitiæ donum; quia naturalis Adami propago, veriùs, & sinceriùs eam liberant à præfata originis labe: nam in puncto Conceptionis, quando inimica, & iniusta propter carentiam originalis iustitiæ debebat esse formaliter, formaliter in actu iusta, & consequenter amica fuit Sanctissima Virgo, vel per exhibitionem soliùs gratiæ sanctificantis, quæ longè nobilior, altiorquè erat originis iustitiæ forma, infusionem originalis iustitiæ concomitante simul habitu charitatis, & gratiæ. Hæc dixi, quia dubius est Scotus, *an Beatissima Virgo, imò verò Christus ipse habuerit reuera originalis iustitiæ donum?* Quod, & ego libenter affirmo: nàm si tantam tranquillitatem vterque in potentijs habuit, vt sinè vlla tristitia a proprio delectabili, illas cum gaudio traxerit, quod per habitum sanctificantem præstare non potuisset; signum non leue est, obtinuisse vtrumque originalis iustitiæ donum.

156 *Cæterùm multùm videtur difficile* ex sententia Scoti deducere,

re, qua ratione purissima Virgo præseruata fuerit dependenter à Christo, eiusquè senserit redemptionis effectum. Nàm *in 3.d.19. q.vnica, §.in ista quæstione, &c.* assignans ordinem Redēptionis humanæ in mente Diuina, docet, quòd Deus in quarto signo præuidit prædestinatos, & reprobos casuros in Adam, & in quinto signo præordinauit remedium; ergo Beatissima Virgo peccatum orginale contraxit, si Deus eam simul cum alijs uiderit casuram in Adam, vel si non præuidit, non apparet, quomodò ad sui præseruationem, Passionis Dominicæ senserit ipsa remedium in quinto signo præscriptum.

*Quidam Doctissimus Magister* dicebat, quòd Christus non solùm per opera pœnalia, sed per conuenientes etiam, & delectabiles actus meruit absque dubio, quo fit, vt permittens, & præuidens Deus in quinto signo, cunctos casuros in Adam, Virginem tunc à communi casu præseruare decreuerit Christi Domini meritorum intuitu; non eorum, quæ per prædictos actus cumulaturus fuisset, sed eorum dumtaxat, quorũ valore ad gloriã, ad gratiã, & Maternitatem Diuinam antecedēter ad omnem præuisionem peccati ordinauerat, & elegerat ipsam, quæque futura fuissent in statu innocentiæ, si stetisset Adamus, & quæ tandem eadem prorsùs numero in hac lachrymarum valle Christus exercuit. Vndè lucidè fit, Marianam præseruationem esse dependētem à Christo.

157 *Fateor meam tarditatem*, non enim adhùc percipere possum, quomodò ea difficultas, quæ omnes prædestinatos perstringit, ad Virginis præseruationem tantummodò torqueatur. Cōmunis animi conceptio est apud Scotistas, quòd sanctorum prædestinatio, quæ massam perditionis præcedit, vt rectè monuit *Scotus, vbi supra, & in primo d. 41. q.vnica sub A.* non dependet à meritis Christi præuisis, quæ post Prædestinationem in remediũ, & medicinam à Deo propter Adami, & totius posteritatis peccatum prꝗordinata fuerunt. Tantùm ergo abest, vt contrà Virginem solam, Scoticũ istud assertum quispiam arripere possit. Longè probabiliter igitur possumus respondere, quòd sanctorum prædestinatio tam ad gloriam, quàm ad gratiam, nullatenùs pendet à Christi Domini passione, quꝗ: quia vt medicina contrà lapsum, à Deo præordinata fuerat, necessariò casum ab eadem prꝗdestinatione debebat supponere, vt *Scotus ipse disertè cōcludit in loco citato tertij sententiarum.*

*Quo fit*, vt nullus electus in actu signato, quantùm ad Prꝗdestinationem à Christo dependeat; secus verò in actu exerci-

tio:

to: nunquàm enim gloria, vel gratia consumata alicui exhibita fuisset, vel offensa remissa, nisi Christi Domini passio, vt meritoria causa concurreret. Profuit etiam quantùm ad collationem primæ gratiæ, quantùm ad gratiam pœnitentialem, & quantùm ad ianuæ apertionem; sicut enim nunquàm remotum fuisset obstaculum pro Cœlorum ingressu, nisi Christus Dominus reuera passus fuisset, sic etiam nulli de facto prima, vel pœnitentialis gratia, à qua incipit iustificationis exordium, foret, nisi intuitu Dominicæ passionis exhibitæ, vel præuisæ.

158 *Non possum* non proponere oculis Lectorum explicitū Scoti exemplum, quantùm ad quinque, quæ specialiter Christi Domini passio humano generi meruit. Exordiamur à primo: habet namque Doctor in 3. *d.* 19. *§. in ista quæstione, &c.* hæc sequentia verba: *In quinto præordinauit, siuè præuidit de remedio. quomodò redimerentur per passionem filij, ita quod Christus in carne, sicut & omnes electi, priùs præuidebantur, & prædestinabantur ad gratiam, & gloriam, quàm præuideretur passio Christi, vt medicina contra lapsum; sicut Medicus priùs vult sanitatem hominis, quàm ordinet de medicina ad sanandum. Sicut autem priùs prædestinantur electi, quàm passio Christi præuideatur, vt remedium, contra lapsum eorum; ita tota Trinitas priùs præordinauit prædestinatos, & electos ad gratiam, & gloriam finalem, quantùm ad efficaciam, quàm præuiderit Christi passionem, tanquàm medicinam acceptandam pro electis cadentibus in Adam, priùs prædestinatis ad gloriam finalem; & sicut Verbum præuidit passionem, Patri offerendam pro prædestinatis, & electis, & sic eam efficaciter obtulit in effectu, ita tota Trinitatis pro eis passionem efficaciter acceptauit, & pro nullis alijs fuit efficaciter oblata, nec ab æterno acceptata, & ideò tantùm meruit eis primam gratiam ordinantem ad gloriam consummatam; hoc quantùm ad efficaciam meriti.* Hactenùs Scotus. Cuius verbis benè pensatis, latiùs patet, electos nō pendere à Christi Domini passione quantùm ad prædestinationem primariam in actu signato, sed solùm in actu exercito, quod nimirùm nullus vnquam ad consummatam gloriam perueniret, nisi per causam meritoriam, seù per Christi Domini passionem à Deo, tanquàm remedium contra lapsum, ordinatam.

159 *Secundum*, quod nempè Dominica Passio exhibita, vel præuisa, causa meritoria fuerit remissionis offensæ, docet *Scotus ibidem sub E,* dicens, *quod omnes Patres priùs natura erant prædestinati, quàm Passio Christi esset præuisa.* Voluit enim Deus priùs omnes electos habere gratiam, & gloriam, quàm præuiderit eos casu-

casuros, & priùs lapsuros, quàm præordinauerit medicinam cõtra lapsum; & ideò passio, vt præuisa post præuisionem lapsus, potuit esse ratio remittendi offensam, & conferendi gratiam reconciliantem, non autem potuit esse ratio prædestinationis.

*Tertium ponit* Scotus sub lit. C. dicens. *Sed quid, & quibus meruit? Dico, quòd Christus meruit omnibus, qui primam gratiam accipiunt, collationem illius; ita quòd ibi non cooperatur voluntas nostra nisi in adultis baptizatis, vbi requiritur aliqua bona dispositio voluntatis, & hoc fuit potissimum in merito suo, quod meruit non coniunctos coniungi.* Quartum scribit ibidem. *Sed quantum* (inquit) *ad gratiam pœnitentialem, post lapsum in mortale actuale, licèt meritum Christi sit principale in merendo, & totalis causa de condigno, tamen requiritur ibi aliquid à parte recipientis gratiam, & contritio, & compunctio de peccato de congruo.* Quintum explicat in eodem loco. *Similiter dico, quod Christus meruit nobis, vt totalis causa apertionem Ianuæ Paradisi, vt omnibus in gratiam decedentibus aperiretur, nec ad remotionem huius obstaculi intrandi, cooperamur ei, siuè illud obstaculum fuit originale peccatum, siuè actuale.*

160 His prolixiùs, sed necessariò productis, clarissimè apparet, quod præter quartum, cuius nõ indiguit Virgo, in omnibus præmissis fauoribus, æqualis fuit cæteris electis, vel prædestinatis; sicut, & consequenter æquabilis in pendendo à Christi Domini passione. Vnum est tantùm, & peculiare, in quo Beatissima Virgo à cæteris discriminatur electis, quod videlicèt in eo puncto, seù in quarto signo, in quo vidit Deus casuros in Adã, vidit etiam casuram Mariam; non autem sic, Deo ordinante, de facto cecidit, sicut eodem Deo permittente, de facto ceciderunt omnes electi; igitur eo modo debebat sibi remedium applicari, quomodò erat eius infirmitas; at verò Mariæ infirmitas, vel casus nõ fuit in actu, sed in potentia solùm: ergo remedium contra lapsum debuit esse potentiale solummodò. Vndè demùm fit, vt Christi Domini passio, verè remedium, & medicina potentialis fuit Mariæ casus in potentia solùm, seù præseruatiua, vt aiunt, non autem subleuatiua, non quia cecidit, sed quia casura fuisset, nisi à Deo præseruante intuitu Dominicæ Passionis fuisset præerecta. Pendet igitur Beatissima Virgo à Christi Domini passione specialiùs, & nobiliùs, quàm alij prædestinati, quia ratio fuit, & causa, ipsam præseruandi à labe, in quam naturaliter casura fuisset.

Hunc dicendi modum post Scotum *in 3. dist. 3. q. 1.* præclariùs docuit Cardinalis Cusanus lib. 8. *nec indiget* (inquit) *liberatore*

*tore à seruitute, in qua nunquam fuit: Præliberatorem enim Virgo Sancta habuit, cæteri liberatorem, & postliberatorem.*

161 *Primum igitur argumentum* desumitur ex varijs locis Sancti Pauli, in quibus soli Christo tribuitur eximia sanctitas, nulli concessa creaturæ. Hinc Lucæ 1. nu. 35. *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius, &c.* natiuitas autem hæc, conceptio Christi est, vt interpretatur ipsemet Angelus, dùm Iosepho *apud Matt. c. 1. nu.* 20. ita loquitur: *quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*, vbi Christus dicitur natus; cùm adhùc in materno esset vtero; & prima Petri 1. n. 19. *Quasi agni immaculati Christi, & incontaminati*. Hinc ita argumentantur. Priuilegium soli Christo concessum, non debet extendi ad Matrem: sed Immaculata Conceptio soli Christo conceditur; ergo non debet tribui Virgini.

*Ad maiorem respondetur*, illam esse distinguendam; vel de priuilegio secundùm se sumpto, vel secundùm modum habendi huiusmodi priuilegium; estquè maior neganda, & falsa primo modo, quamuis, vt vera concedatur secũdo modo. Distinctionis huius veritas patet ex eo, quod Christus omnia, quæ ei sunt à Patre tradita, aut omnibus, aut multis fidelibus concesserit. Christus est lux, hoc ipsum dedit Apostolis *Matt. 5. nu.* 15. *Vos estis lux mundi*: Christus est Ecclesiæ petra, hoc ipsum concessit Petro, *Matt. 16. nu.* 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram, &c.* & sic de reliquis. Gaudent certè illi priuilegio lucis, & petræ; sed non eo modo, quo Christus; nam ista duo sunt in Christo eminentialiter, in alijs autem ministerialiter. *Ad minorem respondemus* absolutè loquendo, Immaculatam Conceptionem non soli tribui Christo, sed duntaxat secundùm modum, qui modus in hoc cõsistit, vt Christus liber fuerit nõ solùm ab actuali macula originalis peccati, sed etiam à debito contrahendi eam, & liber fuit à peccato vi suæ conceptionis, quę non fuit per rationem seminalem; Deipara autem Virgo in valdè probabili sententia liberata fuit à debito, nec ex vi suæ conceptionis immunis fuit à à peccato originali, cùm ex semine originem traxerit. Hinc colligitur falsitas conclusionis; dicimusquè, quòd quemadmodùm Deus dicitur solus Sãctus, & tamen non excluduntur alij à sanctitate, nisi secundùm modum habendi eam, ita quamuis Christus diceretur solus Sãctus, & solus in conceptione immaculatus, non tamen excludi deberet Virgo Sanctissima, quia alio modo habet suam sanctitatem.

162 *Secundum argumentum desumitur* ex illis locis, in quibus dicitur,

citur, omnes in Adamo peccasse: Romanorum 5.n.12. *Per vnũ hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt.* Vnde ita argumentantur. Omnes in Adamo peccauerunt, scilicèt contraxerunt peccatum originale: ergo etiam Virgo in Adam peccauit, & contraxit peccatum originale.

*Multiplex est* huius argumenti solutio. Prima, secundùm Spiritus sancti mentem, qui hæc verba Apostolo dictauit, non includitur in illa Sanctissima Virgo, vt ipsemet Spiritus sanctus docet, per Ecclesiam interpretem, vt videre est *in Concilio Tridentino sess.* 5. vbi monet Sancta Synodus, dictante Spiritu sancto, in huiusmodi verbis non includi Sanctissimam Virginem: & certè, si in illis verbis includeretur Virgo, teneremur ex fide credere, eam esse in peccato conceptam, sicut ex fide credimus, omnes alios homines in peccato concipi; sed ipsi Aduersarij concedunt non esse de fide: ergo hęc verba non sunt de Virgine intelligenda.

163 *Secunda responsio est,* quòd in illis verbis includitur Virgo quantùm ad debitum contrahendi peccatum, sed non quantùm ad actualem culpam: & quamuis debitum non sit verè peccatum, tamen eodem sensu dicitur peccatum, quo ab Apostolo cõcupiscentia dicitur peccatum, non quod verè sit peccatum, sed quia ducit ad peccatum, nisi prohibeat superueniens gratia; ita debitum, quamquam reuera peccatum non sit, quia non habet formalem rationem peccati, tamen peccatum dici potest, quia est immediata dispositio ad peccatum, quod succederet, nisi superueniente gratia, probiberetur. Ita in Adamo peccauit Maria contrahendo debitum, sed in Adamo non peccauit contrahendo peccatum originale, quia præuenta fuit à superueniente gratia.

*Tertia solutio est,* excludi ab illa propositione vniuersali, & Christum, & Mariam: Christum quidem, quia nec purus homo, nec secundùm consuetam generationem conceptus; Mariam per præseruationem factam. Nõ est nouum in sacra Pagina, propositiones vniuersales, non semper vniuersaliter esse intelligendas, vt vim dicitur, omnis homo mendax, &c. vt describeretur vniuersus Orbis, &c.

164 *Quarta solutio erit,* Supponendo, Adamum propria peccasse voluntate, & peccatum suum fuisse illi personale, hoc verò peccatum, nobis esse commune, propter quod eramus omnes in illius voluntate; non quidem actù, & formaliter, sed virtualiter, & moraliter, & peccatum nostrum non consistere simpliciter in illo actu voluntatis,

tis, quo peccauerit Adam, aut in existentia morali, secundùm quam in eo eramus; sed oportet, nos postmodùm aliquando fore, & existere realiter; quod posterius, si nō fuerit id, quod prius est, non habet rationem peccati. Vndè, cùm non solùm futuri aliquando homines, sed etiam possibiles, scilicèt, qui nascerentur, si Deus vellet, in Adami voluntatate tunc essent; (non enim homines possibiles in Adamo peccauerunt, sed soli aliquando futuri) qui tamen non dicuntur peccauisse, quatenùs aliquando futuri erant; sed quia permittebantur esse in peccato originali; at non est permissa Virgo cadere in peccatum originale, ergo non peccauit in primo Parente. Verùm quia erat in Adami voluntate tanquàm in peccati radice, potest abusiuè; & impropriè dici peccauisse in Adamo, ita tamen, vt nūquam habuerit peccatum originale formaliter.

165 *Tertium argumentum desumitur* ex illis locis, in quibus dicitur Christus Redemptor omnium. Prima ad Timotheum 2. n.6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, &c.* Et prima Ioannis 2. n. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Quarè ita arguunt. Christus est Redemptor Virginis, non minùs, quàm aliorum: sed Redemptio supponit in redempto peccatum originale: ergo fuit Virgo in peccato. *Concedenda est maior*; imò addimus, nobiliori quoddā modo Christum redemisse matrem suam, quàm reliquos, & magis fuit illa redempta, quàm reliqui. Distinguenda tamen est minor: nàm redemptio supponit in redempto peccatum, aut actù existens, & iam contractum; aut non existens, sed cōtrahendum. Ad conclusionem respōdemus, Virginem habuisse peccatum non contractum, & existens, sed contrahendum: hinc dicimus, illam redemptam non per liberationem à culpa, sed per præseruationem ab illa; quomodò cecinit Dauid Psal. 85. nu. 13. *Eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Certum est, Dauid nūquàm illò descendisse: eductus ergo est præseruatiuè: quia cecidisset, nisi præseruatus fuisset.

166 *Quartum argumentum*. Virgo in primo instanti suæ naturæ fuit filia Adæ, & sinè iustitia originali, aut alia æquiualente gratia: cum debito habendi maculam originalem: sed in hoc consistit peccatum originale: ergo in primo instanti naturæ sui esse Virgo fuit iniusta, & in peccato originali. *Corroboratur maior*: quia oportet priùs rem esse, quàm habere præseruantem illam gratiam, quæ ipsam possit à peccato liberare.

*Duplicem damus* ad hoc argu-

mentum solutionem. Prima: ad maiorem respondemus, illam prioritatem non esse sumendam secundùm ordinem durationis, quasi oportuerit in aliquo instāti, Virginem esse, & non habere gratiam; sed hæc prioritas est magis secundùm nostrum modum concipiendi, qui sequitur ordinem longè diuersum ab ordine durationis, quomodò dicitur materia esse prior forma, & subiectum prius accidente; non quòd in aliquo instanti præcesserit materia formam, aut subiectum accidens. Hac distinctione vtuntur Theologi in materia de Creatione mundi, dùm disputant *vtrùm mundus potuerit esse ab æterno?* Nam si affirmatiuam tenentibus partem objiciatur, priùs oportet rem non esse, quàm esse: ergo mundus debuit priùs habere non esse, quàm esse, & ita non potuit esse ab æterno. Respondent distinguendo antecedens, & illud dicunt esse verum de prioritate secundùm ordinem naturæ, falsum autem de prioritate durationis. Ita in præsentiarum dicimus, Virginem in primo instanti sui esse, prius fuisse, quàm habuisse, ita vt hæc prioritas nullum importet durationem, nec momentaneam quidem, sed dumtaxat secundū ordinem naturæ, quem etiā seruant inter se Genus, Species, & indiuiduum. Ad minorem respondemus, in hoc solo non cōsistere peccatum originale; requiritur vltrà, vt carentia iustitiæ insit animæ secundùm prioritatem durationis; & hinc falsitas nascitur Conclusionis.

167 *Secunda solutio*: sumatur etiā illud instans secundùm durationem temporis. Respondemus ad maiorem, Virginem in illo instanti priori non minùs esse capacem peccati, quàm gratiæ; cùm nec capax sit peccati, quod antecedit actualem culpam originalem: siquidem in illo primo instanti habet anima tantùm esse, & nihil aliud habet in se. Hinc dicitur esse in puris naturalibus, hoc est, nihil habens boni, aut mali moralis; imò nihil aduentitium suæ naturæ; ac proindè Virgo Maria in illo instanti non fuit iusta, aut iniusta; deficitquè illa maior ex defectu sufficientis enumerationis; datur enim inter peccatum, & iustitiam status medius, dictus in puris naturalibus.

168 *Quintum argumentum*. Beata Virgo baptizata est baptismo Christi Domini: ergo contraxit peccatum originale; imò Beatam Virginem Mariam obligatam fuisse præcepto Baptismi, de quo Ioannes 3. n. 3. *Nisi quis renatus fuerit, &c.* docet *Vasquez* cum alijs Authoribus. Consequentia probatur: quia persona non habens peccatum originale, non est capax Sacramenti Baptismi, cuius institutio fuit ad delendum originale. Vndè *Concilium Tridentinum sessione 5,* dam-

damnans illos, qui negarêt parvulos ex Adam trahere originale peccatum, quod per Baptismum necesse sit expiari ad consequendam vitam æternam, ait: *Vndè fit consequens, vt in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur, &c.* Sentit ergo Concilium non posse verum Baptismum suscipi ab eo, qui non habet peccatum originale.

169 *Vrgetur* argumentum ex D. Augustino *tomo 7. lib. 1. de peccatorum meritis cap. 18.* vbi agens de Baptismo infantium: *Si nulla* (inquit) *originalis peccati ægritudine sauciati sunt, quomodò ad Medicum salutis æternæ, suorum currentium pro timore portantur, & non eis in Ecclesia dicitur: auferte hinc innocentes istos; non est opus sanis medicus, sed malè habentibus; non venit Christus vocare iustos, sed peccatores; nunquam dictum est, nunquàm dicitur, nunquàm omninò dicetur in Ecclesia Christi tale documentum.* Hæc Augustinus. Ecce quomodò Sanctus Pater ex eo, quod debeant baptizari infantes, colligit contrà hæreticos originale peccatum, & aliter negat, eos fore baptizandos. *Confirmatur:* quia forma Baptismi est: *Ego te baptizo, &c.* sed verbum *baptizo* significat spiritalem ablutionem: ergo si Beata Virgo non habuisset peccatū originale, non potuisset baptizari. Patet consequentia, quia non est capax ablutionionis persona, quæ nullam maculam cōtraxit: Cùm ergo Beata Maria nullam maculam peccati actualis habuerit; si ab originali quoquè asseratur immunis, nihil manebit, supra quod cadat Baptismatis ablutio.

170 *Concesso antecedenti*, negatur consequentia; ad probationem dico, institutionem Baptismi esse ad delendum peccatum originale in lege gratiæ; sed non esse solùm illū effectū illius. Cōfert enim gratiam sanctificantem, imprimit characterem, constituit hominem visibiliter intrà Ecclesiam, cuius Ianua est hoc Sacramentum, disponitquè ad cætera recipienda. Propter hos fines, &. ad huiusmodi effectus consequendos, potuit Beata Maria recipere Baptismum, etsi peccatum originale non cōtraxerit, nec illi fuerit subiecta, propriè loquendo. Et quidem ex eo, quod Beata Virgo non contraxerit originale, non benè infertur, eam non fuisse baptizatam: quippè certum est, multos, cùm ad Baptismum accesserūt, iam fuisse anteà consecutos remissionem culpę originalis; nàm in exordio nascentis Ecclesiæ, omnes, quì ex Iudaismo conuertebantur, Baptismum suscipiebant, vt constat ex Actibus Apostolorum; & tamen illi in Circumcisione iam obtinuerūt remissionem originalis: ergo Beata Virgo rectè potuit baptizari, quantumuis non habue-

rit originale, quod in Baptismo tolleretur.

171 *Replicabis*. Illos, qui in exordio Ecclesiæ baptizabantur, fuisse quidem consecutos remissionem culpæ originalis ante Baptismum in Circumcisione, aut aliquo alio modo, tamen id factũ esse in Voto Baptismi, quem posteà susceperunt; sicut nunc, si infidelis adultus ante realem susceptionem Baptismi eliceret actum contritionis, consequeretur quidem remissionem originalis, sed tamen in Voto Baptismi, quem propterea tenetur posteà recipere; at Beata Virgo, si peccatum originale non habuisset, nunquàm potuisset consequi remissionem illius in Voto Baptismi, & ideò nunquàm baptizari.

*Contrà*, quia antequàm præceptum Baptismi obligaret, non erat Baptisma medium necessarium ad cõsequendam remissionem peccati originalis: cùm omninò certum sit, nihil esse magis obligatorium, quàm quod exequi tenemur, tanquàm medium, sine quo non obtinebitur iustificatio, & æterna salus. *Hinc patet*, Baptismum minimè fuisse necessarium necessitate medij ad remissionem peccati originalis, antequàm daretur præceptum illius, imò antequàm institueretur: ergo qui ante institutionem, vel præceptum Baptismi consequuti sunt in antiqua lege remissionem culpæ originalis, non illam obtinuerunt in Voto Baptismi. Consequentia est clara: quia, vt constat ex communi consensu Doctorum, tunc dicitur, conferri gratiam, vel remissionem peccati in Voto alicuius Sacramenti, quando illud est medium per se institutum ad illum effectum; sed quando in lege veteri conferebatur gratia, & remittebatur peccatum originale, nõdùm erat Baptismus institutus ad eũ effectum: ergo gratia, & remissio originalis peccati non conferebantur in Voto Baptismi. *Tandem concludimus* remissionem peccati originalis, non ita esse effectum Baptismi, vt necessarium sit habuisse priùs peccatum originale, vt notauimus supra.

172 *Sed quid dicemus* ad testimonia Tridentini, & Augustini? Fateor, bonã esse difficultatem, sed faciliter soluitur. Supponũt enim, & meritò quidem, formam Baptismi significare ablutionem spiritualem à peccatis, sub illo externo Ritu ablutionis corporalis, nõ quia semper eam ablutionem conferat absolutè, sed quia ex se, & sua institutione potest illam conferre, si necessaria sit. Si autem in infãtibus nullum peccatum originale existeret, non esset institutus Baptismus ad eam ablutionem cõferendam, foret enim institutio superflua, vtpotè carens fine suo, & propterea rectè infert

Tri-

Tridentinum fore falsam formam Baptismi, ex eo quod generaliter loquendo non existeret in infantibus peccatum originale; quia eo ipso ea verba: *Ego te baptizo*, non significarent ablutionem spiritualem, quæ in eo consistit, quod detur gratia ordinata ad tollendum originale, si illud sit, vt communiter esse supponebatur. At verò posito, quod in originali, & absolutè infantes, & alij habeant peccatum originale, vel illud habuerint, vera est absolutè forma Baptismi significans illis cōferri in hoc Sacramēto gratiam, qua tolleretur hoc peccatum, si illud adhùc haberent, licèt in multis in exordio Ecclesiæ non fuerit Baptismus sortitus hunc effectū, quia iam virtute alterius medij remissum erat. Et eodem modo, quamquàm Beata Virgo originale non contraxerit, vera fuit forma Baptismi, quam suscepit; nàm sensus illorum verborum: *Ego te baptizo*; fuit confero tibi gratiam, quæ potens esset auferre maculam originalis, sicut aufert ab alijs, licèt, quia tu præseruata fuisti, non sit hæc ablutio necessaria, &c.

173 *Sextum argumentum*. Beata Virgo mortua fuit corporaliter; sed huiusmodi mors est effectus originalis peccati: ergo Virgo Mater contraxit originale peccatum. *Concessa maiore*, negatur minor: quia mors adhùc est debitum naturæ, & maximè quia Deus noluit suspendere concursum primarum qualitatum ad inuicem inter se pugnātium; & factum fuit hoc ex speciali Dei prouidentia, vt scilicèt mater esset filio similis, qui ærumnas pati, & mortem subire dignatus est. Pulchrum est documentum D. Bernardi: *non decebat sub capite spinoso, membra esse delicata*.

*Replicabis*, quòd ex scriptura, & Patribus habetur, per peccatum subintrasse mortem in mundum: ergo si Virgo mortua est, Virgo contraxit peccatum. *Breui negotio* ab hac liberamur difficultate, si dicamus, Virginem Matrem minimè fuisse sub hac lege comprehensam. *Vel, si placet*, dicatur secundò, quòd adductæ authoritates intelligendæ sunt de morte spinosa, seù pœnosa, qualis in Virgine Matre nequaquam fuit. Dicimus ergo Virginem Matrem solùm mortuam fuisse, vt sic solueret naturæ debitum. Quæcumque ex his responsionibus detur, dicunt Doctores, per illas sufficientissimè restare solutum propositum argumētum. *Ad abundantiorem* huius rei Doctrinam, & pleniorem intelligentiam huius veritatis, placet tandem

San

## *Sanctorum Patrum placita adducere.*

174 ANtequàm vltimam imponamus manum huic assertioni, volo admonitos Lectores, quòd licèt cum funda-mento ab Aduersarijs adducatur D. Thomas pro sententia nobis aduersa; tamen Angelicus Doctor non fuit firmus assertor opinionis nobis cōtrariæ: quippè alibi docet nostram sententiam. Vndè *in primo sententiarum dist.46. art.13. ad tertium, & opusculo 8. tomo 18. in initio*, ita scribit: *Ipsa enim purissima fuit quantùm ad culpam; quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Sanctus Dominicus Sacri Prædicatorum Ordinis Patriarcha nostræ adhùc fuit sententiæ: etenim de Sacramento Eucharistiæ (vt ait Galatinus) ait: *Sicut primus Adam fuit ex terra immaculata formatus, ita decuit in secundo Adam fieri.* D. Bonauentura etiam *in 3. dist.3.q.1.* ait: *Non audeo reprehendere Sanctam Conceptionem, quia vt quidam dicunt, hæc solemnitas celebrari cepit, non humana inuentione, sed Diuina reuelatione.* Salmeron *disp. 51. in fine*, in hunc modum scribit: *Beatus Bonauentura propè mortem retractauit sententiam, vt dicitur, & idem fecit Alexander Alensis.*

*De D. Augustino* est dubitatio, quid senserit. Aliqui enim contendunt, esse asseueratorem peccati originalis in Maria; ait enim *de perfectione Iustitiæ cap. 11. Aliud est esse sinè peccato, quod de solo in hac vita Vnigenito dictum est, aliud sine querela.* Et *lib.4.* cōtra duas Epistolas Pelagianorum *cap. 4.* agens de morte sinè culpa, ait: *quòd de vno solo Mediatore Dei, & hominum, homine Christo Iesu, Catholica fides nouit, qui pro nobis mortem, hoc est peccati pœnam, sinè peccato subire dignatus est.* Et *lib.1.* de peccatorū meritis, & remissione *cap.29.* de Domino ait, *solus sinè peccato natus est.* Et *lib.2. cap. 28. solus ergo ille etiam homo factus est manens Deus, peccatum nullum habuit vnquàm.* De mente tamen Augustini probat Salmeron *ad Rom.5. disp. 51.* Augustinum nil contrà Immaculatam Virginis Cōceptionem concepisse. Agebat contrà Pelagianos negantes originale, & ideò docet, omnes, excepto Christo, nasci in peccato originali.

175 *Quarè dico*, D. Augustinum, Sacram Virginem mundam ab originali asseruisse illis aureis verbis *lib. de Natura, & gratia contrà Pelagianos cap. 36. excepta itaque Sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini, nul-*

*lam*

*lam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem. Indè enim scimus quod ei plùs gratiæ collatum fuerit, ad vincendum omni ex parte peccatum, quæ concipere, ac parere meruit eum, quem constat, nullum habuisse peccatum.* Ita Augustinus, quem loqui non tantùm de actuali peccato, sed etiam de originali, monstrant *Caterinus opusculo de Immaculata Conceptione p.1. cap.5. Suarez tomo 2. in 3. p. disp. 3. sess. 5. Vasquez tomo 2. in tertiā partem disp. 117. cap. 3.* quia propter honorem Domini, eius Mater, etiam à peccato originis est dicenda immunis, & indè tantam habuit gratiam, vt peccatum ex omni parte vinceret, & indè meruit concipere, & parere Christum. *Et quidem* scimus, ait Augustinus, vt denotet (vt aduertit Salmeron) hunc debere esse sensum communem Catholicorum. Eadem Augustini sententia constat *ex lib 5. contra Iulianum cap. 15.* Alij Doctores Ecclesiæ fauent etiam nostræ opinioni.

176 *Diuus Ambrosius* quoquè, dùm de Beata Maria ad nostrū propositum loquitur, inquit, *hæc est virga, in qua nec nodus originalis nec cortex venialis culpæ fuit.*

*Vincentius de Bandelis* in suo Tractatu parte 2. ad vndecimam rationem, multa dicit, vt hoc Ambrosianum testimonium infirmet. In primis dubitat, *an ista sint verba Ambrosij?* Et dubitat, quia in operibus illius non inueniuntur. Secundò idem Bandellus dicit, se legisse illa verba apud vnum Doctorem, & esse ista: *Hæc est Virga Iesse, quæ licèt in Conceptione originalis peccati amaritudinem cōtraxerit, rore postmodùm Diuinæ gratiæ superueniente, fructum suauissimum protulit, quia sua dulcedine inebriauit. Tertiò respondet*, sensum illorum verborum esse, post sanctificationem, seù ablationem ipsius peccati originalis, nullum fuisse in Beata Maria peccatum mortale actuale, quod quidem appellari potest nodus culpæ originalis, sicut nec fuit peccatum veniale, quod cortex potest nuncupari. *Quartò respondet*, nomine nodi originalis appellari actualem concupiscentiam, & nomine Corticis, significari fomitem peccati; Virgo autem nunquàm actualem concupiscētiam habuit; fomitem verò post Incarnationem filij, Deus abstulit ab ea.

177 *Friuola responsio*. Prima errat: nam estò testimonium illud modò non reperiatur inter opera Sancti Ambrosij, tamen credi debet, vel perijsse Tractatum, vndè desumptum est tale testimonium: nam ipse *lib. 2. in Lucam* testatur, se scripsisse Commentarios super Isaiam, qui tamen modò non extant. Quod autem credendum omnino sit, hæc verba esse Sancti Ambrosij. Probatur primò: quia in Breuiario

nario Romano edito Lugduni *anno* 1544. cum priuilegio Summi Pontificis, & Regis Galliæ, in 3. lectione officij Conceptionis affertur hoc testimonium, tanquam à Sãcto Ambrosio prolatum. *Accedit*, quod nos Franciscani in officio approbato à Pio Quinto afferimus idem testimonium in Antiphonis secũdarum Vesperarum: ergo, cùm ex Breuiarijs soleat desumi argumentum pro veritate, verisimile est, alicubi in Sancti Ambrosij scriptis hoc testimonium haberi. *Ad secundam responsionem* facilè occurrimus, negando lecturam ipsius; cùm nostra reperiatur in Breuiario. *Tertia responsio* non facit ad rem: nam nõ facerent illa verba legitimum sensum, nisi significarent, in Beata Virgine non fuisse culpam originalem. Cur enim peccatum mortale actuale appellabitur nodus peccati originalis? *Quarta* deniquè responsio restat expulsa ex dictis: impropria quippè foret locutio Ambrosij, si concupiscentiam appellaret nodum peccati originalis: nodus enim est proprius Virgæ, non autem peccati. *Cætera*, quæ desiderantur de D. Ambrosio, legantur apud Doctores.

178 *Audiamus iam alterum Doctorem*, Sanctum Hieronymum. In Breuiario Hispalensi in festo Conceptionis, lectione 1. secundi diei, legitur ex D. Hieronymo: *quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit, &c.*

*Bandellus* explicat de præseruatione à solo peccato actuali. Errat tamen: nàm si originale contraxisset, non quidquid in ea gestum est, fuisset gratia, & puritas: verè enim culpa originalis impuritas est, & multò magis contraria gratiæ, quàm peccatum veniale. Deindè in sermone eiusdem Sancti Patris, qui recitatur apud nos in secundo nocturno, approbato pro nobis, & monialibus in honorem Immaculatæ Cõceptionis à Pio Quinto vigesima quinta Maij *anno* 1569. hæc verba habentur: *Non immeritò venire de Libano iubetur; quia Libanus candidatio interpretatur; erat enim candidata* (supple Maria) *multis meritorum virtutibus, & dealbata niue candidior, &c. & ideò Immaculata, quia in nullo corrupta, &c.* Nunc dico. Si originale contraxisset, in aliquo corrupta esset, nimirùm in culpa, quæ spiritalis animæ corruptio est, & principium totius corruptionis.

179 *Accedat iam Sanctus Gregorius.* Hic in caput primum sui libri primi in libros Regum, declarans illud Isaiæ 2. nu. 2. *Erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice mõtium.* Eggregias Beatæ Mariæ laudes scribens dicit, eam hoc monte significari: *Mons quippè* (inquit) *in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ suprà omnes Sanctos resul-*

*refulsit*: Et paulò superiùs inquit: *an non mons sublimis Maria, quæ, vt ad Conceptionem Aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem suprà omnes Angelorum Choros, vsque ad solium Deitatis erexit*. His in verbis non parùm fauet Sanctus Doctor Immaculatæ Mariæ Conceptioni. *Primò*, quia de Sancto Ioanne Baptista nõnulli Authores affirmant, nec venialiter quidem peccasse. Vndè, vt Maria in hoc genere super illum refulgeat, præseruari debuit etiam ab originali. *Secundò*, quia Angelos puritate excessit. Vndè, cùm illi nullum habuerint peccatum, & creati sint in gratia, ita dicendum de Virgine Maria. *Tertiò*, quia ad solium Deitatis erexisse merita, significare videtur æqualitatem ad Christum Dominum habuisse, non absolutam, & in omnibus, sed in eo, quod, sicut Christus Dominus nullum peccatũ habuit, ita nec Sanctissima eius Mater, quamùis ille per naturam, ista per gratiam, seù ex priuilegio. *Si vellemus* notare Patres nostræ fauentes propositioni, non sufficeret Charta, legantur ergo apud scribentes de hac materia.

180 *Summos Pontifices* valdè inclinare ad nostram propositionem, patet de Sixto Quarto, de quo supra n. 139. mentionem fecimus. Adde *Iulium Secundũ, qui* in institutione, & approbatione ordinis religiosarum Monialiũ Immaculatæ Conceptionis, in capite quarto suę Regulę, sic habet: *pallium sit Hyacentini coloris propter mysticam significationem, quia scilicet Gloriosa Virginis anima à creatione sua, tota Sancta fuit, Cælestis, & singularis æterni Regis Thalamus*. Videatur noster Aretinus *in 3. dist. 3.* Cùm ergo Pontifex Religionem approbauerit, cuius Regula profitetur, caruisse Virginem originali, verè videtur, Summum Pontificem esse pro Immaculata Cõceptione Virginis Matris. *Leo Decimus* concessit Indulgẽtiam plenariam dicentibus, vel audientibus Missam Conceptionis, & ibi orantibus, & pro Ecclesia vniuersali. Sic habetur in Compendio Minorum, Sic etiã refertur in compendio priuilegiorum, & gratiarum Societatis Iesu; *Verbo Indulgentiæ*. *Pius Papa Quintus* viuæ vocis oraculo concessit nobis speciale officiũ Conceptionis, in quo asseritur, Beatam Mariam fuisse immunem, & illud approbauit; nec solùm recitatur à nobis in die Conceptionis, sed etiam in singulis sabbatis, non impeditis officio nouem lectionum. Certè id totum indicat peculiaris Summorum Pontificum propensio in nostram propositionem; & maximè *Alexandri Septimi* nunc regnantis (cui longa numerare tempora vitæ, plusquàm Nestor, Deus concedat) qui ad hoc in Bulla Typis data

anno 1661. die 11. mensis Decembris innouat Constitutiones, & Decreta in fauorem nostræ sententiæ edita, scilicet quòd anima Beatæ Mariæ Virginis in primo instanti suæ creationis, & in corpus infusionis à peccato originali, præueniente Spiritus sancti gratia, præseruata fuit. Et quòd ipse Summus Pontifex pro nostra sit sententia; haud tantùm ex Decretorum innouatione colligendum est, verùm & ex pęnis, quas ipso facto absquè vlla alia declaratione vult, aliter sensientes incurrere; & ex librorum prohibitione, &c. Legatur prædicta Bulla, quæ satis quidem Immaculatæ Conceptioni Virginis fauentibus adest.

181 *Concludo ergo*, Beatam Mariam in primo instanti suæ formationis verè non incurrisse maculam originalem; quinimò dono innocentiæ fuisse tunc cōdecorata. Innocentiam duobus modis sumi, suppono; vna quippè est negatiua, altera positiua. Innocentia negatiua est immunitas à peccato, & nil ampliùs dicit; hinc, si Deus hominem crearet in puris naturalibus absquè vllo dono gratiæ, diceretur habere innocētiam negatiuam. Positiuam innocentiam, illam appello, quæ vltrà immunitatem à peccato, importat gratiā inhærētem, qua formaliter quis dicitur iustus, innocens, & amicus Dei. Et hac vltima innocentia condecorata fuit anima Beatæ Virginis à primo puncto sui esse. *Pro complemento* totius difficultatis restat examinanda hæc alia

# DIFFICVLTAS.

## *Vtrùm Beata Maria in Adamo peccauerit, & incurrerit debitum contrahendi peccatum originale.*

182 Moneo primò, idem esse peccare in Adam, atque habere debitum, & necessitatem contrahendi peccatum ex Adam: quia peccare in Adam tantùm est, posteritatem Adami ratione peccati ipsius, fieri debitricem, & adstrictam ad cōtrahendum peccatum originis. Peccatum enim in Adam, non est re ipsa, contrahere in se ipso proprium peccatum: nam si Deus, postquàm Petrus peccauit in Adam, statuisset dare illi gratiam in instanti Conceptionis, illumquè pręuenire, & liberare

rare

rare à lapsu in peccatum originale; tunc Petrus peccasset in Adam, & tamen in se nō contraxisset peccatum: ergo peccare in Adam, idem est, atque habere debitum peccandi ex Adam deriuandi ineuitabiliter, nisi adsit præuentio. *Noto secundò*: vt quis peccet in Adam, non sufficit cōtineri in ipso, tanquàm in capite naturali: quia sic omnis filius esset peccans in suo Patre, in quo tanquàm in principio naturali continetur; sed requiruntur duo. Primum, vt eius voluntas sit constituta in voluntate Adami: peccatum enim debet esse voluntarium; vndè, sicut nemo potest peccare in se, nisi voluntate existente in se; ita nemo potest peccare in Adam, nisi voluntate existente virtualiter in Adam. Secundum requisitum est, vt lex imposita Adæ se extēdat ad illum, qui dicitur peccare in Adā: nàm *vbi non est lex, nec præuaricatio*; ad Romanos 4. n. 15. His stantibus.

183 *Doctores omnes*, qui affirmarunt, Beatam Dei Genitricem conceptam fuisse in peccato originali, & consequenter, & potiori iure asseruerunt, eam in Adamo peccauisse, & ex vi suæ Conceptionis obnoxiam fuisse peccato, seù quod idem est, incurrisse debitum eam culpam contrahendi. *Ex Authoribus autem*, qui asserunt nobiscum, Dei Genitricem fuisse ab originali præseruatam, non pauci dicunt, eam nihilominus, in Adamo peccasse, & obnoxiam fuisse originali ex vi suæ Conceptionis. De Scoto dicam inferiùs n. 187. *Gerson Alphabeto* 15. *litera Q, veritate decima. Corduba lib.* 1. *quæstionalium q.* 44. *conclusione* 5. *Bellarminus tomo* 3. *lib.* 4. *de amissione gratiæ cap.* 16. *in principio, Suarez* 3. *p. tomo* 2. *disp.* 3. *q.* 2. *Vasquez ibidem disp.* 15. *Ghisleus in caput primum Canticæ versu* 6. *fol.* 109 *columna* 2. *Cornelius Cornelij in illud Rom.* 5. *in quo omnes peccauerunt*, *Valentia*, & cum ipso multi alij docent, Beatam Mariam conceptam fuisse sub lege, & pacto inito à Deo cum Adamo de conseruanda iustitia originali; & consequenter contineri debuisse sub pacto de eadem iustitia amittenda; ita vt si Adamus perderet, Virgo etiam amitteret, & consequenter peccaret.

184 *Ego tamen dico: esse maximè probabilem sententiam docentem, Dei Genitricem non peccasse in Adamo; seù quod idem est, non incurrisse debitum contrahendi culpam originalem, absolutè loquendo; vt nu.* 194. & sequentibus clarè ostendam. Sunt pro ista sententia, qui subsequuntur Doctores. Primò Nicolaus de Cusa Episcopus Brixiensis, & postea Cardinalis creatus à Nicolao Quinto lib. 8. exercitationum, quæ habentur in tomo 2. operum illius, declarans illud Cāticæ 2. n. 2. *Sicut lilium inter spinas, &c.* per-

spicuò nostram sententiam docet his verbis: *non indiguit Virgo liberatore, qui ipsam absolueret à sententia in Adam, & posteros eius, ex voluptate carnis lata, cui nunquàm subiacuit: nec indiguit liberatore à seruitute, in qua nunquàm fuit; præliberatorem enim Virgo Sancta habuit, cæteri liberatorem; sola electa Dei Mater hoc habet, quòd in initio essendi sub nequitia maligni deficere nequiuit.*

*Secundò Ambrosius Caterinus in opusculo de Conceptione parte 1. cap. 1. §. priusquàm verò, &c. & §. sequenti*, clarissimè idem docuit. Audiantur ipsius verba: *Nos gratiam, & merita filij eius Iesu Christi perspicientes contra asserimus; ita vt liberam illam (scilicet Virginem Beatissimam) ac liberatam ab ea lege omninò constituamus, dico liberam, quia Dominus non constituit Matrem sub illa lege; dico liberatam, quia nec includeretur, fauor fuit, prærogatiua fuit, priuilegium fuit.*

185 *Tertiò Salmeron in Caput quintum epist. ad Rom. disp. 49.* videtur idem sentire: nàm *pagina* 117. *columna* 1. inquit: *voluit Christus Mariam ab omni lege excipere, nè vllo vnquam tempore esset peccato subdita, & pagina 619. columna 2.* inquit: *non simpliciter fatemur Mariam fuisse peccato obnoxiam, sed ex se, & suaptè natura*: quasi diceret, foret Virgo obnoxia peccato, si Deus sua gratia illam à communi lege non excepisset. *Quartò* eamdem doctrinam disertè amplectuntur, **Frãciscus** *Turrianus in Epist. ad Iacobum Amutum, & noster Angles in floribus secundi sententiarum dist. 31. q. 1. de contractione peccati originalis appendice 6.* Quintò *Canisius lib. 5. de Deipara cap. 27. §. ad Thomam*, refert ex Alberto Magno hæc verba: *Hanc Sanctissimam Virginem solam à communi illa regula excipi: omnes in Adam peccauerunt.* Sextò *Iustinianus super Caput secundũ prioris ad Thimoteum num. 6.* ait esse valdè probabile, *Mariam non peccasse in Adamo*, licèt *in cap. 11. ad Hebræos pagina 631.* dicat, *obnoxiam fuisse culpæ originali*. Septimò Cosmas Magalianus in Caput secundum prioris ad Thimoteum *sessione 6. annotatione 6. §. addo, &c. mihi videri*, ait, *esse probabilem.*

186 *Octauò, Gregorius de Valentia tomo 4. disp. 2. q. 1. p. 2. in solutione tertiæ obiectionis*, non omninò improbat modum loquẽdi Caterini; & *tomo 2. disp. 6. qu. 11. puncto 2. ad primum*, putat probabile, & pium, Virginem Mariam exceptam fuisse à lege communi.

*Nonò, Basilius Ponce variarum disput. parte 1. relectione 3.* inquit: ***non improbabiliter affirmari posse, Beatam Virginem etiam à debito contrahendi originalem culpam, fuisse immunem***. Et quamuis ipse eam doctrinam nõ sequatur, subdit hæc verba; ***non video, qui prædictam Virginis immunitatem à***

debi-

*debitò contrahendi defenderet, cur adeò seuera censura dignus sit, quali rigidi quidam Censores Complutenses illam notabant.*

*Decimò, Salas prima 2. tomo 2. qu.82. tract.13. disp.11. sessione 5. quæstione* 11. nulla nota notat asserentes, Beatam Virginem non fuisse obnoxiam originali, refertquè Doctores, qui eodem modo loquuntur.

## *Examinatur, quid senserit Scotus de debito Sanctissimæ Virginis.*

187 NOnnulla est apud Theologos dissentio, quid senserit Scotus in hac re. *Quidam etiam* ex Nostratibus sunt opinati, subtilissimum Scotum connumerandum inter Doctores admittentes in Virgine Matre contrahendi debitum, estò maculam non contraxerit. *Aliorum opinio fuit*, subtilissimum Scotū mansisse dubiū. *Alij* altiùs volitantes notant, Scotum aliud sensisse implicitè, & in affectu, aliud explicitè, & in voce, & notant illius prudentiam in non explicasse suam sententiā quoad rationem de debito, eo quod tempestate illa ferè omnes vrgebant pro actuali contractione maculæ.

*Vt verùm fatear*, video mihi dicendum, Scotum subtilissimum satis explicitè, & clarè negasse debitum Sanctissimæ Virgini, & protulisse ore, quod habebat in voto, & tenebat in Corde. Quod si aliquando manifestè debitum Virgini tribuit, intelligendus est, non equidem de proximo, seù morali, sed potiùs de physico, & remoto; legatur *Salazara cap. 24. §. 17. nu.* 205. Scotum esse pro sententia negante debitum proximum, & moralem Virgini Matri, colligo ex his, quæ apud ipsum leguntur *in 3. dist. 3. q. 1. §. si autem, &c. vers. per istud patet, &c.* vbi sic legitur: *Per istud patet ad rationes factas pro prima opinione, quia Maria maximè indiguisset Christo, vt Redemptore; ipsa enim contraxisset originale peccatum ex ratione propagationis communis; nisi fuisset præuenta per gratiam Mediatoris, & sicut alij indiguerunt Christo; vt per eius meritum remitteretur eis peccatum, iam contractum: ita illa magis indiguit Mediatore præueniente peccatum, nè esset ab ipsa aliquando contrahendum, & nè ipsa contraheret.* Hæc Doctor subtilissimus.

188 *Volo vos* rogatos ad obseruanda illa verba: *Nè esset ab ipsa aliquando contrahendum, & nè ipsa contraheret:* non enim aliud significare videntur, quàm quod

per

per gratiam meritorum Christi, non solùm Virgo fuit immunis ab actuali peccato, nè illud contraheret; verùm etiam à necessitate, & debito contrahendi illud; aliàs ad quid tot verba Scotus multiplicaret. Tùm quia in rigore hoc sonat, scilicèt, *nè esset peccatum cõtrahendum*, quod est dicere, non habuisse debitum. *Adde*, quòd Scotus paulò superiùs loco supra citato *sub lit. D.* volens insinuare modum glossandi authoritates omnes in cõtrarium ad suam sententiam de præseruatione à peccato originali, ita ait: *Et ita exponendæ sunt authoritates, quòd omnes naturaliter propagati ab Adam, sunt peccatores, hoc est ex modo, quo habent naturam ab Adam; habent, vndè careant iustitia debita, nisi eis aliundè conferatur*. Hæc Scotus. Intelliguntur ergo per Scotum quãtùm ad debitum remotum, & exigentiam propagationis omnes authoritates adductæ; sed sic est, quod maxima ex parte authoritas, quæ insinuat debitum contrahendi est illa Pauli ad Rom. 5. n. 13. *omnes in Adã peccauerunt*, & hæc ponitur principaliter à Scoto eodem modo in textu soluenda; ergo intentùm eius reuera fuit, quòd, & si in Virgine fuerit debitum remotum, seù physicum contrahendi peccatum originale ex vi propagationis, non tamen morale, seù proximum: cum fuerit præuenta Virgo ex speciali priuilegio vi meritorum Christi præuisorum.

189 Vt securiùs, & fundatiùs hac in re procedamus, scitum Lectoribus volo, quòd *Anno Domini* 1615. Cùm hæc controuersia de debito Virginis agitaretur, & forti animo defenderetur à Patribus nostræ Seraphicæ Religionis; anno sequenti editum est decretum à Supremo Tribunali Sanctissimæ Inquisitionis, quod est Matriti, & ipsius meminerunt *Aegidius lib. 2. q. 4. articulo 7. §. quarto*, *Perlinus in Apologia de Conceptione Virginis dist. 3. cap. 8. num. 16. Salazar capite 8. num. 28. & tandem Pater Granado lib. de Conceptione Virginis disp. 3. cap. 22. sess. 2. nu. 18.* Verba Decreti, quæ refert Granado, sunt hæc: *Cùm Patres Ordinis Sancti Francisci, paucis ab hinc diebus Toleti assertiones prælo mandatas euulgassent, in quibus hæc propositio continebatur*: Beata Virgo Maria non contraxit debitum originalis peccati; *statim delata est prædicta doctrina ad Tribunal Sanctæ Inquisitionis, & fuit probibitum, nè Minores eam defenderent; cuius rei occasione consulti sunt ex omni parte Theologi Compluti, Hispali, Cordubæ, Granatæ, & in Academia Oxonensi, innumerique in prædictis locis subscripserunt huic propositioni, tanquàm veræ, aut certè valdè probabili, seù indignæ quacumque, vel leuissima nota &c.* Aitque Granado, apud se habere subscriptiones omnes;

&

& ad supremum Tribunal Inquisitorum fidei, Matritum fuerè delatæ, ibiquè diligenter eadem propositio discussa est; & post sufficientem discussionem, editum est Decretum à Supremo Tribunali, Præsidente Cardinali Toletano, tanquàm Supremo Generali fidei Inquisitore, per quod declaratum fuit in fauorem Fratrum Minorum, nihil esse, quod impediret, quominùs prædicta Doctrina, Typis excussa, defenderetur: & iussit Tribunal, vt Toleti liberè prædicta Conclusio defendi posset, & de facto Toleti in die Sancti Idelfonsi acerrimi Propugnatoris puritatis Virginis, missus est à Supremo Tribunali Nuncius, qui decretum illius diligenter Toletum deferret. Idem testãtur *Perlinus*, & alij supra citati.

190 *Hæc omnia* ideò adnotaui cum Decreto huius Sanctissimæ Inquisitionis; nè quis deinceps audeat prædictam propositionem notarè censuris; & notabã ad Inquisitores fidei referrem. Vnũ Lectoribus desidero scitũ, quod tantam vim habuit Decretum hoc Sanctissimæ Inquisitionis, vt ipsemet *Suarez* statim retractauerit se à censura supra allata; confitendo, opinionem nostram, satis esse probabilem; sic habet *in prima* 2. *D. Thomæ disp.* 9. *sess.* 4 *n.* 34. & 38. Dicatur ergo, Deiparam Virginem defendi posse absquè vlla censuræ nota, cum immunitate à debito.

*Noto etiam*, quod postquàm traditum fuit huiusmodi Supremæ Inquisitionis Decretum, statim Theologi quamplurimi perspicaciùs intueri ceperunt doctrinã Concilij Tridentini traditam *sess.* 5. vbi latè de peccato originali fit sermo; & simul aduertetunt, quòd à Sancta Synodo liberum omnibus relinquitur, defendi posse, Deiparam Virginem immunem, nedùm ab ipso peccato originali, verùm, & à debito contrahendi illud.

191 *Perpendantur* verba Concilij Tridentini; sic enim ibi legitur: *Declarat tamen hic ipsa Sancta Synodus, non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei Genitricem*; sed in hoc decreto, Concilium Tridentinum *Canone* 2. tractat de debito: ergo Concilium non comprehendit Virginem in doctrina de debito. Probatur minor: nàm Canon sic habet: *Si quis Adæ prauaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo Sanctitatem, & Iustitiam quã perdidit, sibi soli, & non nobis etiã eum perdidisse*: hæc est prior pars Canonis; posterior autem pars est ista; *aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem, & pœnas Corporis tantùm, in omne genus humanum transfudisse, non autem, & peccatum, quod mors est animæ; anathema sit*: in priori parte nil aliud est, quam Adamum

sanctitatem perdidisse nobis, & debito ea carendi nos adstrinxisse; eo quod in posteriori parte statuit, peccatum esse transfusum: ergo quando Tridentinum asserit non esse suæ intentionis, Deiparam in decreto de originali peccato comprehendere, nec eam comprehendit in debito. Ita sunt interpretati Concilium *Salazar cap.4.nu.7.* afferens quoquè eos, qui fuerunt Tridentini. Vnum grauissimum Theologum non relinquam, scilicèt nostrum *Patrem Cornelium Mussum Episcopum Bitontinum*, qui adfuit in Tridentino, & strenuè pro hac veritate pugnauit; & eius tanta fuit authoritas, vt huic vni Decretorum compilatio à toto Concilio fuerit demandata. Consulite eum *ad Rom.5.*

392 *Pro defensione* huius sententiæ, hic ordo prædestinationis debet præscribi, & poni primò secundùm *Doctorem subtilem in 3.dist.7. q.3.§.respondeo,&c. litera A, & dist.19.q.vnica, §.in ista quæstione, &c. litera A.* Deus voluit primò summam gloriam Christo. Secundò voluit summam gratiam, & dona alia supernaturalia, virtutes naturales,& supernaturales Christo. Tertiò voluit vnionem Hypostaticam (in hoc signo fuit terminatus ordo intentionis Christi quoad substantiam consideratus). Quartò ordine executionis voluit Deus ab æterno primò vnionem hypostaticam. Quintò voluit naturæ humanæ summam gratiam habitualem, & alios habitus, & actus supernaturales, & naturales. Sextò,& vltimò voluit summam gloriam Christo. (In hoc signo fuit terminata tota prædestinatio Christi, quantùm ad substantiam considerati secundùm ordinem intentionis, & executionis)

*In septimo signo*, quia iam præuidebantur à Deo merita Christi quoad substantiam; voluit intuitu illorum, & dependenter ab eis in genere causæ moralis summam gloriam Virgini ordine intentionis. In octauo voluit Dominæ nostræ summam gratiā habitualem, & omnes alios habitus naturales,& supernaturales cum aliquibus actibus. In nono voluit Virgini nostræ munus Maternitatis. In decimo voluit illi purissimam Conceptionem. (In hoc signo compleuit Virginis prædestinationem ordine intentionis.) In vndecimo signo, in quo incipit prædestinatio Virginis ordine executionis, voluit Deus Virgini primò purissimam Conceptionem. In duodecimo voluit, vt caro Christi iam quoad substantiam prædestinata, desumeretur ex purissimis sāguinibus Virginis, & quod esset Mater Dei. In tertiodecimo voluit illi summam gratiam, vt medium, immediatè connexum cum summa gloria, vt hæreditate. Notanter dixi,

vt

*vt hæreditate*, nàm gloria, vt Corona, immediatiùs datur propter merita, quàm propter gratiam habitualem; & ita Virgo nostra, & Christus priùs habuerunt habitualem gratiam, quàm merita. Et sic rectè disponentes prædestinationem in diuersis signis; secundùm diuersas considerationes, debent habitualem gratiam, & alios habitus collocare. In quartodecimo voluit summam gloriam Dei Genitrici. Et in hoc signo fuit terminatus ordo prædestinationis Virginis.

193 *Præuisis meritis Christi*, vt Capitis omnium prædestinatorum, & Virginis Matris eius: Deus in quintodecimo signo propter merita vtriusque, tanquàm per causam meritoriam cõpletam; voluit omnibus creaturis intellectualibus prædestinandis, gloriam Angelis, & hominibus; circa reprobandos negatiuè se habuit. In sextodecimo voluit habitualem gratiam, vt necessariò cõnexam cum gloria prædestinatis; circa reprobos negatiuè se habuit; & quia in signo hoc voluerat gratiam, & iustitiam originalem Adamo, vt Capiti morali totius generis humani. In signo decimoseptimo permisit peccatum Adami. In signo decimo octauo præuidit illud in Adam, & contrahendũ in posteros. In signo decimonono præuidit misericors Deus de remedio, & prædestinauit Christum ad esse Redemptoris per Crucis mortem, vt per eam homines Deo reconciliarentur, & amici eius fierent. In signo vigesimo tandem voluit executionem Crucifixionis, & mortis, propter quàm compensauit iniuriam Deo allatám, merendo Adamo, & posteris eius gratiam reconciliantem. *Moneo Lectores*, me hic nõ notasse omnia signa, sed ea, quæ ad intelligentiam nostræ sententiæ requirebantur: siquidem inter signũ decimumsextum, & decimumnonum, plura alia signa intercedunt. His ergo sancitis; pro conclusione nostra *nu.* 184. scilicèt, quòd B. Virgo non habuit debitum cõtrahendi peccatum originale.

## Rationes proponuntur.

194 PRobemus ergo primò, Virginem nostram esse prædestinatam antecedenter ad Adamum, & consequenter ex eo, quod ille peccauit, ipsam non incurrisse debitum proximum contrahendi peccatum originale. Sit prima probatio: Ecclesia in Conceptionis die decantat Virgini Matri ea verba

Ecclesiastici 24. *nu.* 5. *Ego ex ore Altissimi prodiui primogenita ante omnem creaturam, &c.* Quæ verba licèt de Sapientia incarnata intelligantur; Virgini nostræ ab Ecclesia applicantur, in quibus clarè dicitur, Virginem esse prædestinatam ante omnem puram creaturam, quod declarat illud adiectiuum *Primogenita*, quod non debet intelligi ordine executionis, vt patet: nàm plures homines fuerunt extrà causas, & intellectum ante Dominam nostram: intelligitur ergo ordine intentionis, & in prædestinatione, & electione Diuina. Itaque sicut D. Paulus appellat Christum primogenitũ in multis, quia Caput, & primus omnium prædestinatorum existit; ita Ecclesia vocat Dominam nostram in die Cõceptionis primogenitam: quia ex puris creaturis ipsa primò prædestinata, ex ore Altissimi, idest ex voluntate Dei procedit.

*Rursùs.* Ecclesia in die Cõceptionis decantat Virgini ea verba Prouerbiorum 8. *nu.* 22. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio, &c.* His in verbis haud obscurè insinuatur, Virginem esse prædestinatam ante omnes puras creaturas: nam Virgo Maria non fuit possessa, idest producta à Deo ante omnes creaturas ordine executionis; ergo fuit possessa in initio viarum Domini ordine intentionis, quando Deus creaturas ad gloriam prædestinauit. Idem insinuant illa verba ab Ecclesia ei decantata: *Ab initio, & ante sæcula creata sum, &c.* quæ verba necessariò debent intelligi de prædestinatione ab æterno.

195 *Accedat probatio. Ex Scoto in 3. dist. 3. q. 1. §. ad quæstionem in fine, &c.* Totum illud, quod est excellentiùs, & non repugnans authoritati Scripturæ, & Ecclesiæ,[1] debet poni in Virgine Maria: sed Virginem esse prædestinatam ante primum parentem, & consequenter non habere debitum proximum contrahendi peccatum originale, est excellentius, & non repugnat authoritati Ecclesiæ, vel Scripturæ: ergo debet poni in Maria. Maior, & cõsequentia, præterquàm quod sint Doctoris subtilis, affirmantur *à D. Anselmo de Conceptu virginali c.* 18. illis verbis nempè, *decens erat Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi.* Minorem probo: nam meliùs, & excellentius est in Virgine dependere à Christo solùm in sua prædestinatione, quàm depẽdere à primo parente, tanquàm à Capite morali, in quo habitualem gratiam suscepisset. Nostram propositionem non esse contra Scripturam, suadent à nobis adducta in probationem nostræ propositionis.

*Secunda ratio* ex eodem Scoto desumitur. Perfectissimus mediator debet habere perfectissimum

mum modum mediandi; sed Christus est perfectissimus mediator: ergo habuit perfectissimum modum mediandi: sed nō haberet illum, si Virgo haberet debitum proximum contrahendi peccatum originale: ergo nō habuit. Minor probatur. Primò per comparationem ad Deum, cui reconciliat: nullus perfectissimè placat aliquem pro aliqua offensa, nisi taliter præueniat, quòd nullo modo possit offendi: sed, si Virgo Maria haberet proximum debitum contrahendi peccatum originale, non taliter Christus inter Virginem, & Deum mediaretur, quod non possset Deus à Virgine offendi: ergo, &c. Videantur probationes nostræ propositionis. Adde, quia Deus exclusit Virginem Matrem ab alijs legibus generalibus, vt à lege re ipsa contrahendi peccatum, à lege concupiscentiæ fomitis, à lege pariendi cum dolore, à lege corruptionis cadaueris: ergo, & à lege non peccandi in Adam: exceptio enim ab hac lege magis decet Dei Matrem. Vndè Reginæ Esther dixit Assuerus cap. 15. nu. 13. *Non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est.*

196 *Item* debitum contrahendi peccatum est malum aliquod in esse morali, & meliùs est carere tali debito, quàm illud habere; per illud enim Dæmon habet ius non in re, & persona ipsa, sed ad rem, & personam sibi in seruitutem peccati redigēdam: ergo Christus Matrem à tali malo, & debito liberauit: decebat hoc etenim Dei filium, qui authore Paulo ad Ephesios 5. nu. 25. *Dilexit Ecclesiam, & tradidit semetipsum pro ea, &c. vt exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi, sed vt sit Sancta, & immaculata.* Fauet id. D. *Anselmus cit. Decuit Virginem ea puritate nitere, qua maior sub Deo nequit intelligi*: sed sub Deo intelligitur puritas non tā tùm à peccato, sed etiam à debito proximo peccati: ergo ea puritate nitet Virgo per merita ipsius Christi. Et si 4. *Regum* 19. *nu.* 34. ait Dominus: *Protegam vrbem hanc, & saluabo eam propter me, & propter Dauid seruum meum*, & erat sermo de Hyerusalem; meliùs de Virgine dictū videtur *ly propter me*, quia est meus honor maximus, & *propter Dauid*, nempè propter filium Christi, quem vnicè habuit, & propter eius merita protegam Vrbem hanc, nempè Virginem, ad quam omnes confugimus, & eius opem imploramus, & cuius gloriam, & laudem optamus à cunctis toto affectu prædicari.

197 *Claudat nostrum* discursum id, quod stabiliuit Vlpianus in lege *Princeps. ff de legibus.* sic dicens: *Princeps legibus solutus est. Augusta autem, licèt legibus absoluta non est, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt, quæ, & ipsi ha-*

*si habent*, *&c.* quasi diceret (si intra Ecclesiam Catholicam loqueretur) Regina mūdi, ac proindè Mater Dei Principis supremi, quamuis ex natura sua futura esset subiecta legi illi generali: *In quacumque die comederis, morte morieris*, ac proindè peccante Adamo, ipsa quoque esset peccatura; nihilominus Christus Rex contulit illi ex priuilegio, quod ipse habebat per naturam, vt nimirùm ab illa lege libera esset. Vndè Rex Assuerus alloquens Reginam Esther, quæ fuit typus Beatæ Mariæ in *capite* 15. *cit.* illam exceptam esse declarauit à communi lege, quam contrà alios tulerat, dicens: *Noli timere: non morieris, non enim pro te, sed pro omnibus hæc lex constituta est*. Hoc certè maiori iure dictum esse Reginæ Cœlorum à Supremo Mundi Monarcha credi debet, nimirùm legem mortis spiritalis pro omnibus in Adamo constitutam; sed sub voce illa. *Omnibus*, nec contentam, nec significatam fuisse Dei Genitricem.

## *Impugnationes nostræ propositionis afferuntur, & profligantur.*

198 Nostra propositio impugnatur authoritatibus Sacræ Scripturæ: nam D. Paulus ad Rom. 5. nu. 12. ait: *Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccauerunt*: ergò Virgo contraxit debitum contrahendi peccatum originale. Consequentia constat: nam si non haberet debitum proximum contrahendi originalem maculam; quomodò mors spiritualis in eam pertransisset? Consimilibus multis authoritatibus impugnatur nostra propositio.

*Vt respondeamus* huic primæ impugnationi *nu.* 162. adhùc propositæ moneo, tripliciter sumi peccatum. *Primò* sumitur pro peccato actuali contracto; & hoc in sensu infantes regulariter nati, ante Baptismum sunt in peccato originali actualiter. *Secundò* sumitur peccatum, non pro peccato, quod inest, sed quod inesset; & hoc modo non distinguitur à debito, & potentia proxima contrahendi illud; & hoc in sensu dicunt aliqui, Christum redemisse Virginem præseruando illam, non à peccato, quod infuit, sed à peccato, quod infuisset, quando Dei gratia Virgo præuenta non fuisset. *Tertiò* sumitur peccatum pro capacitate contrahendi illud; & hoc in sensu possumus dice-

dicere de Eua, quod habuit capacitatem contrahendi peccatum originale; quippè erat indiuiduum naturę humanę à primo Parente descendens, per quod distinguitur ab Angelo, in quo nullo modo est capacitas contrahendi originale peccatum; siquidem neque indiuiduum naturæ humanę potest esse, neque potest ab Adamo tanquàm à physico, & naturali Capite descendere.

199 *Quarè obserua*, valere consequentiam à primo modo ad secundum, à secundo ad tertium; non tamen è cõntra. Verbi gratia, valet: Petrus contraxit peccatum originale: ergo habebat debitum proximum contrahendi illud: Virgo Maria habuit debitum proximum contrahendi: ergò, & capacitatem: nàm non potest contrahi, si in subiecto non sit capacitas recipiendi, & contrahendi; verùm non valet: habet capacitatem contrehendi originale peccatum: ergo habuit debitum proximum: sicuti est de Eua, & de quocumque alio indiuiduo naturæ humanæ, si miraculosè produceretur. Nec etiam valet: habet debitum proximum cõtrahendi peccatum originale: ergo actù cõtrahit: nam multi concedunt in Domina nostra debitum proximum contrahendi originale peccatum, & defendunt, Virginem esse præræseruatam, & non contraxisse actù originale peccatum. *Huius rei* ratio est: quia debitum aliquid addit supra capacitatem, & contractio actualis addit aliquid supra debitum.

200 *Nunc ad argumentum*. Distinguitur antecedens, si pro peccato, & morte intelligatur capacitas, & aptitudo contrahendi originalem culpam, concedo antecedens; si intelligatur debitum tantùm contrahendi culpam; & habendi eius contractionem actualem, & mortem actualem spiritualem, & corporalem; nego antecedens, & cõsequentiam. Et quod benè negetur consequentia cum antecedente, constat: nam vt probabiliter sustinet **Scotus in 4. dist. 43. q. 5. litera L. ex D. Augustino, & Salaz prima 2. disp. 14.** non omnes homines morientur ante diem iudicij, vt videtur deduci ex authoritate D. Pauli ad Thessalonicenses 4. n. 16. *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deindè nos, qui viuimus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus*; isti ergo, qui non actù moriuntur, ex peccato originali solùm contraxerunt capacitatem, vel debitum moriendi, non verò actualem mortem: ergo mors, quæ per peccatum primi Parentis pertransijt in mũdum, est vel actualis, vel debita, vel capacitas moriendi. Hinc constat, quòd Domina nostra non fuit mortua corporaliter ex debito

bito moriendi; aliàs contraxisset originale peccatum iuxta illa verba: *In quacumque hora comederis ex eo, morte morieris*, quod non est verum, nisi ex conditione, & capacitate naturæ.

201 Secunda impugnatio, quæ videtur Achilles Aduersariorũ, fũdatur in Redemptione Christi, qui dicitur Redemptor omniũ. Quod argumentum, quia adductum est in *n.* 165. propterea hic denuò nõ affero. Et quamquam ibi eliminatum, atque elisum sit; hic adhuc placet alijs illud elidere solutionibus.

*Respondent igitur aliqui primò*, quòd licèt Virgo non fuerit redempta redemptione, quæ dicitur curatiua: quia nunquàm in captiuitate peccati, benè tamen redemptione præseruatiua ab ipso originali: nam fuit præseruata, antequàm incurreret in ipsum originale peccatum, & debitum, in quod ex vi propagationis debebat incurrere. *Respõdent secundò alij*, non esse necesse asserere, Virginem verè, & propriè dicendam esse redemptam ab originali, & ab actuali peccato. Primò, quia rigorosa redẽptio ex Augustino in *Psal.* 70. & *Sancto Zosimo Papa*, & *alijs*, necessario præsupponit Captiuitatem in peccato, in qua nũquàm fuit Virgo. Tùm quia in tantùm volunt Aduersarij, Virginem fuisse redemptam, eo quod Paulus dixit: *Omnes in Adam peccauerunt*, &c. Sed ex Tridentino excipitur Virgo ab hac lege, igitur & à lege redemptionis.

202 *Tertiò respondent alij*, quòd esto Beata Virgo redempta non fuerit à peccato originali, vel à debito, nec præseruatiua, nec curatiua Redemptione: quia antecedenter ad merita passionis Christi, iam erat exclusa Virgo à lege; proindè dicitur tantùm redempta redemptione præseruatiua ab actuali peccato, quatenùs præseruauit eam Deus, nè in actuale peccatum caderet, dando illi tantam gratiam, quæ sua manutenentia satis esset ad non peccandum: eo quod benè poterat Deus huiusmodi gratiam non tribuere. Sufficienter per hoc explicatur Redemptio iuxtà illud Dauidis *psal.* 143. *nu.* 10. vbi Deo gratias agens, sic ait de seipso: *qui redemisti Dauid seruum tuum de gladio maligno*; vbi seipsum appellat redemptum, nõ quod fuerit sub gladio Saulis de facto, sed quia fuit præseruatus à Deo, nè in illum incideret: & hoc genus Redemptionis commendat *Augustinus in psal.* 143. exemplo Medici monentis aliquem in hæc verba: *Sic te tracta: sic quiesce: his cibis vtere, &c.* & addit Augustinus, quod amicus rectè adiunxit: *liberasti me ab ægritudine, non in qua eram, sed in qua futurus eram*. Ecce igitur sufficiens redemptio ex sola præseruatione antecedente ad lapsum. *Responsio ista* valdè mihi placet; tùm quia

quia non totaliter excludimus Virginem à passione Christi: tùm quia facilè hoc modo possunt reconciliari authoritates in contrarium. Nihilominus

203 *Vt nostram tandem* exibeamus responsionem, moneo, quòd sicuti *n.* 198. dicebamus, tripliciter sumi originale peccatum, scilicèt pro actuali peccato, pro debito contrahendi illud, & tandem pro capacitate, &c. sic gratia viuificans, & reconcilians triplex est. *Prima* est gratia reconcilians à peccato, quod fuit, vt est gratia habitualis, in Baptismo infantibus modò infusa. *Secunda* est gratia reconcilians, non à peccato, quod inest, sed à peccato, quod inesset; & hæc est gratia præseruans Virginem ab originali peccato in sententia asserentium, Virginem benedictam debitum habuisse contrahendi originale peccatum. *Tertia* est gratia reconcilians à capacitate contrahendi originalem maculam; & hæc fuit Beatæ Virgini in primo instanti sui esse concessa. Vndè ad id, quod dici solet, *quod sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes viuificabuntur*; dicendũ est, quod sit verum, iuxta triplicem assignatum modum moriendi in Adam, & triplicem gratiam viuificandi in Christo. Hinc ad argumentum.

*Respondemus*: Christum Dominum dici omnium profectò Redemptorem, & adhùc Virginis; sed indè inferendum minimè est, quod Beata Virgo contraxerit debitum contrahendi originalem sordem: quoniam, vt dicatur illius Redemptor, sufficit, Virgini inesse capacitatem habendi peccatum. Hac enim deindè capacitate per gratiam reconciliantem elisa, Virgo dicitur à Christo Domino redépta. Qui modus redimendi est melior ex attribuendis Christo, vt dictum est *n.* 153.

204 *Dices*. Beata Virgo fuit redempta à peccato actuali: ergo habuit debitum incurrendi in illud. *Negatur*, quia quamuis habuerit potentiam in illud, nõ tamen debitum, eo quod nemo necessitatur ad peccandũ actualiter. *Dices iterum*. Beata Virgo non habuit debitum contrahendi originale peccatum? ergo nec habuit debitum contrahendi iustitiam originalem, si Adam non peccasset: sed hoc est absurdum: ergo, &c. *Negamus absurditatem*, quia si semel Virgo non fuit in lege, & pacto, consequẽter nec maneret in contingentia ad vtrumlibet; estò gratia Beatæ Virginis fuerit nedùm æquiualens iustitiæ originali Adami, verùm etiam superexcedens.

*Sunt*, qui docent, Beatissimam Virginem, non solùm in gratia, sed in gloria fuisse conceptam; ita videlicèt, vt in eodem puncto Conceptionis intuitiuè Diuinam essentiam aspexerit. Et asserunt, hanc partem esse defenden-

dendam in via Scoti: quia ad aures *Scoti in 2.dist.21.q.1.sub P.* Innocentiæ status non ea fulgebat perfectione, quin sibi compossibile fuisset peccatum veniale, quod tamen ex *Tridentino Concilio sessione 6.Can.23.* longiùs omninò deflexit à Deipara Virgine: ergo necessariò concipi debuit in alio perfectiori, quàm fuisset innocentiæ status; ergo necessariò concipi debuit in gloria. *Studeant Lectores.* Mihi hæc opinio videtur probabilis.

*Pro complemento* Disputationis restant soluendæ, quæ subsequuntur difficultates.

# DIFFICVLTAS PRIMA.

## An Virgo contraxerit pœnas peccati originalis.

205 IN hac difficultate, primò distinguo de effectibus peccati originalis; sunt enim in duplici differentia. Alij sunt, qui necessaria connexione consequuntur peccatum; ita vt si peccatum non esset, illi minimè forent; vt damnatio æterna, carentia Diuinæ visionis, carentia, & expoliatio iustitiæ originalis. Alij sunt effectus consequentes peccatum, qui nihilominus essent in homine, sed absque peccato, si in puris naturalibus esset conditus; quia tamen illis subuentum erat per iustitiam originalem; & illa fuit amissa per peccatum; hinc illi dicuntur effectus, vel pœnæ peccati. Hi autem potissimùm sũt quatuor. Primus est infectio, & obligatio carnis ante infusionem animæ, ex qua in anima redundabat macula peccati originalis. Secundus est concupiscentia carnis, seù fomes peccati, qui non est aliqua qualitas in sensualitate, vt falsò quidam dicunt, sed est ipsamet sensualitas habens potentiam proximam, seù procliuitatem ad obiecta, seù sensibilia contraria rectæ rationi; & quia talis procliuitas solet esse incitamentum peccati; hinc dicitur fomes peccati. Tertius est clausura Regni Cœlestis. Quartus est mors corporalis, & quæ mortem consequuntur, nempè morbi, fames, sitis, &c. Quibus notatis, *quæro.*

Vtrùm

## Vtrùm Virgo contraxerit fomitem?

206 MOneo primò, fomitem esse deordinationem appetitus sensitiui ex subtractione iustitiæ originalis, destituti, qua deordinatione caro concupiscit aduersùs Spiritum; deordinationem dico habitualem, non actualem: nam hæc est peccatum; fomes verò non est peccatum, sed inclinatio ad peccatū; & propter hoc ait D. Paulus ad Rom.7. n.20. *Si autē quod nolo*, supple malum, *illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum, &c.* Vbi fomitem appellat peccatum: quia ex Concilio Tridentino, à peccato est, & in peccatum tendit. Similiter dicitur carnis concupiscentia: quia, eo mediante, caro concupiscit aduersùs spiritum. Appellatur etiam lex membrorum iuxta illud Pauli; *Video aliam legem in membris meis, &c.* Et etiam appellatur Tyrannus, quia est causa tyrannidis carnis contra rectam rationem.

*Moneo secundò*, litem esse inter Doctores, *an fomes descriptus possit omninò extingui; an tantùm ligari?* Durandus *in 3. dist. 3. q. 3.* ait, quòd fomes non potest totaliter extingui. Ratio eius est: quia naturalis inclinatio alicuius rei accepta secundùm aptitudinem, & non secundùm actū, non potest ab illa separari; fomes autem est naturalis inclinatio habitualis appetitus sensitiui: ergo, &c. Maior patet exemplis. Primò accidentis ad subiectum. Secundò humanitatis Christi ad propriam personalitatem. Tertiò lapidis ad locum deorsùm; ratio autem horum est: quia naturalis inclinatio non separatur à re, cuius est nataralis inclinatio, itaut res remaneat. Notat Durandus, posse ligari, & impediri, quomodò etiam dicit interpretandos esse Sanctos dicentes, fomitem in aliquibus fuisse extinctum.

207 *Tamen verior est* contraria sentētia, quòd fomes possit omninò extingui (quod euenit Beatæ Virgini) per priuilegium aliquod Dei. Pro quo aduertendū, quòd fomes nedùm dicit inclinationem appetitus sensitiui ad obiectum delectabile, sed connotat, illam esse contrà rectam rationem. Item fomes potest cōsiderari radicaliter, & ex parte appetitus sensitiui, & hoc modo non est aliud realiter, quàm ipse appetitus. Secundò potest considerari formaliter ex parte actus, ad quem inclinat. Sicut ex sancto Thoma, scientia, vel potest considerari secundùm quod est quædam forma sinè relatione, & tendentia ad obiectum,

ctum, & hoc modo distinguitur per subiectum, in quo est; vel potest cõsiderari secũdùm quod est habitus cognoscitiuus, & hoc modo specificatur ab obiecto, circa quod est. Ita fomes potest attendi ex parte potentiæ sensitiuæ, & ita non distinguitur ab hac realiter, nec dicit inclinationem exorbitantem rectæ rationi. Secundò potest attendi, quatenùs inclinat ad actus, qui tendunt in sensibile delectabile contra rationem, & in hoc completur ratio fomitis. *His suppositis*, dico, quòd si fomes accipiatur radicaliter, ita non potest à potentia separari; cùm sit indistinctus realiter ab ea, & hoc tantùm concludunt argumenta Durandi. Si autem fomes accipiatur formaliter, hoc modo potest totaliter extingui, & aboleri per priuilegium, ita vt non maneat in illo habitualis propensio ad sensibile delectabile contra rationem, & hoc pacto verum est, quod dicimus, licèt difficulter explicetur.

*Moneo tertiò*: formitem ligari, nil aliud esse, quàm quòd inclinatio appetitus sensitiui maneat sub omni sua ratione formali, etiam in quantum inclinat ad sensibile delectabile contra rationem, impedita: nè exeat in actum per aliquod exterius. Hoc autem fit tripliciter. Primò per vsum liberi arbitrij, sicut aliquando ligatur in gentibus ciuiliter, & conformiter ad vsum rectę rationis viuentium. Secundò per gratiam in in anima: sicut enim fomes est in sensualitate, & pertingit ad animam, quam aliquando commouet, & trahit ad se, ita gratia in anima existens prohiberet fomitem, nè exeat in actum; & hoc est ipsum ligari à gratia. Tertiò per Diuinam assistentiam extrinsecam, & specialissimum Dei Auxilium, & hæc est perfectior ligatura: nam quantumuis à gratia ligetur, non tamen omninò impeditur, nè exeat in actum, quod fit existentibus in gratia non confirmatis, in quibus aliquando fomes præualet; ita vt inducat ad peccatum mortale. His positis.

208 Duplex est opinio de principali difficultate, quarum vna mihi non videtur altera probabilior; quare per me sit licitum vtramque sequi. Prima ergo opinio est *Sancti Thomæ 3. p. q. 27. art. 3. Alberti magni in 3. dist. 3. art. 6. D. Bonauenturæ eadem dist. q. 1. art. 2. Riccardi eadem dist. art. 1. q. 3. & 4.* quibus in parte assentitur *Durandus loco citato*; & communiter omnes Interpretes Sancti Thomæ cum ipsomet fatentur, quòd in prima sanctificatione, quando scilicèt Virgo fuit in vtero Matris sanctificata, non habuit fomitem extinctum omninò, sed solùm ligatum per maximam gratiam, & assistentiam Diuinam; at verò in secunda sanctificatione, quando concepit

cepit Filium Dei, fuit ille fomes totaliter extinctus. *Primum fundamentum* huius opinionis est ex Sancto Thoma: nam, cum liberatio à peccato sit spiritualis, potuit fieri, vt in multis facta est, ante aduentum Christi per gratiam, solùm per fidem Christi; at mũditia, & integritas carnis non debuit fieri in aliquo quoadusque esset Christus realiter habens carnem mundam, & sinè fomite, sicut ante immortalitatem carnis Christi resurgentis, nullus fuit adeptus carnis immortalitatem: ergo, &c. *Secundò probatur* ex Sancto Bonauentura per illud *Lucæ* 2. vbi dicitur: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* super quod dicunt Doctores, quod Spiritus sanctus sic veniens purgauit Virginem à peccato, quod non potest intelligi, nisi de exstinctione fomitis: ergo priùs non erat extinctus. Quòd verò post Christi aduentum fuerit fomes extinctus, nulla est difficultas, nec controuersia inter Doctores.

209 Licèt autem Sanctus Thomas, & Bonauentura sint in eo concordes, quòd in prima sanctificatione, in Virgine non fuerit fomes extinctus, sed in secũda; discrepant tamen de tempore: nam Sanctus Thomas ratione, quam attulimus ex ipso, tenet, quòd fomes fuit extinctus in Virgine post Christi Conceptionem; Sanctus verò Bonauentura ait, quòd priùs fuit fomitis extinctio, quàm filij Conceptio. Ratio est: quia Virgo fuit liberata a fomite per aduentum Spiritus Sancti, iuxta illud: *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Item: aliter Christus non esset conceptus ex carne totaliter munda, quod derogat Christi Conceptionem. *Vt verum fatear*, opinio Sancti Bonauenturæ videtur probabilior; & ad argumentum Sancti Thomæ dici potest, quod integritas perfecta, qualis est in corporibus gloriosis, qua corpora impassibilia, & quæ datur in præmium, non debuit dari alicui, priusquã Christo, & ita Christus dicitur primitiæ dormientium; munditia verò imperfecta, & integritas imperfecta, qua quis à fomite liberatur, non est inconueniens, quod sit in aliquo priùsquàm in Christo; si enim Adam non peccasset, perstitisset carnis mũditia in hominibus ante Christi Incarnationem. *Adde*, quòd mũditia hæc non spectat ad statum præmij, sed meriti.

210 *Secunda opinio* principalis difficultatis est *Catarini in lib. 2. de Conceptione Virginis*, quòd in prima sanctificatione, ac proindè in Conceptione fuit Virgini extinctus fomes; quam sententiam tenet Gerson. *Probatur*. Primò, ex D. Anselmo: *Decuit Virginem ea puritate nitere, &c.* sed maior puritas Virginis est, quòd concipiatur sinè fomite, quàm cum fomite: ergo, &c. Secundo probatur.

batur. Caro Virginis nullum prouocabat ad malum (vt asserunt multi) ergo nec suam. Tertiò; fomes fuit ligatus ex aduersarijs: ergo omninò extinctus. Patet sequela; ideò enim dicitur extinctus post secundam sanctificationem: quia nũquam in actum exiuit: sed nec antea exiuit in actum: ergo, &c. *Adde*, quòd non rectè potest intelligi, quid sit huiusmodi ligatura sinè extinctione.

*Dices*: si Virgo Maria genuisset alium filium à Christo; ille contraheret peccatum originale: nam volo, quòd via ordinaria generetur: ergo Virgo conciperet cum libidine,& per consequens haberet fomitem. Patet sequela ex Sancto Augustino de nuptijs, & concupiscentijs, vbi ait: *Libido est, quæ peccatum originale transmittit in prolem. Respondetur*, Virginem in eo casu generare filium in peccato originali; non tamen esset in Virgine libido. Ad Augustinum dico, loquutum esse de facto, & potentia ordinaria; nam cùm constet, Virginem tantùm esse præseruatam à fomite, & hanc non genuisse alium filium à Christo; sequitur; quòd quicumque genitus est per ordinariam viam, est genitus cum libidine, & sic sequitur lidido,&c. Sicut, si Adã non peccasset, & aliquis homo carens iustitia originali genuisset alium filium, hic haberet iustitiam originalem, etsi proximus Parens non haberet eam; sed tantùm remotus parens, scilicèt Adam; ergo similiter, si Virgo genuisset filium via ordinaria; hic haberet peccatum, & fomitem, non ratione proximæ parentis, scilicet Virginis, sed ratione remoti parentis, scilicèt Adami.



DIF-

# DIFFICVLTAS SECVNDA.

## *An Virgo incurrerit clausuram Regni Cœlestis; vel an si Beata Virgo mortua esset ante Christi mortem, pateret sibi aditus Regni Cœlestis?*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Si Virgo fuisset mortua ante Christum, minimè ingrederetur Cœlum.*

211 Probatur: quia nullus Sanctus hoc affirmat. Secundò est omnium Theologorum, nempè Scoti in hoc loco, & infra in *dist.* 19. *q.* 1. est Sancti Thomæ 3. *p. q.* 27. *art.* 1. *& in* 3. *dist.* 3. *q.* 2. & Gabrielis *in* 3. *dist.* 3. *q.* 1. & Caterini *lib.* 2. *de Conceptione.* Probatur ex Sācto Paulo ad Hebræos 10. n. 19 *Habētes fiduciā in introitu Sanctorum in sanguinem Christi*: ergo vsque ad effusionem sanguinis nō erat introitus. Item ex Sancto Ioanne apud Euangelium 3. nu. 13. *Nemo ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, &c.* Huius authoritatis sēsus est: nemo priùs ascendit in Cœlum, &c. ergo, &c. Item Sanctus Paulus ad Rom. 8. nu. 29. *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit primogenitus in multis fratribus, &c.* ergo, sicut Christus fuit primus in prædestinatione; ita debuit esse primus quoad assecutionem effectuum prædestinationis, inter quos est ingressus Cœli; hinc etiam dicitur: primogenitus mortuorum.

*Accedat ratio.* Inconueniens est, aliquem ingredi, & ascendere in locum aliquem sublimem, & dignum, quin priùs ascendat Caput; sed Christus habet rationem Capitis, & omnes fideles habent rationem membrorum: ergo &c. Secundò. Omnes Sancti Patres, quantumuis mundati, & à peccato originali purgati, non ingressi sunt Paradisum ante Christum: ergo, cùm oppositum non colligatur de Beata Virgine, nec ex Sanctis Patribus: nemo debet illud asserere. Collige hinc, quod si status gratię perseuerasset, & nihilominus secundùm probabilem senten-

tentiam, Christus incarcatus fuisset; nullus priùs ingrederetur, quàm Christus in Cœlum; quia erat Caput Ecclesiæ. Impugnationes contra hanc propositionem. Vide n.213. & 214.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Si Virgo fuisset mortua ante Christi Passionem; non vidisset Sanctissima Virgo Deum, ac proindè non fuisset pro tunc Beata.*

212 RAtio: quia præmiũ priùs debuit conferri Capiti, quàm membris: sed Christus, qui erat Caput ante passionem, nondùm erat consummatus in gloria: ergo, &c. *Dices*: Christus ante mortem erat Beatus: cùm ab instanti Conceptionis fuerit Beatus: ergo propter illam non est negãdum, Beatam Virginem vidisse Deum, & fruitam fuisse Diuina essentia, si in decursu vitæ Christi mortua esset. *Respondetur*, gloriam illam Christi non fuisse habitam via ordinaria, sed ex priuilegio; vndè ipse apud Lucam c. 24. nu. 26. *Dixit oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam*; scilicet ordinaria via habitam, & gloria illa Christi non erat perfecta, & consummata, quia non erat etiam corporis. Vndè D. Paulus ad Hebræos 2. nu. 10. ait: *decebat eum, &c. qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare*: ergo per passionem fuit consummata: ergo si Beata Virgo, &c. Obiectiones huius nu. sequenti.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Si Beata Virgo mortua fuisset in tempore, quod intercessit inter Ascensionem, & Passionem, potest dici, quòd tunc Deum vidisset.*

213 PRobatur: quia ad Latronem dictum est: *hodie mecum eris in Paradiso*: ergo vidit Christum; multò magis ergo hoc debet dici de Beata Virgine.

Im-

*Impugnant aliqui* nostras duas antecedentes propositiones ex Sancto Bonauentura *in 3. dist. 20. q. 3.* si Christus fuisset solùm pura creatura; moriens in gratia introisset Cœlum: quia sibi non esset clausum, supposito, quòd non habuisset peccatum originale: ergo, cùm dictum sit, Virginem non habuisse peccatum originale; sequitur, &c. *Respondetur*, disparem esse rationem de Christo, & Virgine: nam Christus non esset filius Adæ, & nullo modo neque ex debito, nec de facto peccatum contraheret; non sic Virgo: ergo, &c. *Obijciunt secundò*: si hoc negatur Virgini, est: quia gloria priùs debet esse Capitis, quàm membrorum, sed Christus ab instanti Conceptionis fuit Beatus: ergo, &c. *Respondetur*, illam gloriam Christi fuisse ex priuilegio, & non fuisse consummatam. *Instabis*, Latro habuit gloriam ante introitum Christi in Paradisum, iuxta illa verba: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso*: ergo ante Christi mortem Latro fuit Beatus. *Respondemus*, illa verba debere intelligi ita, vt *ly hodie* intelligatur cum antecedentibus, & non cum consequentibus; & ita erit sensus: Hodierno die dico tibi, quòd mecū eris in Paradiso, quando erit tempus.

214 *Replicabis*. Christus fuit etiā Caput Angelorum: cùm hi ab illo fuerint reparati; at Angeli priùs fuerunt Beati, quàm Christus: ergo, &c. *Respondeo*, Angelis non fuisse clausam ianuam Regni Cœlestis, cum clausa fuerit ob peccatum; quod nec de facto, nec ex debito contraxerunt Angeli; vndè nihil concludit argumentum. *Secundò dico*, negando, Christum fuisse Caput Angelorum quantùm ad præmium: nam etsi hoc fateatur *D. Bernardus*; oppositum tamen tuentur grauissimi Doctores. *Replicabis*. Deus reddit præmiū iuxta meritum; sed illi Patres, qui contraxerunt peccatum, & deindè ab eo fuerunt mundati, habuerunt Limbum: ergo Beata Virgo, quæ nunquàm fuit in peccato, debuit habere Cœlum. *Respondetur*, argui à non causa, tamquàm à causa: non enim erat clausum Cœlum propter peccatum præsens, vel præteritum, vel Beatæ Virginis: cùm nec Patres in Limbo, nec Beata Virgo illud haberent; sed erat Cœlum clausum, quia nondùm ibi intrauerat Caput.

DISPV-

# DISPVTATIO SEPTIMA.

## *De Maternitate Virginis Mariæ. An Beata Virgo sit Mater Dei, & Hominis.*

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Beata Virgo verè, & propriè est Mater Dei.*

1 PRobatur primò ex Sancto Ioanne Damasceno: ait enim: *Dei Genitricem, verè Sanctissimam Virginem prædicamus.* Secundò probatur; filius Dei processit ex Virgine, sicut viuens à viuente coniuncto in similitudinem naturæ ex vi processionis: ergo fuit verè Filius Virginis, ac proindè hæc propositio est vera: *Virgo est Mater Dei.* Cõsequentia patet ex definitione generationis. Antecedẽs est manifestum: ergo, &c.

*Quidam Hæretici* negarunt, Beatam Mariam esse Matrem: quia putauerunt, Christum non esse verum hominem, & proindè damnati sunt. Probatur tamen nostra propositio alia ratione: proindè aliqua dicitur vllius Mater, quod ipsum concipiat, foueat, gignatquè ex sua substantia: sed de fide est, Beatã Virginem sic fecisse respectũ Christi hominis: ergo est vera Mater istius hominis. Maior est omnium Catholicorum, etiam Aethnicorum. Minor est aggregatio Articulorum fidei in symbolo, scripturis, & Concilijs, & aliter nequit probari: ergo, cùm conclusio sequatur ex vi formæ, non est hic relictus ambigendi locus.

2 *Dices*: licèt hoc totum sit verum; tamen non probatur, quòd sit Mater Dei, vel Verbi Diuini: quippè Verbum ab æterno fuit. *Contrà*: ideò aliqua mulier dicitur Mater alicuius personę, quia generat verbi gratia hominem, in quo homine continetur personalitas, seù negatio dependẽtiæ istius hominis ab alieno aliquo supposito, quæ negatio non producitur ab vllo, sed seipsa fluit ad naturæ existentiam: ergo cùm Beata Virgo genuerit naturam humanam Christi, ad cuius existentiam statim Verbũ Diuinum terminabat depẽdentiam eiusdem naturæ; estò Verbum non producatur à Beata Vir-

Virgine; tamen erit Mater Personæ Christi, & consequenter Verbi, atque adeò Dei.

*Confirmatur*: quia Christus, vt hæc Persona, est Filius Beatæ Virginis: ergo Beata Virgo est ipsius Mater similiter: sed Christus, vt hæc persona, est Deus, & homo: ergo Beata Virgo est Mater Dei, & hominis. Probatur antecedens: quia secundùm Philosophum, actiones, & passiones sunt suppositorum, idest de personis, & suppositis dicuntur: ergo cùm generare sit actio, & generari sit passio; Persona Beatæ Virginis dicetur generasse actiuè, & Persona Christi dicetur generata passiuè ab ipsa Virgine: ergo ipsa erit vera Mater istius personæ, & consequenter Dei, & ipsa Persona erit verus filius eiusdem.

3 *Dices*. Nulla mulier est mater illius, quod est independenter ab ipsa: sed Deus est semper independenter à Beata Maria: ergo Beata Maria non est Mater Dei. *Respondeo*, transacta maiori, distinguẽdo minorẽ: purus Deus, concedo; Deus homo, nego; & similiter distinguo consequens; Dei puri, concedo; Dei hominis, nego. *Dices*. Quidquid nequit generare aliquod seorsim, non potest generare illud simul iunctum cum alio; ergo, cùm Beata Virgo nequeat Deum purum seorsim gignere, similiter eum simul cum homine vnitum nequit producere. *Respõdeo*, distinguendo antecedens: nequit alterum producere simul cum, &c. itaut sit terminus formalis illius productionis; transeat; itaut sit aliquid, quod reperitur in termino formali; nego; & distinguo consequens: itaut Deus, vel Verbum Diuinum, vel Persona Diuina sit terminus formalis, vel totalis illius generationis, concedo; itaut Deus, vel Verbum, vel Persona Diuina non contineatur in illo termino formali, vel totali, verbi gratia, in illo homino, qui generatur, nego.

4 *Sit exemplum*: homo nequit producere animam rationalem seorsim, tamen potest producere hominem conflatum ex anima, & corpore: similiter, quamuis Beata Virgo nequeat producere Deum seorsim, potest tamen producere Deum, & hominem, ita quòd generatio ipsius terminetur formaliter ad hominem, qui tamen homo cõcernit personam; ac proindè cõflatum ex humanitate, & personalitate, verè dicitur generari, verbi gratia, ipsa persona: ergo B. Virgo verè est Mater Dei, & hominis. *Cõfirmatur*: quia, vt dicatur, quod quis genuerit alterũ, non requiritur, quod genuerit, quidquid sit in ipso, sed sufficit, verum esse, ipsum genuisse: ergo vt dicatur, quòd Beata Virgo genuerit Christum, idest vnum, qui fuit Deus, & homo, non requiritur, quòd genuerit forma-

liter quidquid fit in ipso; sed sufficit, quòd genuerit ipsum, in quo conseruatur Deus, & homo. Consequentia est clara. Antecedens ex fide infertur: quia vt dicatur, quòd Pater in diuinis genuerit filiũ in diuinis, sufficit, quod filium genuerit, seu filiationem, licèt non genuerit essentiam Diuinam, vt fides docet: ergo, vt quid verè gignatur, non requiritur, vt quidquid fit in ipso, fit à tale generante genitum.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Ratio Maternitatis præstantiori modo saluatur in Maria, quàm in cæteris matribus.*

5 EST omnium, sed diuerso modo incedunt. Thomistæ enim, qui tenent, quod Mater nõ se habet actiuè in generatione prolis, & quod semen Matris non sit necessaria materia pro fœtu formando, dicunt, Cõclusionem esse veram, non quod Virgo aliquid præstiterit magis, quàm aliæ Matres; sed vt magis explicetur dignitas Viginis.

*Sed in via nostra*, sic eam probo. *Primò*. Virgo Maria subministrauit omnem materiam in Conceptione filij sui; at aliæ Matres non sic: quia semen Patris est etiam materia fœtus: ergo, &c. Secundò. Virgo Maria præstantiori modo egit: ergo in ea saluatur præstantiori modo ratio maternitatis. Probatur antecedens: quia potentia actiua Virginis fuit reducta ad actum per agens Diuinum, & infinitũ; at potentia actiua aliarum Matrum reducitur per agens naturale: ergo, &c.

*Impugnabis* nostra dicta. Maternitas, & Virginitas sunt contraria: ergo non possunt verificari de Virgine: nam ex sententia Aristotelis 4 *Met. tex. 9. & 27. si contraria essent in eodem, etiam contradictoria essent simul de eodem vera*. Vt pleniùs, & integrè satisfaciamus propositæ difficultati, & reliquis adducibilibus contra nos.

6 *Moneo primò*, quòd licèt Virginitas, & Maternitas naturaliter stare simul non possint; quia ex *Scoto in 4. dist. 1. q. 6.* Virginitas inuoluit integritatem in carne, & in mente, tamquàm duplex materiale; illud vt remotum, & hoc vt proximum; & vnicum formale de nunquam cecidisse; Maternitas verò excludit vtrumque, nempè carnis, & mentis integritatem cum affirma-

ma-

matione de cecidisse in carnis delectationem; virtute tamen Diuina, possunt optimè cohærere: quia Deus potest saluare illam integritatem, & sua virtute sinè vlla carnis delectatione fœcundare Virginem, saluis sigillis Virginitatis: quo fit, vt Beata Virgo verè seruauerit formalissimam rationem Virginitatis, & fuerit Mater, actiuè côcurrendo generationi Christi, sicut aliæ Matres; quamuis facta fuerit in instanti.

7 *Moneo secundò*, quòd Beata Virgo, cùm sufficienter egerit ad formationem Corporis Christi, necessariò debuit ministrare aliquid. *Aliqui dicunt*, quòd fuit sanguis purissimus, qui erat in venis Virginis, & asportatus ad locum generationis. *Contrà*, dicunt alij: talis sanguis est ineptus generationi, nec oportuit, Deum in omnibus fecisse miracula; fuit ergo sanguis menstruus, qui est congruus generationi. Si dicatur, quod talis sanguis imperfectus est, & expellitur à natura: distinguit *Suarez*, quòd talis sanguis, vt de eo generetur fœtus, vel vt est perfectissimus, perfectè decoctus, & purus, vel vt est propè tempus, vt expellatur, tendens ad corruptionem; & talis est imperfectus, & hic est sanguis menstruus imperfectus: Corpus Christi fuit formatum de primo.

8 Petes *Vtrùm possit asseri, quòd fuerit formatus Christus ex semine?* Dico, quòd Scotus de hoc non loquitur. Tamen Pater Faber sustinet posse trahi Scotum ad hanc sententiam: quia cæteræ mulieres ministrant sanguinem, & semen, maximè sequendo viam Galeni, quem sequitur Scotus; nec per hoc fuit læsa Virginitas Mariæ: nam in conuersione sãguinis in semen, & in transmissione ad vas, in quo côseruatur, nulla est delectatio, & concupiscentia, quæ repugnet Virginitati: cùm talis conuersio, & transmissio sit naturalis, & necessaria; sed delectatio est in trãsmissione illius seminis à vase, in quo côseruatur, ad locum, in quo fœtus generatur; & hic motus, seù transmissio non fuit in Virgine, & sic optimè saluatur Virginitas, & ministratio purifici seminis. Quando autem Patres communiter dicunt, Christi Corpus fuisse formatum ex purissimis sanguinibus; acceperunt denominationem à maiori, potiori, & certiori parte materiæ, quam ministrauit Beata Virgo; & fuit sanguis; alia fuit semen. Vel certè dixerunt, quia omnes, qui concipiuntur ex semine, sunt cum delectatione, & concupiscentia, quæ omninò remouenda est à Virgine Sanctissima; & ita castiùs loqui volentes, dixerunt, Virginem subministrasse sanguinem.

9 *Moneo etiam*, quòd si sustineatur, tres illos motus præcedentes organicam formam (nempè

asportationem materiæ ad locũ generationis, figurationẽ illius materiæ,& cõdensationẽ,ad quã in instanti inducta fuit forma corporis, & in eodem instanti temporis animatio, & vnio ad Verbum) factos fuisse in tempore, sed in minori, quam in cæteris matribus; non per hoc sequitur, esse ibi aliquod aliud suppositum: quia corpus illud asportatum, vel figuratum, vel condensatum, nunquàm per aliquod instans fuit sub illo esse imperfecto in esse quieto; sed semper fuit in fieri, transeundo per illa media, quæ prærequiruntur ad generationem; nunquàm ergo fuit suppositatum, vel præcessit suppositum aliquod creatum per omnes illas transmutationes, seù alterationes, & corruptiones præcedentes generationem totalem Corporis Christi.

10 *Sciendum etiam*, quòd licèt huiusmodi motus facti fuerint in paruo tempore, & non in instanti; non per hoc Scoti opinio fuit temeraria, vel erronea, vt censet *Suarez*, qui ex Concilijs, & Patribus deducit, Christi generationem fuisse factam simpliciter in instanti quoad omnes motus præcedentes animationem,& vnionem ad Verbum. Verùm est enim: sentẽtiam, quæ asserit, in instanti formatam fuisse Christi humanitatem, magis consentaneam esse dictis Sãctorũ Patrum; & hinc Scotus assignat alium modum dicendi, scilicèt, quòd *illi* tres motus, nempè asportatio sanguinis ad locũ aptum generationi, figuratio, condensatio, & consequenter vltimæ formæ substantialis inductio, fuerunt facti in instanti. *Ratio*, quam assignat, est: quia illa media, quæ sunt necessaria agenti naturali, & virtuti imperfectiori, non sunt necessaria superiori,& supernaturali. Licèt ergo nequeat virtus imperfecta, & naturalis attingere illos tres motus in instanti; non per hoc negandum est virtuti infinitæ.

11 *Dices*, quod saltem Congregatio sanguinum dispersorum in venis,& asportatio ad locum conuenientem generationi, debuit esse in tempore, vt probat D. Thomas: quia necessariò interuenit ibi motus localis, qui non potest fieri in instanti. *Respondetur*, quòd in Congregatione, & asportatione materiæ ad locum generationis, requiritur motus localis respectù agentis naturalis; non enim repugnat, quòd Deus moueat vnum corpus ab vno ad alium locum, nõ pertransitis medijs in tempore; sufficit enim ordo naturæ. Non est enim mirum, si Deus fecit, vt sanguines Virginis ex eo vbi, in quo per totum illud tempus præcedens fuerunt; in vltimo instanti illius temporis essent in vtero, qui est locus aptus generationi, illos figurare, condensare; & perfectè organizare, non tran-

transeundo per media naturalia.

12 *Sciendum etiam*, quòd non solùm, si dicamus, illos tres motus factos fuisse in tempore; sed etiam in instanti: Beata Virgo actiuè se gessit respectù formationis Corporis Christi: nulla enim est repugnantia, quòd agens creatum agere possit in instanti, sed non eo modo, quo dicebat *Suarez*, scilicèt, quia Virgo ministrauit materiam aptam generationi, & calorem, quodammodo fouit illam materiam conseruando in ea naturalem virtutem; & sic vsus est Deus facultate Virginis, tamquàm instrumento per potentiam obedientialem actiuam, operās ad illam generationem; hoc negandum est in via Scoti: nam ministrando materiam nō ageret ad formationem Christi: fouendo ageret dispositiuè; & sic non esset verè Mater, nec potuit assumi, vt instrumentum, si simpliciter repugnet creaturæ agere in instanti.

13 *Dicendum ergo*, quod Beata Virgo verè egit actiuè, tāquàm causa minùs principalis per propriam suam virtutem, vt aliæ matres, quæ operabatur in instanti ad terminum principalem adæquatum; eò quia virtute Diuina ablatū fuit impedimentum, quo impediebatur propter productionem illorum trium motuum, seù terminorū inadæquatorum, præcedentium generationem totalem: semel enim ablato illo impedimento virtute Diuina, quæ in instanti asportauerat illos sanguines ad locū, aptum, figurauerat, condensauerat, &c. cur nō poterat vti natiua facultate ad cooperandum actiuè alij virtuti, ad producendum corpus organicum, & inductionem animæ intellectiuæ, quæ omnia fiunt in instanti? Patet ergo, Beatam Virginem actiuè cooperatam fuisse illi generationi totali.

14 *Dices ex Damasceno*: Spiritus sanctus dedit virtutem susceptiuam simul, & generatiuam Virgini: ergo nullam ex se habuit nec actiuè, nec passiuè. *Respondetur*, quòd habuit passiuam proximam, non autem remotā, sicut, & actiuam: erat enim Virgo in potentia passiua ad recipiendum Verbum remotè, & coagendum suæ formationi in vtero remotè: sed Spiritus sanctus reduxit ad proximam. *Replicabis ex Anselmo*: Christi Conceptio fuit miraculosa: ergo nullum agēs naturale, nec principaliter, nec instrumentaliter potest ad illam agere: eò vel maximè, quia *Scotus in 2. dist. 18. in q. de rationibus seminalibus*, dicit, quod semen solùm agit in eleuatione præuia ad generationem; sed hic non fuit: quia instantanea: ergo, &c. *Respondetur*, fuisse miraculosam in modo, non autem in substantia: quia poterat Virgo, vt aliæ matres

tres generare: sed non hoc modo miraculoso, reducendo illam potentiam remotam ad actum in instanti, non transeundo per illa media naturalia. *Ad Scotum respõdetur* iuxta duplicem viam, quam tenet; vel quòd virtus actiua seminis remaneat per omnes transmutationes naturales vsque ad instans generationis, & sic non solùm agit ad alterationem præuiam, sed ad ipsam generationem; vel si corrumpitur, tunc Mater agit per intimam præsentiam, quam habet cum termino generationis: patet; quia si illa virtus ponatur extra vterum, non sequitur generatio.

15 *Dices*. Virginitas; & Maternitas opponuntur priuatiuè: ergo per nullam potentiam possunt esse simul. Antecedens patet: quia mulier non potest parere, & non amittere signaculum Virginitatis. *Respondetur*, quòd non opponuntur, nec priuatiuè, nec contrariè, sed solùm virtualiter: nàm Virginitas negat, seù dicit priuationem concursus causæ naturalis principalis, scilicèt viri, cum integritate mentis, & corporis; illa de nunquàm consensisse in actum venereum; & hæc in immunitate à delectatione, quæ consistit in seminis resolutione, & integritate signaculi Virginei. *Replicabis*. Beata Virgo in partu, saltem amisit illud signaculum; quia non poterat expellere corpus ex vtero sinè fractione, &c. *Respõdetur*, quòd Virgo naturaliter expulsit partum, sicut aliæ matres: sed quòd non fregerit illud claustrum, fuit miraculosum per penetrationem corporum per dotem subtilitatis, quæ tunc redundauit in Corpore Christi. *Si dicatur* ex Damasceno: *Genetricem Christi, nequaquàm dicimus Beatam Virginem*. Respõdetur, quòd loquebatur contra Hæreticos dicentes, Beatam Mariam non esse Matrem Dei. *Dices*, actiuum, & passiuum sunt mutua; nullus fuit Pater Christi: ergo nulla Mater, vt seruetur ordo actiuorum, & passiuorum. *Respondetur*, quòd sufficit, vt inueniatur actiuum in tota natura; imò verò supponitur falsum: quia Mater est actiua, vt docent communiter cum Scoto eius discipuli.

DISPV-

# DISPVTATIO OCTAVA.

## *De Incarnatione Christi in facto esse, scilicèt de vnitate, & simplicitate Christi.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *In Christo duplex est esse, tàm essentiæ, quàm existentiæ, non tamen Christus est duo, sed vnus; estquè in eo vnicum esse subsistentiæ, seù Persona.*

1 De vnitate suppositi, seù Personæ dictum est satis supra disputatione tertia; vnica enim est in Christo subsistentia, cùm humanitas illius non subsistat in se, sed in Diuinitate, priuaturquè propria subsistentia, vt subsistat aliena, scilicet Verbi Diuini. Hinc oritur non mediocris difficultas: *An videlicet quemadmodum in Christo est vnicum esse subsistentiæ, ita sit etiam existentiæ.* Pugnant ad inuicem hac in parte duæ graues sententiæ; Thomistarum vna, docens, *naturam assumptam existere Verbi existentia.*

Scotistæ cum *Scoto in 3. dist.6.* propugnant, *Humanitatem in Verbo, propriam habere existentiam.*

Probatur: Christus generatur generatione reali, non phantastica, & Beatissima Virgo, vera, & realis Mater, fuit principium huius realis generationis: sed ex Philosophia generatio realis terminatur ad esse reale naturæ: ergo natura Christi de necessitate debet habere suum propriũ esse. Vim argumenti explico: esse Diuinum est esse increatum: ergo non potest attingi generatione creata: Mater ergo Christi nihil concursu materno principiauit, si esse, quod ponitur in Christo, totum Diuinum est. *Sit ista ratio.* Christus habuit duplicem vitam, non vnam, sed viuere ad aures Aristotelis est esse: ergo pro duplici vita Christus habebit esse humanum, & esse Diuinum: viuit quippè Christus, & humana vita: quia verè homo

homo est, & vita Diuina; quia vere etiam Deus est.

2 *Scoticum discursum* impugnãt Recentiores ita dicendo: Mater, quæcumque illa sit, neque attingit existentiam animæ; quia creatur; neque existentiam materiæ, quæ est ingenerabilis, & tamen tales matres in generatione humana, verè matres sũt: non ergo valet argumentum, quod Beata Virgo non esset realis Mater, nisi suæ propriæ actiuitati responderet esse de nouo. *Patet horum* sic arguentium, nullius roboris esse discursum: faciliterquè se liberabit Scotista respondens cum Scoto, non fore Matrem humanam, nisi sua principiatio quoad Maternitatem terminaretur ad nouam totalitatem, quoad nouum esse; sentit quippè Scotus, ex partibus simul sumptis, & vnitis resultare tertiam entitatem à partibus realiter distinctam, & ad illam terminari actionem creatam.

3 *Adueniat altera ratio*. Natura humana, vt contradistincta à Verbo, est aliquid reale, & non nihil: ergo habet propriam existentiam distinctam ab existentia Verbi. *Dices*: esse aliquid, vt dicit ordinem ad existentiam Verbi, vel vt illam connotat. *Contrà*: præcisa illa connotatione, vel illo ordine, adhùc natura humana est aliquid reale existens: ergo nulla responsio. *Vrgetur ratio*. Anima Christi priùs creatur, & vnitur corpori, quàm natura humana assumatur: sed hoc nequit esse, nisi anima, & corpus tunc haberent suam existentiam: ergo debent illam actù habere. *Confirmatur primò*. Tota natura humana posita extra suas causas, & secundùm suum esse reale fuit assumpta: ergo habuit propriam suam existentiam creatam: aliàs Verbum assumeret in tempore suam existentiam increatam. *Confirmatur secundò*: Natura existens realiter refertur ad Verbum per vnionem hypostaticam: ergo habet existentiam distinctam ab existentia Verbi. Consequentia patet; quia aliàs idẽ referretur, cùm fundamentum non haberet existentiam distinctam ab existentia Verbi.

4 *Alia ratio*. Angelus vidit intuitiuè naturam humanam, & non vidit existentiam Verbi, vel ordinem ad existentiam Verbi: ergo cũ cognitio intuitiua terminetur ad rem existentem, clarescit, quòd si visio Angeli fuit terminata ad naturam humanam, & non ad Verbum, nec ad connotationem ad Verbum, quòd natura humana erat existens propria existentia. *Dices*, Angelum vidisse naturam humanam, quæ actù est, licèt non viderit naturam existentem. *Contra*. Angelus vidit, iuxta responsionem datam, naturam, quæ actù est; nunc peto, quid sit, naturam actù esse; non potest

test dici, quòd tantùm sit, naturam humanam habere sua prædicata essentialia: nam hoc pacto quælibet natura possibilis, actù esset: si verò dicatur, quòd actù sit; quia est extra causas; hoc certè est ipsam existere, vtpotè existentia est ea, per quam realiter aliquid est extra causas.

*Dices*, Angelum videre naturam humanam existere modo, quo videt ipsam subsistere; quatenùs scilicèt videt operationes, & accidentia, ex quibus venit in cognitionem, quòd ibi sit aliquod subsistens. *Contra*; quia Angelus non eodem modo videt, naturam humanam existere, quo videt illam subsistere. Ratio est: quia cognitio naturæ humanæ est intuitiua, & ista de necessitate petit rem existẽtem, ad quam immediatè terminetur; at cognitio subsistentiæ naturæ humanæ, (si Angelus ex suis naturalibus potuit illam habere) est discursiua, & per illationem, pro quanto Angelus ex his, quæ videt, arguit ipsam naturam subsistere: ergo nulla responsio.

5 *Alia ratio*. Humanitas distinguitur à Verbo, tanquàm ens actù: nam humanitas assumpta plus distinguitur à Verbo, quàm distinguatur à seipsa vt possibili; at à seipsa vt possibili distinguitur, tanquàm ens in actu ab ente in potentia: ergò à Verbo debet distingui tanquàm ens in actu: subinfero: at si humanitas existeret existentia Verbi, non distingueretur à Verbo, tanquàm ens actù; ergo humanitas existit propria existentia. *Dices*, quòd immediatum susceptiuum existentiæ est suppositum; hinc, cùm natura humana non habeat propriam subsistentiam, nec etiam gaudet propria existentia. *Contrà*, priùs est, rem existere, quam incommunicabiliter existere; at res habet existere ab existentia, & incõmunicabiliter existere à subsistentia: ergo existentia supponitur ad subsistentiam.

6 *Altera sit ratio ad hanc rem*. Repugnat, rem subsistentem posse intelligi sinè esse: ergo esse non potest suscipi in subsistentia. Antecedens patet ex eo, quòd subsistere dicit, incommunicabiliter existere. Consequentiam probo: id, quod suscipit existentiam, vel præintelligitur in rerum natura, vel non? Non potest dici secundum: quia, quod non est in rerum natura, est non ens, & non ens nequit esse susceptiuum entis realis: ergo, &c. Quod verò subsistentia minimè intelligi valeat ante existentiam in rerum natura; patet: quia existentia est extra sistentiam, & existere, est extra sistere. *Vrgetur ratio*: homini nequit competere esse animatum, nec prius homo est animatus, quàm ipsi conue-

niat anima: ergo subsistentia nõ est illa, quam immediatè sequitur omnis existentia. *Altera ratio.* Personalitas supra naturam in probabili sententia ex disp. 3. proposit. 3. addit tantùm duplicem negationem: ergo natura, quæ caret propria subsistentia, solùm caret duplici negatione, & non existentia, quæ est aliquid positiuum; sed sic fuit natura humana in Christo: ergo, &c.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Nostram propositionem impugnant ista, quæ sequuntur.*

7 PRimum. Existentia est proprietas personalis, primò, & per se conueniens personæ, deindè naturæ ratione personæ; sed proprietates personales non multiplicantur in Christo magis, quàm ipsa persona; ergo nec existentiæ. Maior probatur: persona, vel suppositum est quod primò, & per se generatur, & non natura per *Arist. 1. physicorum*: sed eius est existentia, cuius est generari, & fieri: ergo existentia est proprietas personalis. *Confirmatur.* Terminus generationis humanæ est persona existens in natura humana; sed Christus est terminus generationis ex Matre: ergo est persona existens in natura humana: sed Christus non est alia persona à persona Verbi existens in natura per esse, & existere creatum: ergo per esse increatum.

*Item sequerentur tria.* Primum, quod Verbum Diuinum existeret per existentiam creatam. Secundum, quod existentia creata esset perfectiò personalis Verbi. Tertium, quod Beata Virgo non esset Mater Dei. Primum patet: quia Verbum ideò est homo, & vult per voluntatem creatam, quoniam humanitatem, & volũtatem creatam assumpsit: ergo si assumpsit existentiã creatam, existit per illam. Secundum patet: quia existentia sequitur personalitatem, vt eius perfectio, & actus vltimus: ergo existentia creata in Christo esset perfectio personalis Verbi. Tertium patet: nam secũdùm illam opinionem, terminus in generatione Christi est esse, existere creatum, & non esse increatum filij Dei.

8 *Respondetur*, duplicem esse existentiam: alteram incommunicabilem, & hæc est proprietas per-

personalis, imò ipsa ratio personalitatis, quæ non multiplicatur in Christo, vt probat argumētum, alteram agnoscimus existentiam, quæ dicit rem esse extra causam, & hæc non est proprietas soliùs personæ, sed etiam naturæ humanæ in Christo distincta ab existentia increata Verbi, & multiplicatur vbicumque aliqua res de nouo est extra causam. Ad probationem maioris respondetur simul, & ad *Confirmationem*, quod terminus generationis temporalis in Christo primarius est natura humana singularis (Verbum enim non est capax generationis temporalis) benè verum est, quòd natura singularis actù non generatur, nisi priùs subsistat, prout *ly generatur*, dicit terminum totalem; & ita natura singularis subsistens vel in se, vel in alio, est terminus adæquatus. *Et si obijcies*: natura singularis actù non generatur, nisi priùs subsistat: sed per generationem habet existentiam: ergo non habet existere, nisi priùs subsistat. *Respondetur*, quòd primarius terminus est natura, vt supra, adæquatus verò, & vltimò denominatus, non est, nisi priùs subsistat; cum hoc tamen stat, quod (licèt in eodem instāti temporis sit natura singularis existens, & subsistens, & hoc totum adæquatè dicatur generari) in aliquo priori naturæ sit existens natura, & in posteriori subsistens; vndè &c.

9 *Quando in Confirmatione* dicitur, quod Christus terminus adæquatus generationis est existens in natura humana, & non existentia creata, sed increata; hoc est falsum, imò est argumentum Scoti, quod terminus per se generationis habet esse acquisitum per generationem; Filius Dei verè generabatur ex Matre temporaliter, & illius generationis terminus est aliquod, in quantum habet esse existentiæ, non autem increatum: quia illud esse non fuit effectum per generationem temporalem: ergo aliud esse. *Ad inconuenientia*. Ad primum: Verbum existere existentia creata, potest intelligi, vel vt Deus, & sic non; vel vt homo, & ita per existentiam creatam, in quantum homo Verbum existit: ideò enim Verbum est verè, & realiter homo, quia existit in humanitate, & sicut ab humanitate est verè homo, ita ab existentia humanitatis est verè existens existentia creata, nec hoc est inconueniens. Ad secundum negatur, quod existentia, qua res est extra causam, sit actus tantùm personalitatis, sed est actus, vel modus essendi entis realis. Ad tertium respondetur, quod Beata Virgo est Mater Dei, quia persona generata est Diuina, sed non producta ab ea secundùm naturam Diuinam, neque secundū esse Diuinū, sed humanū.

10 *Secunda ratio principalis* contra nostram propositionem. In sexta Synodo generali *actione* 11. in Confessione Patriarchæ Ierosolimitani habetur: *In Verbo Dei, non in se ipsa habet vnam existentiam cum Verbo.* Item Damascenus *lib. 3 orthodoxæ fidei cap. 22.* dicit *humanitatem Christi existere per existentiam Verbi*. Item Leo Papa *epistola* 11. dicit, humanitatem Christi ista assumptione fuisse creatam; & Fulgentius *lib. de Incarnatione 3. cap.* dicit: ipsa acceptio carnis fuit cõceptio virginalis, &c. ergo ante assumptionem non habuit existentiam propriam.

*Potest responderi*, duas primas authoritates loqui de existentia incommunicabili, non de illa, quæ tantum dicit, rem esse extra causas. Ad duas vltimas, quæ contrarium affirmant, dicendum est, quod in eodem instanti temporis humanitas fuit producta, & assumpta. *Contrà*: pars de nouo adueniens toti habenti esse perfectum, & completum, non dat ei aliquod esse, sed potiùs est, & existit per existentiam totiùs; sed natura humana aduenit, quasi inserta ipsi supposito Diuino, iam præexistenti: ergo, &c. *Confirmatur*, accidens non dat aliquod esse subiecto: tunc enim tot forent esse in Petro, quot accidentia: at natura humana, quasi accidentaliter aduenit Personæ Diuinæ, iam existenti: ergo, &c. *Respondetur*, quòd pars adueniens toti, communicat illi nouum esse conueniens ipsi parti, quod est esse partiale; sic aliquis de nouo diceretur manuatus, oculatus, &c. sic & natura adueniens, vel vnita Verbo communicat Christo suum esse nouum: nota tamen, quod non se habet, vt pars, quia tũc Verbum in Christo esset alia pars.

11 *Contrà*; vnius rei substantialis est tãtùm vnum esse, & existere: sed Christus est vna res substãtialis: ergo, &c. *Confirmatur*. Primò: sicut se habet vna quantitas ad omnia, quæ sunt quanti; sic vna existentia ad omnia, quæ sunt vnius suppositi; sed vnica quantitate omnia eiusdem quãti sunt quanta; igitur vnica existentia existunt omnia, quæ sunt eiusdem suppositi: sed Christus, &c. ergo, &c. *Secundò*, sicut se habet subsistẽtia ad subsistẽtiã, ita existẽtia ad existẽtiã, sed subsistẽtia Verbi supplet subsistẽtiã naturæ humanæ, & solùm est ibi vna subsistentia: ergo existẽtia Verbi sufficienter supplet existentiam naturæ humanæ, & ita non est ibi, nisi vna existentia. *Tertiò*: si Verbum existeret existentia naturæ, oporteret, quòd natura humana esset forma Diuini suppositi, & ita Verbum esset aliquid potentiale, & natura quid actuale, & ita persona Christi esset composita.

12 *Respondetur*, quod vnius rei simplicis non habentis plures na-

naturas, vel essentias, saltem in creaturis, est vnum existere; at res nõ ita se habet in Christo. *Ad primam confirmationem* dicitur, quòd quantitas est accidens realiter, & essentialiter distinctum ab eo, quod est quantum per ipsam; & ita sinè sui multiplicatione possunt esse multa quanta in subiecto quanto: sed existentia, cùm sit realiter identificata, nec essentialiter distincta ab essentia, quotquot sunt essentiæ, & naturæ, tot sunt existentiæ. *Ad secundam* patet eadem responsione de identitate, quæ non est in subsistentia dicente tantùm duplicem negationem, quæ contingenter inest, & oppositum potest inesse, & per hoc suppleri: sed existentia non potest sic tolli à natura, ac per cõsequens nec suppleri, sicut nec propria sua singularitas. *Ad tertiam* patet, quòd, si natura humana tribueret existere Verbo per informationem, tunc esset benè actus, & Verbum potentia: & ita Christus compositus, sed dat esse per vnionem, quam Verbum terminat tantùm, & per cõmunicationem Idiomatum.

13 *Tertia ratio principalis*. Sicut accidentis esse, est inhærere; ita substantiæ est per se existere: sed inesse in accidente est tantùm vnum: ergo vna existentia in vna substantia: Christus est vna substantia: ergo in Christo vna existentia. *Confirmatur*. Si in Christo sũt plura existere: ergo Christus est plura entia: quia ens, & esse sunt idẽ. Item illa plura esse, vel illæ plures existentiæ, vel faciunt vnum per se, aut per accidens; non per se, vt patet discurrendo per modos per se; nec per accidens: quia neutrum est accidens, vel forma alterius.

*Respondetur* negando suppositum de inhærentia actuali, & cõcedendo, sicut, & ita in Christo est tantùm vna subsistentia, vel per se existentia incommunicabilis. *Ad Confirmationem* dico, quòd non sequitur: sunt in Petro plures scientiæ: ergo plures scientes: oportet enim, quòd etiam plurificetur, qood habet rationem materiæ. *Ad aliam, &c.* Christus non est vnum per se aliquo modorũ Aristotelis; nec tamen est vnum per accidens per informationem; est tantùm vnum vnitate vnionis, vnum inquàm substantiale: & hæc vnio secundùm Damascenum tenet arcem vnitorum in nobilitate, non quantùm ad faciendum, aliquod vnum ex per se vnitis.

DISPV-

# DISPVTATIO NONA.

## *De Prædestinatione, & Filiatione Christi.*

## PROPOSITIO PRIMA.

*Prædestinatio Christi in Filium Dei, præcessit præuisionem cuiuscumque peccati, etiam Adami: vndè, Adamo non peccante, & natura humana manente in statu Innocentiæ, Christus incarnatus fuisset, non quidèm vt Redemptor, & in carne passibili; sed vt Glorificator, & in carne impassibili.*

1 CElebris est Controuersia de veritate istius propositionis inter D. Thomam cum suis eam negantem, & Scotum cum suis eam propugnantem *in 3. dist. 7. q 3. & in 3. dist. 19. & in 1. dist. 41.* Nos eam probamus his argumentis.

*Primum:* legimus Prouerb orũ 8. *Ab initio, & ante sæcula creata sum, antequàm quidquam faceret à principio, &c.* Hæc verba, duplici naturæ Christi accommodari possunt: vndè multi ea interpretantur de Diuinitate filij, eiusque æterna generatione; sed litteralis magis apparet sensus, qui ea interpretatur de Christi Natiuitate, & generatione humana, cui soli propriè conuenit creatio; dicitur autem Christus, vt homo, creatus ab æterno, nõ quidem secundùm esse reale, sed secundùm esse præuisum, & præordinatum à Deo, vt sit sensus: quemadmodum in productione Diuinarum Personarum primò producta fuit persona Filij, quã Spiritus sancti, ita cum Deus præordinauit, & decreuit productionem suarum creaturarũ, primus locus cõcessus est Christo filio Dei: sed in illa prima præuisione præuisum non erat peccatum Adami, neque permissum: vt patet ex *n. 193. disp. 6.* ergo, & si Adam non peccasset, filius Dei erat incarnandus.

2 *Fauet huic argumento* doctrina ea, quam habet Scotus *in 3. dist. 19. q. vnica,* vbi docet, quod ordinatè volens, priùs vult finem,

&

& deindè, quæ sunt propinquiora fini, iuxta id, quæ sunt posteriora in executione, sunt priora in intentione: hinc Scotus *in 3. dist. 7. q. 3. §. secundum dubium, &c.* monet, in actione artificij contrarium esse processum in exequendo, ei, qui est in intendendo: nam Medicus ordinatè volens, priùs vult infirmo sanitatem, quæ est principale intentum, & postea vult medicinam, pillolas, &c. quæ sunt media ad sanitatem; & artifex in ædificatione Domi, ordine intentionis priùs vult habitationem, quàm ponere fundamenta, etsi in executione incipiat à fundamentis. Hoc stante primo argumento; ita dico: Incarnatio nō solùm est perfectissimum opus Dei eorum, quæ sunt ad extra, sed magis conducit, quàm cætera omnia, ad gloriam ipsius Dei, quæ est finis primarius intentus à Deo in omnibus, quæ operatur ad extra: ergo post intentionem gloriæ ipsius Dei, primum omnium voluit Deus Incarnationem Christi.

3 *Sit Secundum argumentum.* Prædestinatio nostra in eo consistit, vt efficiamur conformes Christo secundùm gratiam in hoc sæculo, & secundùm gloriam in futuro, vt apertè legimus Rom. 8. nu. 29. *Nam, quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, &c.* Sed illud, cui cætera conformari debent, illa debet præcedere; ergo Christi prædestinatio præcessit prædestinationem cuiuscumque intellectualis naturæ, & prædestinatio creaturæ antecessit præuisionem peccati: ergo Christi prædestinatio est ante præuisionem omnis peccati. *Vrgeo difficultatem.* Prædestinatio Christi, vt deduxi ex illo *Rom.* 8. est causa prædestinationis primi parentis: ergo est causa gloriæ, quam habuit primus parens: sed gloria illa non solùm correspondet gratiæ, & meritis, quę habuit post peccatum, sed etiā gratiæ, & meritis, quæ habuit ante peccatum: ergo gratia, & merita, quæ habuit primus parens ante peccatum, data sunt illi intuitu Christi, ac per consequēs prædestinatus fuit Christus ante visionem peccati primi parentis.

4 *Dices:* quòd postquam Adam peccauit, habuit actum pęnitentiæ ex meritis Christi futuri, qui quidem actus fuit quasi conditio necessaria, vt merita priorà per peccatum mortificata, reuiuiscant, & ita fuit Christus causa prædestinationis, & glorificationis primi parentis. *Contrà.* Quando reuiuiscunt merita, nō solū correspondet gratia, & gloria iuxta mensuram contritionis, per quam reuiuiscunt; sed secundùm totam latitudinem priorum meritorum: ergo in primo parente correspōdet aliquis gradus gloriæ meritis, quæ

hia.

habuit ante peccatum; ac per consequens gratiæ, & merita primi parentis ante peccatum, fuerunt ex intuitu Christi. *Fauet huic discursui*, quòd merita mortificata primi parentis per peccatum, dùm reuiuiscunt per pœnitentiam; tunc pœnitentia se habet, veluti conditio sinè qua non, non verò est ratio formalis, ex qua sumatur meritorum valor: ergo formalis ratio, propter quam illis correspondet gloria, non est pœnitentia, per quam reuiuiscunt, sed dignitas, & valor ipsorum, quem in sua prima collatione receperunt: ergo vt sic sunt prędestinationis effectus: ergo, &c.

5 *Dices* esse aliquem gradum gloriæ correspondentem illis meritis in primo parente, qui non sit ex meritis Christi. *Contrà*. Nam prædestinatio Christi est causa prædestinationis primi parentis: ergo est causa totius gloriæ, ad quam fuit prædestinatus primus parens. *Confirmatur*; quia alias minimè esset verum dicere, quod primus parens sit prædestinatus, vt esset conformis Christo. Obseruandum, quòd prædestinati minimè dicuntur prædestinati conformes Christo ex illo tantùm, quòd sint similes illi in gloria: hac enim ratione sunt confor. mes Virgini, & B. Francisco: dicuntur ergo prædestinati conformes Christo; quia tota eorum prædestinatio est per Christum.

*Fundatur hic discursus* in doctrina D. Pauli 1 ad Corinth. 3. nu. 22. dicente: *Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo siue Cephas, siue mundus, siue vita, &c: vos autem Christi, Christus autem Dei*. Ponderandum hic, quod Apostolus alloquens electos, dicit, omnia esse illorum, quia propter illos condita sũt; quippè ipsi sunt finis omnium, sicut Christus est finis prædestinatorum: ergo, cùm colligant Theologi, quòd omnia sunt condita propter prædestinatos ex eo, quod prædestinati omnium creatorum, sicut Christus est finis omnium prędestinatorum, dicendum, Deum priùs voluisse Christum, deindè prędestinasse, sicut ex authoritate adducta, colligitur, Deum priùs voluisse prædestinatos, deindè voluisse cætera creata.

6 *Fauet* nobis Tridentinum *sessione 6. cap. 7.* quatenùs dicit, quod finis nostræ iustificationis est gloria Dei, & Christi: ergo si Christus est finis prædestinatorum, concluditur, quòd, cũ finis sit prior in intẽtione, Deus in intentione priùs voluit Christum. *Dices*, Concilium minimè velle Christum esse nostrum finem, sed solùm dicere gloriam Christi esse finem nostræ iustificationis. *Contrà*: eodem modo gloria Dei, & gloria Christi dicitur esse finis: sed sic est, quod gloria Dei, & ipse Deus est finis nostræ iustificationis: ergo simi-

similiter gloria Christi, & ipse Christus est finis noster. *Item.* Si gloria Christi est finis: ergo priùs fuit intenta. *Item* si gloria Christi est priùs intenta, quàm nostra iustificatio: ergo ipse Christus etiam fuit prior ordine intentionis. Radices suas habet præsens discursus in eo, quod amor amicitiæ est prior amore concupiscentiæ, & gloria Christi sit amata amore cõcupiscentiæ; cùm Christus sit amatus amore amicitiæ.

7 *Respondent* nonnulli, gloriam Christi esse finem, non intentum, sed resultantem ex nostra iustificatione. *Contrà*: eodem modo gloria Christi, & Gloria Dei dicitur finis: sed gloria Dei est finis intentus: ergo gloria Christi est finis intentus. *Item*, prudenter volens, qualis est Deus, priùs vult finem, quàm id, quod conducit ad finem: ergo cùm per nostram iustificationem sit secuta magna gloria Christo, sicuti Deo, sequitur, quòd Deus ordine intentionis priùs voluerit gloriam suam, & Christi, quàm nostram iustificationem. *Respondent alij*, quòd gloria Christi sit finis impulsiuus, sed non principale motiuum ad nostram iustificationem. *Contrà*: quia finis impulsiuus etiam aliquo modo procedit ex intentione.

8 *Sit tertium argumentum*. Adamo non peccante, futura erat Ecclesia, nedùm triumphans in Cœlo, sed etiam Deo deseruiẽs, seù militans in terra: cùm ea aliud non sit, quam Cœtus, & Congregatio fidelium colẽtium Deum, & in statu innocentiæ erant futuri omnes Dei cultores: hæc autem Ecclesia, sinè capite esse non poterat, cùm sit ipsa corpus: sed Christus est caput Ecclesiæ, iuxta id ad Ephesios 1. nu. 22. *omnia subiecit sub pedibus eius, & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, & plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimplet*: ergo aut monstruosa, & sinè capite futura erat Ecclesia, Adamo nõ peccante, aut Christus incarnatus fuisset, Adamo non peccante.

*Quartum argumentum* sit ex eisdem Apostoli verbis. Christus dicitur Caput Ecclesiæ, eo quod sit causa moralis totius gratiæ diffundendæ in membra corporis sui mystici, qood est Ecclesia: sed Christus est causa meritoria, quatenùs homo est, & ex Philosophia, causa suum præcedit effectum: ergo incarnatio præcedit quãcumque gratiam conferendam creaturæ, ac proindè ipsum statum innocentiæ, itaut oportuerit primò Christũ prædestinari, & ex intuitu, & merito illius dari gratiam, & gloriam tàm Angelis, quàm hominibus, antequàm vllum præuideretur peccatum: nàm supposita creatione, status gratiæ præcedit statum peccati. Non pugnant ista cum libera, & gra-

tuita gratiæ collatione, cùm gratia propterea dicatur gratuita, quia non pendet ex merito accipientis:

9 *Quintum argumentum* desumitur ex illo ad Colossenses 1. nu. 13. *Transstulit in Regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem, & remissionem peccatorum, qui est imago Dei inuisibilis, primogenitus omnis creaturæ.* Hæc verba duplicem explicant naturam Christi, qui est imago Dei inuisibilis, quatenùs est Deus, & secundùm naturam Diuinam: est autem primogenitus omnis creaturæ, quatenùs homo, & secundùm naturam humanam. Hæc primogenitura non solùm est, quantùm ad esse naturæ, sed quantũ ad esse filij Dei prædestinati ad gratiam, & gloriam; vndè, sicut in mente Diuina primum locum sibi vendicat Christus quatenùs homo, ita debet præcedere omnem præuisionem peccati; propterea Christus dicitur primogenitus mortuorum, non quia primus resurrexit à mortuis, iterùm non moriturus, sed quia est caussa exemplaris, & moralis omnium resurgentium; vndè eius resurrectio præcedere debuit in præuisione quamcumque alterius resurrectionem. Simili modo Christus dicitur primogenitus creaturæ: quia ipse est primus, qui in mente Diuina fuit, cùm Deus decreuit se aliquam creaturam effecturũ, & aliquos homines prædestinaturum. Illud autem decretum de creandis hominibus, & aliquibus saluandis præcessit præuisionem peccati; ex quo colligere licet, prædestinationem Christi, atque incarnationem futuram, Adamo non peccante.

10 *Sextum argumentum* desumitur ex illo, ad Hebræos 1. nu. 6. *Et cum iterùm introducit primogenitum in Orbem terræ, dicit; adorent eum omnes Angeli Dei*, quæ verba sunt de Christo homine intelligenda, bis introducendo in mundum. Hæc autem introductio duplex indicat nobis duplex decretum Diuinę voluntatis circa Incarnationem filij sui. Prima introductio, seù primum decretum fuit tunc cum prædestinatus est Christus filius Dei, & decreta illius incarnatio titulo, & nomine Glorificatoris, & in carne impassibili. Secunda introductio, seù secundum decretum est, cùm ordinatum fuit, filium Dei incarnandum titulo, & nomine Redemptoris, & in carne passibili. Quod in prima introductione, Angelis præciperetur adorare Christum, neque durum, nec laboriosum erat, sicut insolitum, & difficile non est, Angelos adorare Christum à die Ascensionis in Cœlum, & sessionis eius ad dexteram Patris, & in statu gloriæ: sed valdè durum erat Angelis adorare Christum hominem passibilem, & sub nomine Redemptoris; cũ

san-

sanguine fuso fieri deberet redemptio; propterea notuit Apostolus etiam in secunda introductione, iussum fuisse Angelis, adorare Christum hominem passurum. Secunda introductio præsupponit peccatum Adami, & Adamo non peccante Christus non venisset, aut incarnatus fuisset in carne passibili, & titulo Redemptoris: ergo prima introductio debet præcedere peccatum, & Adamo non peccante, Christus venturus erat titulo, & nomine Glorificatoris.

11 *Septimum argumentum* sumitur ex ordine prædestinationis, comparatione facta Christi prædestinati cum cæteris prædestinatis hoc modo. In prædestinatione hominum præuisio ad gloriam antecedit præuisionem peccati, sicut, & gratiæ: quia finis est priùs in intellectu, quàm media ad finem: ergo à simili inter ipsos prædestinatos, cùm sit vnus futurus, nempè Christus, qui est prædestinatus ad summã gloriam, debet seruari eadem processio, & prioritas ita, vt primus omnium prædestinetur Christus ad summam gloriam, & postmodùm alij ad gloriam inferiorem, & indè sequitur, prædestinatum fuisse Christum, & decretum suæ Incarnationis factum antecedenter ad quamcumque peccati præuisionem, & sic Adamo non peccante, Christus fuisset incarnatus.

12 *Octauum argumentum*. Id, quod maius est, non pendet ab inferiori (talis enim est ordo, quem in rebus creatis Deus cõstituit, quas diuidens in infimas, medias, & superiores; ita superioribus alias subiecit, vt sint superiores ab inferioribus independentes, nedùm quantùm ad esse, sed etiam quantum ad operationem) sed nihil est indignius peccato, quod cùm nihil sit, in nullo ponitur ordine: Incarnatio autem Verbi Dei, & prædestinatio Christi, primum locum sibi vendicat inter ea, quę à Deo facta sunt; cùm includat duo, quæ humanũ superant captum, nempè vnionem Dei, & hominis, & Beatitudinem illius hominis, lõgè præstantiorem Beatitudine cuiuscumque creaturę, eo quod, vt loquitur D. Paulus, sit Deus corporaliter in Christo, scilicèt longè alio modo, quàm sit in alijs creaturis, etiã in ratione obiecti Beatifici: ergo indecens est, imò implicat Incarnationem, & prædestinationem Christi dependere à peccato primi parentis; quod si ab eo non pendet, constat, eam futuram, Adamo non peccante.

13 *Nonum argumentum*. Si Adamo non peccante, Verbum Diuinum non erat incarnandum, Incarnatio esset per occasionem, & per accidens, & non ex dono gratuito, & ex interno amore Dei ergà hominem extollendum per incarnationem Verbi, vltrà omnem creaturam;

sed consequens absurdum est, & derogans Diuinæ bonitati; & Excellentiæ hominis; ergo non debuit incarnatio fieri per occasionem peccati Adami, siue cuiuscumque alterius.

*Istæ omnes rationes* nobis persuadent, Deum ante præuisionem cuiuscumque peccati decreuisse; hominē ad sui imaginem factum, extollendum esse supra omnem creaturam per communicationem Diuinitatis omni modo, quo communicari poterat, nempè conferendo illi summum gradum naturæ intellectualis, quantùm ad esse naturæ, & summam gratiam, & sūmam gloriam, quæ tria requirunt vnionem hypostaticam hominis, & Dei; vndè decreuit Altissimus, Verbum Diuinum futurum aliquando hominem.

14 Si quis quærat: *Vtrùm ex illo decreto, homo ille Christus fuisset passibilis, vel impassibilis?*

*Respondemus*, in illo decreto non includi alterum horum, sed includi dumtaxat verum corpus, & veram animam, verum, inquam, & realem hominem, talem, qualem exigebat status hominis ita, vt homine permanente in statu innocentiæ, Christus fuisset impassibilis non minùs, quàm ipse homo erat immortalis; homine autem peccante, venturus erat Christus in carne passibili, vt mederetur nostræ infirmitati, & tunc fieret passibilis, quando tota humana natura fuerat ex peccato facta mortalis; propterea opus non fuit nouo decreto, quo Christus fieret passibilis, nec vlla facta est mutatio in decreto Diuino, sicut nulla est in Deo mutatio, quamuis aliter post peccatum Deus se gerat ergà hominem, quàm fuisset, illo non peccante.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *D. Thomæ sententia propugnatur.*

15 PRimum argumentum. Christū venisse de facto propter nostram Redemptionem, negabit nemo. Christum potuisse venire ob solum motiuū nostræ Redemptionis, concedunt omnes; certum est etiam, nullam aliam causam ex scriptura, & Patribus haberi aduentus Christi: ergo qui aiunt, motiuum principale aduētus Christi minimè fuisse nostram Redemptionem, arbitrariè loquūtur. Exemplo res declaratur. Cùm Princeps testatur, se aliquid alicui dedisse ob determinatam causam, sinè ratione assereret quispiam, Principem ta-

lem

lem fuisse motum ex alia causa: ergo cùm ex Scripturæ, & Patrum testimonio habeatur, Christum venisse ob nostrã Redemptionem à peccato, irrationabiliter loquuntur, qui dicunt, motiuũ principale aduentus Christi, nequaquàm fuisse humani generis reparationem.

*Vrgetur iste* discursus authoritatibus Sanctorum Patrum. Primò, obuiam se præbet Cyrillus *lib. 5. Thesauri cap.* 8. ita scribens: *Sciebat, mortales nos futuros propter peccatum, ac ideò ex misericordia constituit ante sæcula, vt Verbum suum fieret homo*. Magnus Pater Augustinus *sermone* 8. *de verbis Apostoli*, dat suum votum, ita dicendo: *Si homo non peccasset filius hominis non venisset*; & sermone 9. ait: *Nulla causa fuit veniendi Christo Domino, nisi peccatores saluos facere*. Accedat Ambrosius, qui de Incarnatione Domini *cap.* 5. ita habet: *Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi vt caro, quæ perierat, redimeretur?* ergo clarè constat, Patres esse pro D. Thoma, & eiusdem sententiam propugnare.

16 *Re tamen* benè considerata, commune Sanctorum Patrum votum est pro Scotica sententia. In primis fauet Scoto Cyrillus; hic nãque *lib.* 5. *Thesauri cap.* 8. ita scribit: *Fundatur ante nos Christus, vt nos super ipsum coædificaremur ante initium mundi in præscientia Dei, vt in ordine Diuino benedictio antecederet maledictionem*. Hinc obseruo, quòd ad aures Cyrilli, Christus ante nos fundatur, scilicet est prædestinatus: ergo cùm nos simus prædestinati ante præuisionem peccatorum, ita dicendum de Christo. Fauorabilem esse nostræ propositioni Augustinum, colligo ex *lib. 5. de nuptijs, & concupiscentia cap.* 21. vbi docet: *etiamsi peccatum non esset, fore nihilominus bona, inter quæ illud est, quod sit signum coniunctionis Christi cum Ecclesia*. Hac stante doctrina, ita argumentor: non foret Sacramentum, aut signum illius, nisi Christus venturus esset in carne: sed ista essent etiam, non stante peccato, secũdùm Augustinum: ergo ad aures Augustini, decretum de Incarnatione quantùm ad substantiam factum est ante præuisionem peccati.

17 *Vt tamen omnis æquiuocatio* in dictis Sãctorum Patrum de medio tollatur. *Moneo*, consuetudinem esse apud Sacram Scripturam, & Sanctos Patres, vt quando sunt plura motiua alicuius rei, quorum quodlibet est sufficiens; nunc vnum, nunc aliud exprimere, quandoquè vtrumque. Patet 1. *Reg.* 16. vbi legitur, Samuelem habuisse duplicem finem veniendi ad Isai Bethlehemitem; primarium, vt vngeret Dauid in Regem, secũdarium, vt immolaret Domino; hunc secũdarium expressit Propheta senioribus Ciuitatis, ad Portam occurrentibus, & interrogan-

rogantibus, an pacificus esset ingressus ipsius; ait enim nu. 5. *pacificus, ad immolandum Domino veni, sanctificamini, & venite mecū, vt immolem, &c.* Primarium verò omninò tacuit propter timorem Saulis. *Ad Rom.* 4. dicitur Christus resurrexisse propter iustificationem nostram, quæ tamen non fuit primaria intentio, hæc enim erat exaltatio nominis ipsius Christi.

18 *Hinc est*, quòd licèt volita sit incarnatio primariò, & efficaciter ante præuisum peccatum, ad gloriam Dei manifestandam, & propter dignitatem ipsius Christi, vt in ipso omnes aliæ creaturæ conderentur, & ab eo omnem benedictionem spiritualem reciperent: quia tamen fuit etiam volita, supposita præuisione peccati ob finem redemptionis, finis hic secundarius aliquādo exprimitur in Scriptura sinè primario, & è conuerso primarius sinè secundario. Intentio igitur primaria, & finis, significatur locis à nobis ex Scriptura, & Patribus citatis; finis tamen secundarius, frequentiùs exprimitur: tùm quod sit proximior executioni, & determinatio prioris intentionis, qua absoluta decernebatur, Verbum incarnari; determinat enim in executione modum carnis, scilicet, quod sit Caro passibilis, & in forma serui, qui in primo decreto non determinabatur, sed solùm Caro absolutè: tum etiā, vt homini, qui affectu commodi maximè mouetur, continuò intimentur maxima illa beneficia, quibus Diuina dignatione, qua Deus in Redemptionem venire voluit, commoratus est. Iuxta hanc doctrinam intelligenda sunt loca Sacræ Scripturæ, dùm videntur opposita dicere.

19 *Si qui Patres dicunt*, Christum non venturum, nisi in Redemptionem peccati. *Respondetur* breuiter, intelligendos esse de carne passibili in humilitate, & forma serui, & quod non veniret vt Redemptor, & prout de facto incarnatus est. *Nec obstat*, quod simpliciter negent Incarnationem aliter fieri, quia in hoc seruant consuetudinem Scripturæ, quæ simpliciter negat, quòd diuersis modis fieri possit, ex eo præcisè, quod vnico, & determinato modo non fiat, vt patet Ioannis 7. nu. 8. *Vos ascendite ad Diem festum hunc, ego autem non ascendo, &c.* vbi Christus negat absolutè, se ascensurum; quia non erat ascensurus palàm, vt volebant Apostoli, sed secretò. Et Matthæi 15. n. 24. dicit Christus, se non esse missum, *nisi ad oues, quæ perierant Domus Israel*, ex eo, quod missus sit primò ad salutē populi Israelitici, licèt sit etiam missus ad salutem gentium, iuxta illud Genesis 49. nu. 10. *Et ipse erit expectatio Gentium*. Hoc ergo modo negant Patres, Christum venturum, si pec-

peccatum non foret; quia non veniret, vt de facto in executione venit in Redemptionem peccati, & in carne passibili. *Eodem modo respondetur* ad illum hymnum Ecclesiæ de B. Virgine: *Peccatores non abhorres, sinè quibus nunquàm fores tanto digna filio*; est sensus, quòd non esset digna tanto filio eo modo, quo est de facto, si non fuissent peccatores: quia non esset digna filio, qui non esset Redemptor, nisi propter peccatum.

20 *Dices*: quando Deus decreuit efficaci decreto Incarnationem, non potuit non determinare media ad talem finem necessaria: quippè intentio efficax finis dicit necessariam habitudinem ad media. Facit ad hoc, quòd executio intentionis efficacis nequeat haberi sinè medijs: ergo debent esse volita media: cùm volens efficaciter finem, teneatur velle illa, sinè quibus finis assecutio redditur impossibilis. *Adde*, quòd, vt doctè *Scotus in 2. dist. 6. q. 1. in responsione ad quæstionem*: in hoc secernitur volitio efficax à volitione inefficaci, quòd volitio inefficax sit volitio finis sinè volitione mediorum, & volitio efficax dicit volitionem finis, & mediorum. Explicat Scotus in infirmo, qui vult sanitatem efficaciter; hic namque vult media ad sanitatem: at infirmus, qui vult sanitatem inefficaciter, minimè applicat media, scilicet potionem amaram, pillolas, &c. *Dicimus*, quòd, cùm in bona Philosophia morali instruamur, ordinatè volens, priùs velle finem, quàm media, vtpotè media, non sunt volita propter se, sed propter finem; ad volitionem finis efficacem, non dicimus necessarium, vt pro omni eo signo, in quo est volitus finis, sint volita media ad ipsum. Imò, hoc repugnare putamus: cùm finis volitio sit causa volitionis mediorum, & causa omnis, saltem natura, est prior suo effectu. Ad volitionem ergo efficacem finis, putamus satis esse, vt media pro illo primo signo sint volita virtualiter. Dicimus, quòd in volitione efficaci finis, obligatur sic volens, vt in subsequenti signo determinet de medijs ad finem consequendum necessarijs.

21 *Ad rem nostram dico*, Deum, primò voluisse Incarnationem quoad substantiam, nec tunc determinasse, an illa esset in carne passibili, vel impassibili; visa postea futuritione peccati, decreuit Incarnationem in carne passibili. Ad ampliorem doctrinam; quando finis intentus dependet ex natura rei quoad suã executionem à medijs, & circumstantijs, trãseat antecedens; quando verò non dependet, quinimò est indifferens, vt ponatur per hoc, vel per aliud medium, cum his, vel alijs circũstantijs; nego antecedens: pro tunc minimè est necessaria deter-

terminatio mediorum; licèt igitur intẽtio efficax trahat secum finem necessariò, manet tamen indifferens ad hunc, vel illum modum executionis, ad electionem huius, vel illius medij determinatè, quando finis non exigit ex natura sua modum, aut medium determinatum; cùm igitur Incarnatio nullam habeat in re connexionem cum peccato, quia tàm benè sinè eo, ac cum illo potuit esse, sicut potuit esse cum alijs circumstantijs; tàm benè, ac cum illis, cum quibus peracta est de facto; voluntas efficax ipsius secundùm se præcisè considerata, non dependet determinatè ab hoc, vel illo medio, ab his, vel illis circumstantijs, nempè, quod fieret in carne passibili, ex Virgine, operatione speciali Spiritus sancti, & non generatione humana, vel etiam creatione: quia oppositis modis fieri potuit.

22 *Replicabis*: si ex vi primi decreti Christus veniret in carnem, vel veniret in carne passibili, & hoc non: quia decretum de aduentu in carne passibili, supponit de facto peccatum; vel in carne impassibili, & hoc etiã non: quia si impassibilitas includebatur in primo illo decreto Diuino, nunquàm stante decreto tali posset venire in carne passibili: ergo, si Adam non peccasset, nullo modo veniret. Cõsequentia patet: quippè non potuit venire, nisi in carne passibili, vel impassibili, cùm non detur medium. *Respondetur* distinguendo antecedens: veniret in carne passibili, vel impassibili, indeterminatè; concedo, determinatè, nego: quia primum decretum, quod fuit absolutum ab omni conditione, nec passibilitatem, nec impassibilitatem determinatè includit. Ex vi igitur primi decreti, veniret in carne iuxta statum, quem haberet caro, casu quo, Adam conseruasset statum innocentiæ, & consequenter non esset passibilitas, aut morbus, quæ sunt pęna peccati: veniret enim vt primogenitus; & sic vt similis in statu naturæ illis, qui prædestinaretur conformes fieri imagini ipsius.

23 *Nec indè inferas*, quòd etiam si non esset ordinatus de facto in Redemptionem peccati, adhùc vi primi decreti veniret in carne passibili, ex eo quod hic sit status, quem de facto homo habet post peccatum; hoc enim non est verum. Ratio est, quòd hic status, quem de facto natura habet, non sit per se status ipsius, aut in quo Deus ipsam cõdidit: sed solùm per accidens ipsi conueniens in pœnam peccati, & hoc respectiuè ad Adam tantùm, & posteros eius, qui in eo constituti sunt. Cum igitur Christus non fuerit in eo constitutus, nec in eo peccare potuerit, veniret ex vi primi decreti in illo statu carnis scilicet impassi-

passi-

passibilis, quem in Adamo perdidit. De facto autem ex vi secundi decreti venit in carne passibili ex misericordia ad redimendum genus humanum per suam mortem, & passionem. Sic cõmuniter soluitur præsens difficultas.

24 *Dicerem tamen*, quòd eatenùs debeat dici, Christum necessariò venturum in carne, siue impassibili, siue passibili, ex vi primi decreti, quatenùs primum decretum determinaret necessariò Deum ad habendum aliud decretum de executione, siue Adam peccasset, siue non, & cõsequenter, quòd sicut de facto Deus habuit decretum de executione Incarnationis in carne passibili, quia hoc vidit de facto esse magis conueniens, ita si Adam non peccasset, haberet aliud decretum de Incarnationis executione in carne impassibili, quia tunc hoc magis congruum videret.

*Nostram doctrinam* vsque modo traditam, possumus explicare ex doctrina communiter recepta in Tractatu de Prædestinatione. Cùm Theologi eo in loco legant apud Scripturam, & Patres, prædestinationem esse ante præuisionem meritorum, & aliquando dicatur esse cum ordine ad merita; inde Doctores notant, duplicem esse Prædestinationem, volentes, Prædestinationem ordine intentionis anteire præuisionem meritorum, in executione verò, rem aliter se habere. Nos huic discursui inhærentes, dicimus, duplex esse decretum de Incarnatione; vnum de Incarnatione secundùm substantiam, alterum quoad modum; Patres ergo dicentes, Incarnationem factam in Redemptionem generis humani, intelligendi sunt de Incarnatione secundùm executionem, vel prout de facto se habet.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Duo alia argumenta eneruantur.*

25 PRimum argumentum. Si filius Dei fuisset incarnatus, si homo non peccasset; quæro, quare incarnatus fuisset; non propter exaltationem, & nobilitatem naturæ: quia tunc assumpsisset naturam Angelicam, quæ est multò nobilior; non propter indigentiam: quia si homo non peccasset, nulla fuisset indigentia; imò quilibet homo fuisset perfectè beatus absque Incarnatione, & Beatitudo redundasset in vires inferiores;

quia, teste *D. August. epist.* 38. tantam virtutem dedit Deus animæ, vt eius perfecta Beatitudo redundaret in vires inferiores.

*Confirmatur*, quia si fuisset incarnatus in hypotesi, quòd homo nō peccasset, hoc esset propter perfectionem vniuersi (dicunt alij) sed hæc ratio non valet; quippè pari ratione assumpsisset Deus naturam Angelicam, quæ non minùs pertinet ad perfectionem vniuersi, quàm natura humana; quinimò magis: ergo, &c.

26 *Respondet noster Pater* Bassolius, quod si homo non peccasset, incarnatio fuisset propter indigentiam, vt perfectè posset hominem glorificare non solùm interius secūdùm Potentias animæ, sed etiam exteriùs secundum sensum aliquem, saltem nobiliorem, vt est visus, itaut homo, videndo Deum intellectualiter, glorificaretur interiùs, & videndo Deum sensibiliter, glorificaretur exteriùs. *Et quando dicis*, quod non: quia tanta esset gloria animæ, quod redundaret in vires inferiores, etiam si Deus non fuisset corporaliter visus. *Respondet Bassolius*, quòd difficile est videre modum redundantiæ talis; quia etsi redundasset, nunquàm tamen, cæteris paribus, fuisset ita perfecta gloria corporis, si non videretur Deus corporaliter, sicut modo conuidetur.

*Posset* dici contra istam doctrinam; ex illa deduci, quòd sicut visus, ita gustus, & potentia generatiua deberent corporaliter, & sensibiliter glorificari, quod est indecorum. *Sed ad hoc* posset dici, quòd secùs est de reliquis sensibus, quorum actus non sunt ita nobiles, nec immateriales, sicut visus: ponunt enim aliquam indignitatem in actu, vel circa obiectum.

*Respōderem* ego ad argumentum, quòd venisset propter exaltationem naturæ, & propter perfectionem vniuersi. Neque sequitur propter hoc, quòd debuerit naturam Angelicam assumere; quia natura humana cum omni creatura aliquo modo communicat, & ita exaltando istam, omnes creaturæ exaltantur, & perficitur vniuersum magis, quàm per Angelum, qui nō potest esse obiectum alicuius sensus, nec virium inferiorum; & ideò D. Gregorius super illud: *prædicate Euangelium omni creaturæ*, scilicèt homini, qui dum vnitur Deo suo principio, est Deus, & sic est circulus vniuersi perfectus, in quo principium, & finis est omnis creatura, deificata in homine ipso; non ita de Angelo.

27 *Aliud argumentum*. Si Incarnatio non debuit esse absolutè volita propter peccatum, inde esset; quia non est rationabile maius bonum, quale est incarnatio, dependere à peccato. Hæc autem ratio nulla est; quia vnio hypo-

hypostatica non est ita perfecta, vt excedat fruitionem: nàm vnio hypostatica non ponit in natura, nisi vnum respectum, qui est multò imperfectius ens, quàm formalis Beatitudo humana, quæ dicit vltimam perfectionem simpliciter, non autem ille respectus: ergo, &c.

*Respondetur*, quòd illa est bona congruentia, vt ait Scotus: nàm non benè sonat, tantum bonū esse occasionatum ex minori bono. *Quando dicis*, quòd vnio est tantum respectus in natura: verum est entitatiuè, tamen id, quod ex hac vnione sequitur (scilicet Christus Dominus) est melius, & maius bonum Vniuersi.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Adducuntur aliæ probationes suadentes, quòd, Adamo non peccante, & natura humana manente in statu innocentiæ, Christus incarnatus fuisset, non quidem vt Redemptor, & in carne passibili, sed vt Glorificator, & in carne impassibili.*

28 PRobatur: Prædestinatio cuiuscumque prædestinati ad gloriam præcedit naturaliter præscientiam peccati; ergo multò magis hoc est verum de prædestinatione animæ Christi, qui prædestinabatur ad summam gloriam. Tunc sic; sed anima Christi non solùm prædestinata fuit ad gloriam, sed etiam ad vnionem Verbi: ergo talis vnio, & incarnatio non est facta, aut volita dependenter à peccato, ac per consequens, etiam si Adamus non peccaret, veniret. Antecedens fatetur *D. Thomas prima par. q. 23. art. 5.* Consequētia probatur: quia nulla animarum præter animam Christi prędestinata fuit ad summam gratiam, & gloriam: ergo, si cæteræ prædestinatæ sunt independenter à præscientia peccati, multò magis anima Christi; & dato casu, quòd eius prædestinatio non esset nobilior, sed æquè nobilis, adhùc fieret, sicut cæteræ, independenter à peccato.

29 *Caietanus*, vt huic occurrat argumento asserit, quòd propositio illa, quàm Scotus assumit pro antecedente, est simpliciter falsa; scilicèt prædestinatio cuiuscumque ad gloriam præcedit præscientiam peccati: quia Scotus videtur supponere, prædestina-

nationem anteire præscientiam omnium futurorum, quod quidem ( asserit Caietanus ) est falsum: nàm prædestinatio, inquit, tantùm præcedit præscientiam futurorum, quæ per ipsam prædestinationem futura sunt, non tamen illa futura, quæ per Diuinam prouidentiam sunt futura, ex quibus ipsa prædestinatio pēdet,& illis posterior. Ad cuius rei declarationem ponit tres ordines rerum. *Primus* est ordo rerum naturalium, in quo continentur res naturales cōstituentes vniuersum secundùm ordinem naturalem, & etiam defectus consequentes ipsas res naturales, vt sunt monstra, & in animalibus ægritudines, & in rationalibus ignorantia, & malum moris, quod est peccatum; peccata ergo hominum, quia proueniunt ex hominibus iuxta illud Oseæ 13. nu. 9. *perditio tua ex te Israel est*, pertinent ad ordinem naturalem vniuersi. *Secundus* ordo est ordo gratiæ; & in hoc ponuntur omnia, quæ pertinent ad gratiam, & gloriam, & denique finis, & media ad finem. *Tertius* est ordo Dei, & creaturę simul,& in hoc est vnio hypostatica Verbi ad carnem: quos quidem ordines, ait Caietanus, ita se habere, vt secundus præsupponat primum, tertius autem primum, & secundum.

*Hoc stante*, asserit Caietanus, Deum ordinasse priùs vniuersum secundùm ordinem naturalem rerum, & quia secundùm hunc ordinem res naturales nō attingunt fruitionem Diuinam, addit ordinem gratiæ; & quoniam hic ordo non attingebat summam beatitudinem, ordinauit creaturam ad vnionem personalem Verbi Dei. Vndè deducit Caietanus, antecedens Scoti esse falsum; quia prædestinatio non præcedit præscientiam futurorum pertinentium ad ordinem naturæ, sed illam præsupponit; & consequenter, cùm in illo ordine contineatur peccatum; falsum est simpliciter, quòd prædestinatio præcedat præsciētiam peccati, imò necessariò illam supponit, quia ordo gratiæ supponit ordinem naturæ; cùm ergo peccatum Adæ fuerit graue peccatum, & peccatum hominis contineatur in illo ordine primo, sequitur peccatum præcessisse prædestinationem animæ Christi ad gloriam, & vnionem hypostaticam.

PRO-

# PROPOSITIO QVINTA

## *Doctrina ista Caietani non est admittenda.*

30 ITa dicendum ad aures *Scoti in 3. dist. 32. quæst. vnica §. tertiū patet &c.* vbi Doctor subtilis notat: Deum priùs voluisse se ipsum, & ita esse beatum. Secundò voluisse illa, quæ immediatè ordinantur ad ipsum, prædestinationem scilicet electorū. Tertiò voluisse illa, quæ necessaria sunt ad attingendum hunc finē, scilicet bona gratiæ. Quartò voluisse propter alios alia remotiora, puta hunc mundum sēsibilem, vt seruiat eis, & sic verum est illud secundi physicorū: homo quodammodò est finis omniū sensibilium, scilicet quia propter ipsum volitum à Deo, quasi in secundo signo naturæ, sunt omnia sēsibilia volita quasi in quarto signo. *Hæc Scotus*; Ex quibus clarissimè patet, Deum ordine intentionis priùs voluisse pertinentia ad ordinem gratiæ, quàm pertinentia ad ordinem naturę. Facit ad hoc propositū id *Scoti in 2. dist. 20.* docētis, *quòd in statu innocētię soli electi nati fuissent*; si ergò in mēte Diuina priora fuissent pertinentia ad ordinē naturæ, Deus sciret homines futuros, & peccatū Adę, antequā haberetur prædestinatio, ac proinde peccatores nascerētur, etiā non durante innocentia. Hinc *Scotus in 3. dist. 7. quæst. 3. & dist. 19.* constantissimè tenet, prædestinationem omnium electorum in præuisione Diuina quoad ordinem intētionis præcessisse cuiuscunque peccati, & peccatoris præuisionem.

31 *Pro Scoto* videtur esse D. Paulus prima Corinthiorum 3. nu. 22. vbi ita dicit prædestinatis: *omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue mundus, siue vita &c, vos autem Christi, Christus autem Dei*. Hìc ponderandum, quòd Apostolus loquitur ad electos, & dicit, omnia esse illorum, quia propter illos condita sunt, notās ōnia esse prædestinatorū eo modo, quo illi sunt Christi, & quo Christus est Dei, & est dicere, quod sicut Christus habet pro fine Deum, ita prædestinatorum finis est Christus, & omnium creatorum finis sunt prædestinati, scilicet omnia sunt creata propter electos, vt notat *D. Augustinus lib. quæstionum Euangelicarum quæst. 12. in Sanctum Matthæum*; Subinfero: at volitio finis est prior ijs, quæ sunt ad finem: ergò si omnia creata sunt volita propter vtilitatem prædestinatorum, & prædestinati sunt

sint finis; deducitur, quòd apud Deum sint voliti prædestinati priusquam ista sensibilia: ergò non est verum, quòd pertinentia ad ordinem naturæ sint priora ijs, quæ sunt ad ordinem gratiæ. *Item, quòd* moriatur prædestinatus in hoc puncto, est effectus causarum naturalium, quòd verò moriatur in illo signo, in quo est in gratia, & quòd non sit mortuus, quando erat in peccato, quòd etiam nõ moreretur postquam erat peccaturus, effectus est prædestinationis, iuxtà illud sapientiæ 4. n. 10. *raptus est, nè malitia mutaret intellectum eius.*

32 *Nunc sit tale argumentũ*. Quod est volitum, vt medium ad prędestinationem, est posterius prędestinatione, cùm semper verũ sit, quòd in ordinatè volente volitio finis sit prior volitione mediorũ: ergò, cùm talis mors sit volita propter prædestinationem, erit volita post prædestinationem. Subinfero: at talis mors, vt vidimus, est effectus causarũ naturalium: ergo quæ pertinent ad ordinẽ naturę non sunt priora ijs, quæ pertinent ad ordinem gratiæ. *Item.* Peccata crucifigentium Christum non potuerunt pręuideri futura, nisi primò fuisset volitus aduentus Christi: ergò aduentus Christi fuit volitus ante præuisionem peccatorum crucifigẽtium Christũ: sed peccata illa ad aures Caietani pertinent ad ordinem naturæ: ergò aliquod pertinens ad ordinem naturæ nõ est prius his, quæ pertinent ad ordinem gratiæ.

*Dices pro Caietano.* Volitio supernaturalium est volitio formarum accidentalium: ergo ad earum volitionẽ debet præsupponi volitum ipsum subiectum: ergo pertinẽtia ad ordinem naturæ sunt priora his, quæ pertinent ad ordinem gratiæ, & gloriæ. *Vrgetur ratio.* Ex eo quòd esse formæ accidentalis supponit subiectũ, cui inhęret: benè seqtur, ꝙ volitio eiusdẽ formæ accidẽtalis debet supponere volitionẽ subiecti: ergò, cũ volitio gloriæ, & gratiæ sit volitio formæ accidentalis, est dicendum, quòd volitio naturæ sit prior volitione gratiæ, & gloriæ: ergò &c.

33 *Vt respondeamus noto*, quòd naturale est in duplici differentia, vt ad præsẽs facit; vnũ est, quod est alteri volitum, aliud est subiectum, cui aliquod est volitũ. Nunc dico, Deum priùs velle illud naturale, quod est subiectũ, cui res est volita: quippè, vt habet *Scotus in 2. dist. 6. qu. 2.* amor amicitię pꝛ̃supponitur ad amorem concupiscentiæ: at volitio subiecti spectat ad amorẽ amicitiæ, & volitio supernaturaliũ, & naturalium, quæ sunt obiecta alteri volita, pertinent ad amorem concupiscentiæ: ergò volitio earumdem debet supponere volitionem subiecti. At loquendo de illis supernaturalibus, & naturalibus, quæ sunt alteri volita,

lita, & spectant ad amorem cõcupiscentiæ, dico, quòd hæc sũt volita post volitionem subiecti. Hinc quia Conceptio Virginis fuit medium, per quod parabatur ad Conceptionem Christi, debuit Deus priùs velle prædestinationem Christi, quàm voluerit Conceptionem Virginis. Volumus ergò, quòd ea naturalia, quæ deseruiunt prædestinatis, & sunt media, per quæ paratur via ad executionẽ prædestinationis sint volita à Deo vi prædestinationis. *Et sic patet ad argumentum* Caietani, cuius discursus solùm probat de subiecto, cui res est volita, nõ verò de re, quæ est alteri volita, vt mediũ, vel via ad prędestinationem.

34 *Replicabis probando*, quòd natura nõ possit esse primò volita. Quod est primum in intẽtione, est vltimũ in executione; quippè vt vidimus supra, ordo intentionis etiam ex Scoto est cõtrarius ordini executionis: at in executione natura est prior, & gratia, & vnio hypostatica sunt posteriora: ergò in mente Diuina nõ sunt priùs volita, quæ spectant ad ordinem naturæ, quàm quæ spectãt ad ordinem vnionis hypostaticæ. *Dico, axioma* concludere in his, quę se habẽt vt media, & finis; non verò quando vnum est subiectum, cui res est volita. Hinc, cùm esse subiecti sit subiectum, cui, non valet discursus, imò oppositum est verum; etenim amor amicitiæ est prior amore concupiscentiæ, & amor subiecti pertinet ad amorẽ amicitiæ: ergò &c.

## PROPOSITIO SEXTA.

### *Adducuntur aliæ rationes impugnantes Caietani doctrinam.*

35 IN *primis* illi tres ordines, quos ex ipso Caietano retulimus num. 29. sunt contra doctrinam D. Thomæ: nam admissa doctrina Caietani, scilicet, quòd peccatum pertineat ad primum ordinem, & quòd prædestinatio gratiæ hypostaticæ pendeat ex illo, & ad illud subsequatur; sequitur, quòd prædestinatio vltra Diuinam voluntatem habeat aliquam causã creatã, quòd est contra D. Thomam, & eius discipulos 1. *parte quæ.* 23. *articulo* 5. vbi D. Thomas in principio corporis articuli asserit, prædestinationem Diuinã nullam habere causam, neq; ex parte actus volendi, & prædestinandi, neque ex parte prædestinato-

natorum; sed solùm habere pro ratione Diuinam voluntaté, ex qua effectus prædestinationis habet principium,& in quam vt in finem tendit: sed Caietanus, & alij huius opinionis asserunt, quòd peccatum Adæ præuisum fuit causa motiua Diuinæ volũtatis ad prædestinandam animã Christi ad gloriam,& vnionem: ergò euidenter sibi ipsis, & D. Thomę opponũtur: quandoquidem omnes cumScoto asserunt, nullã dari causam prædestinationis; ac per cõsequens insolutum manet argumentum Scoti:

36 *Nec sufficit respondere*, D. Thomam,& suos discipulos loco citato tantùm intendere, nullam dari causam meritoriam prædestinationis ex parte ipsius prędestinati, agendo de qualibet prædestinatione sigillatìm; vt si dicamus, ex parte Petri nullã dari causam prædestinationis ipsius Petri meritoriam, cum hoc tamen stat, quòd prædestinationis vt sic, & in communi detur aliqua causa motiua, quæ quidem erit peccatum. *Hæc nanque respõsio* parui momenti est: nàm, cũ dicimus etiam in proposito illorum Doctorum, quòd peccatũ Adæ præuisum fuit causa prędestinationis animę Christi Domini; non intelligimus, neque aduersarij intelligere possunt, ipsũ peccatum propriè, & per se sub ratione peccati fuisse causam incarnationis, sed intelligimus peccatum, vt reparabile, quod idem est, ac dicere meritũ Christi Domini futurum, quo illud peccatum tolleretur: ergò iàm Redemptio Christi præuisa, quæ erat futura, esset causa prædestinationis animæ Christi,& non formaliter peccatum. *Roboratur discursus*, Quia peccatũ nedùm, vt peccatum formaliter, est simpliciter malum, & inordinabile per se, vt omnes Scholastici fatentur, ad aliquem bonum finẽ: ergò non potest esse causa motiua volũtatis Diuinæ ad aliquod bonum efficiendum;ac per consequens peccatum, non vt peccatum, sed vt reparabile mouet voluntatem Diuinam: ergò formaliter loquendo,debẽt dicere, non quòd peccatum, sed quòd meritum, ortum ex occasione peccati Adæ, est causa motiua Diuinæ voluntatis ad prædestinationem animę Christi.

37 *Secundò* impugnatur prędicta solutio: nàm, vt ait Caietanus, in illo primo ordine naturalium rerum ponuntur omnes res naturales, & similiter omnes defectus tàm naturales, quàm morales, vt sunt peccata: ergò in illo ordine non solùm ponitur peccatum Adami, sed etiã anima Christi,sicut & cęterę animę naturales creatæ. *Tunc sic*; Ex ipso Caietano priùs cognoscuntur in illo ordine entia positiua, quàm defectus, priuationes, aut negationes: ergò priùs cognoscitur anima Christi Domini, Adami, & aliorum hominum, quàm

quàm cognoscatur peccatum: sed anima Christi Domini, vt talis, nequit intelligi, nisi intelligatur vnio ad ipsum Verbum, vel cum ordine ad talem vnionem: ergò de primo ad vltimum priùs intelligitur Christus, quàm intelligatur peccatum, ac per cõsequens etiam stando in illis ordinibus à Caietano assignatis, asserendum est, Christum Dominum fuisse prædestinatum independenter à peccato.

38 *Si quis respondeat cum Caietano,* Christum nullatenùs pertinere ad primum ordinem, sed ad tertium ordinem, in quo illum ponit Caietanus, ac per consequẽs nullã vim habere impugnationẽ. *Cõtra est,* nàm cùm anima Christi sit omninò ens naturale, sicut anima Petri, ponẽda similiter est in eodem ordine naturali, in quo ponitur anima Petri: sed anima Christi, vt talis, neq̃t intelligi sinè ordine ad Verbum: ergo priùs debet intelligi Christus, quàm intelligatur peccatum, sic per consequens prædestinatus independenter à peccato.

*Tandem impugnatur responsio Caietani* ex *Suarez 3. parte disp. 5. sect. prima*, vbi asserit, illos tres ordines multa continere incompossibilia: nàm mors Petri *verbi gratia* pertinet ad primum ordinem, cùm sit mors naturalis, & defectus naturæ; & tamen mors Petri non antecedit in cognitione Diuina prædestinationem Petri ad gratiam, & gloriam, sed potiùs subsequitur: cùm mors Petri sit effectus Prædestinationis illius: ergò præscientia gratiæ, & gloriæ Petri est ante præscientiam mortis illius: ergò iam est prior in intentione Diuina ordo supernaturalis, quàm ordo naturæ, ac per consequens inuertuntur, & cõfunduntur ordines Caietani.

## PROPOSITIO SEPTIMA.

### *Christus in primo signo volitus est à Deo abstrahens à passibili, & impassibili per decretum determinatum ad solam substantiam Incarnationis in se.*

39 PRobatur. Passibilitas, & impassibilitas sunt accidentia: ergò potuit Deus velle substantiam Incarnationis abstrahendo ab vtroque accidẽte; imò, cùm accidentia sint ordine poste-

posteriora substantia, & ab illa realiter distincta, voluntas Diuina ex natura sua, & ex ratione obiecti priùs terminatur ad illud, quod est priùs, quàm ad illud, quod est posteriùs, ac per consequens priùs terminatur ad substantiam Incarnationis, quàm ad passibilitatem, & impassibilitatem, quæ consequuntur ad ipsam.

*Dices*, voluntatem Diuinam voluisse Christum eo modo, quo erat futurus extra causas: sed Christus necessariò futurus erat extrà causas passibilis, aut impassibilis: ergò voluntas Diuina non potuit terminari ad illum, nisi sub aliquo istorum accidentium, ac per consequens nõ fuit volitus abstrahens ab vtroque. Minor probatur: nàm inter contradictoria nullum datur mediũ: ergò Christus Dominus positus à parte rei necessariò est passibilis, aut impassibilis.

*Hoc argumentum* fuit à nobis propositũ, ipsique abundãter satisfactum. Ad ampliorem ergò doctrinam rursùs occurro, negãdo maiorem: nàm licèt verum sit, Christum positum extrà causas, necessariò habuisse aliquod istorum accidẽtium, scilicet passibilitatem, aut impassibilitatem; adhùc tamen voluntas Diuina priùs in aliquo signo potuit velle, illum esse extrà causas quantùm ad substantiam, quàm vellet quantùm ad accidentia, imò hoc est necessarium secundùm ordinem naturæ; quia voluntas tendit in obiecta, sicut sibi proponitur ab intellectu, & sicut intellectus Diuinus potest cognoscere Christum secundùm indiuiduam substantiam abstrahentem ab vtroque accidente, & illud sic cognitum representare voluntati; sic voluntas potuit illũ velle in tali abstractione; maximè cùm passibilitas, aut impassibilitas nullo modo per se sint rationes volendi hoc mysterium, quod quidem habet in se totam bonitatem sufficientẽ ad mouẽdã, & terminãdã volũtatẽ; postea verò in alio instãti, cognito peccato, trahitur eadem voluntas ad accidentia, quæ Christus habiturus est extra causas.

40 *Replicabis*. Voluntas necessariò terminatur ad existentiam; sed existentia Christi necessariò includit passibilitatem, aut impassibilitatem: ergò necessariò dicendum est, quòd decretum Diuinæ volũtatis fuit primò circa Christum cum aliquo modo, aut accidẽte istorum. Minor probatur, quia Christus non potest existere sinè aliquo illorum accidentium. *Negatur maior*; quia voluntas Diuina etiàm terminatur ad esse passibile, vt cõmuniter fatentur omnes, & si loquamur de decretis Diuinæ voluntatis, quæ in se includunt futuritionem rerum, tanquàm causæ illarum, vt verum est; dico, quòd illud decretum Incarnationis terminatum fuit ad existentiam Chri-

Christi in indiuiduo, abstrahendo ab illis modis, & patet; quia existentia rei imbibitur realiter cum distinctione formali in ipsa re, cuius est existentia; illi autem modi accidunt obiecto determinato, tanquam accidentia realiter distincta, quæ sunt omninò extra existentiam indiuidui, quo modo potuit suo decreto velle futuritionem indiuidui excludentis illa accidentia.

*Res declaratur exemplo*: nam benè potest Diuina volūtas velle Petrum, abstrahendo ab hoc, vel illo colore, quæ sunt accidentia consecuta ad Petrum positum in esse, & educuntur, tanquam de subiecto, de ipso Petro existente, quāquam implicet, naturaliter loquendo, Petrum esse à parte rei, & non habere aliquem colorem; hoc tamen non est, quia existentia Petri pendeat à colore; sed quia color necessariò comitatur substantiam Petri existentem: ita similiter in Christo philosophādum est, quod scilicet priùs fuerit volitus quoad existentiam indiuidui, abstrahendo à passibili, vel impassibili, sed quia necessariò aliquid illorum accidentiū debet comitari substātiā Christi positā à parte rei in alio signo rationis; potuit Deus vnū ex illis accidentibus, vel modis eligere, prout magis conuenit in ordine ad finem, a Diuina voluntate intentum.

41 *Solùm ergo ex dictis* in hac sententia tenemur dicere, voluntatem Diuinam necessariò teneri, dato primo decreto Incarnationis, ad positionem quoad circumstantias; quia volens efficaciter ponere illum extra causas, tenetur velle aliquam circumstantiam necessariam ad positionem illius; non tamen, quòd hoc fiat in primo signo, cum sufficiat fieri in secundo signo; vt verbi gratia Deus volens efficaciter ponere Petrum extra causas, necessariò tenetur velle ponere illum cum colore necessario cōsequēte ad substantiam illius; non tamen in primo signo, sed in alio secundo: cum possit ponere illum nigrum, aut album; ita similiter volens Deus actu ponere Christū extra causas, tenetur in alio signo velle modum passibilitatis, aut impassibilitatis: quod apertè constat in volitione efficaci circa finem, quæ ab intrinseco includit aliquod medium volitum in esse, quo consequatur finis; sed non in primo instanti volitionis finis; quia alia est electio inter plura media, ex quibus potuit eligere illud, vel illud; quia nullum in singulari ab intrinseco petit volitio finis, sed tantùm aliquid indeterminatè, per quod consequatur finis.

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Christus venit passibilis principaliùs ad originale, quàm ad actualia peccata delenda.*

42 Noto, quòd quamuis secundùm *D. Bonauenturam in 2. dist. 32. articulo 2.* peccatum originale nostrum sit minimum omnium peccatorum mortaliũ; attamen dicitur grauius peccato mortali actuali. *Primò*, quia originale inficit totam naturam, illamquè à Beatitudine deturbat; actuale verò per se tantùm personam euertit, & ideò illud per se est grauius extensiuè, & simpliciter maius malum, quia destruit bonum commune, quod est diuinius particulari. *Secundò* dicitur maius, quia est veluti fons, & radix omnium actualium peccatorũ, non solùm quia auertit hominem à Deo; sed etiam quia priuat illum originali iustitia, & inordinatum relinquit, suis effectibus subiectum, & priuatum, quãtùm est ex merito talis peccati, omnibus auxilijs gratiæ necessarijs ad vitanda actualia peccata; & sic peccatum originale in sensu causali dicitur omnia peccata: quare gemens Dauid, loquens de illo, dicebat: *ecce enim in iniquitatibus cõceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Psalmo 50. n. 7.

43 *Suppono etiam*, Christum venisse de facto, vt omnes homines redimeret quoad sufficientiam; & ad omnia peccata delenda tàm originale, quàm actualia, siue præcesserint, siue subsecuta sint eius incarnationem, vt constat ex illo ad Timotheum 2. *tradidit semetipsum redemptionem pro multis*, vbi sermo est de hominibus tam præcedentibus, quàm subsequentibus aduentum Christi, & de omnibus illorum peccatis, vt expressit idem Paulus ad Titum 2. n. 14. *qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Et Ioannis epist. 1. c. 1. nu. 7. *Sanguis Christi filij eius emundat nos ab omni peccato.*

*Item* supponendum in doctrina Scoti, quòd siue sit peccatum originale, siue actuale mortale, vel veniale, venisset Christus ex vi præsentis decreti, quod Deus habuit circa eius aduentum: sed quod controuerti potest in sententia nostri Doctoris, est: *an in illo quinto signo, quando visis peccatis, prædestinauerit Christum passibilem, vt nos redimeret ab illis, an* potiùs

*potiùs destinauerit illum ad delendum originale, quàm ad actualia delenda?* Et supposito iam in ista sententia, quod ex vi præsentis decreti venisset, quæri potest: *an in illo quinto signo, si non vidisset, nisi peccatū originale sinè actualibus, vel è contra, vel solùm vidisset vnum peccatum actuale mortale, vel solùm venialia, destinasset Christum ad satisfaciendum pro illis?* In sententia autem D. Thomæ quæritur: *an in illo primo decreto, quo prædestinauit Christum Redemptorem omnium peccatorum mundi, principaliùs propter originale, quàm propter actualia prædestinauerit eum?* Hinc quod dicimus in propositione, in vtraque sententia procedit.

44 *Probatur propositio*: quia illud peccatum priùs, & principaliùs venit tollere Christus, quod inter omnia peccata magis indigebat reparatione: sed sic se habet originale: ergo, &c. Minor probatur: nam peccatum originale totam naturam humanam infecit; peccatum verò actuale solùm maculat personam committentem: ergo originale magis indigebat reparatione, ac per consequens principaliùs venit Christus ad illud reparandum. Fauet nobis D. Ioannes in illis verbis: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi*.

*Dices*; peccata sumpta in plurali, semper in Scriptura intelliguntur actualia, quia originale fuit vnum in Adami posteros transfusum: ergo Ioannes loco citato locutus est de actualibus, & non de originali. *Negatur antecedens*; quia etiam in Scriptura, quando de peccato originali fit sermo, solet poni in numero plurali, ac si essent plura secundùm illud psalmi 50. *nu.* 7. *& in peccatis concepit me mater mea*; quod, cùm nequeat intelligi de peccatis Matris, quæ forsitan erat in gratia, quando filius conceptus est, intelligendum de peccatis pueri concepti, quod tunc tantùm est originale; dicitur tale in numero plurali, quia quamuis sit vnum, fuit causa multorum, & omnes infecit, dempta Virgine gloriosa.

45 *Dices Secundò*: non magis indiget reparatione peccatū originale, quàm actualia: ergo non magis venit Christus ad reparandum illud, quàm hæc. Probatur antecedens: nam si propter aliquam rationem originale magis indiget reparatione, est, quia infecit totā naturā: sed sic se habet etiam peccatum actuale: ergo, &c. Probatur minor; quia nullus homo, quem infecerit originale, est, qui non habuerit peccatum actuale: ergo tàm cōmune est actuale peccatum, sicut originale. *Negatur antecedens*. Ad probationem distinguitur minor; si intendatur solùm, quòd cum originali semper reperiuntur actualia, saltem in adul-

adultis, concedendum est; si autem intelligatur pro communitate, prout infecerat plures, negandum est: quia nullum peccatum actuale extenditur ad duas personas; originale verò transfunditur in omnes filios Adæ, excepta Virgine gloriosa; & præterea peccatum originale est radix, & quasi causa omniũ actualium, quæ committuntur. *Dixi quasi causa*, nè intelligamus originale concurrere ad omnes actus peccaminosos (hoc enim implicat) sed quia reddit naturam deordinatam, & pronam ad malum.

## PROPOSITIO NONA.

*Si non esset originale, & commissa forent à multis hominibus plura peccata actualia mortalia, adhùc Verbum Dei assumeret carnem ex vi decreti, quo de facto carnem assumpsit.*

46 PRobatur: quia licèt magis præcipuum motiuum fuerit originale, adhùc tamen actualia absolutè efficiunt hominem inimicum Deo, & destruunt in eo gratiam: ergo, si hæc peccata plura essent, & in multis hominibus, absolutè humana natura indigeret restauratione: ergo, cùm in peccato originali præcipuè mouerit Deũ ad incarnandum necessitas remedij, & reconciliationis, vt constat ex Scriptura, & Patribus; hæc ipsa ratio moueret propter actualia mortalia, si plura essent, & in pluribus hominibus.

*Petes*: quomodò actualia esse possint sinè peccato originali? *Respondetur*, posse esse duplici modo. *Primò* si Adam crearetur à Deo, & non constitueretur Caput morale posterorũ, in tali casu non esset originale in posteros transfusum; nihilominus ipsi poterant peccare transgrediendo præcepta Dei. *Secundò*. Si Adam in gratia originali perseuerasset, & postea peccarent filij.

47 *Obijcies primò*: Si vnum, vel pauca peccata mortalia actualia perpetrata fuissent, deficiente originali, Deus non veniret ex vi eiusdem decreti passibilis ad redimendum peccatum: ergo, etiam si essent plura mortalia, & in multis hominibus, non veniret. Probatur consequentia; nam

nam vnum peccatum mortale non minorem grauitatem intensiuam habet, si est grauissimum, quàm plura: ergo, sicut Deus veniret propter plura, ita propter pauca. *Concesso antecedente*, negatur consequentia; ad probationem do antecedens, & nego consequentiã, & ratio est; quia reparatio totius naturæ, vel saltem maioris partis illius fuit sufficiens motiuum decreti incarnationis Verbi Diuini in carne passibili, quod quidem deficiebat, si pauca essent mortalia peccata, & in paucis hominibus, non tamen deficeret, si essent plura, & in pluribus.

48 *Obijcies secundò*, illud Pauli ad Gal. 2. n. 20. *dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, ex quibus verbis colligi videtur: ita venisse Christum propter omnes, vt veniret etiam propter singulos: ergo benè colligitur, quòd si pauci homines haberẽt peccata mortalia, deficiente originali, adhùc Christus venisset. *Respondetur primò*, quòd quamuis Christus pro omnibus mortuus sit, & pro omnibus venerit; taliter mortuus est pro omnibus, vt mors illius singulis prosit, ac si pro singulis mortuus esset: quia tanta est virtus in passione Christi, & tantus affectus charitatis illius erga singulos, vt eodem modo possit prodesse cuicumque, ac si pro illo solo esset mortuus, & hoc significant verba Pauli in argumento citata. *Secundò respondetur*, quòd etiamsi Christus mortuus sit pro omnibus, & pro omnibus venerit, debemus tamen singuli eandem animi gratitudinem habere erga ipsum, ac si pro vnoquoque nostrũ sigillatim venisset, & hanc animi gratitudinem signant illa verba Pauli, quando dixit: *dilexit me, &c.*

49 *Obijcies tertiò*, & argumentum desumitur ex illa parabola Christi, quæ habetur Matthæi 28. vndè videtur colligi, quòd Christus Dominus veniret etiã pro vno tantùm peccato mortali in vno peccatore reperto. Antecedens probatur: nam ibi se comparat Deus euigilantissimo Pastori, qui centum oues habebat, & vnam amisit, & relictis nonaginta nouem in deserto, illam amissam summa sollicitudine quærit. *Respondetur*, parabolam illam variè interpretari à Sanctis Patribus, & Doctoribus. In primis per oues nonaginta nouem intelligere solent Angelos sanctos, quibus quasi relictis in Cœlo, venit Dominus ad quærendum vnam ouem, scilicet naturam humanam, sic Ambrosius, Hieronymus, & alij cum D. Thoma in prædictum locum Matthæi. Deindè noster *Pater Stella in caput 15. Lucæ, ait, oues nonaginta nouem esse Scribas, & Pharisæos, non quòd iusti essent, sed quòd se iustos reputarent, & à populo iusti crederentur; ait ergo Dominus mirum*

*rum non esse, si ipse, relictis illis, accedat ad peccatores, & Publicanos, qui sunt centesima ouis deperdita; siquidem id proprium est boni Pastoris.*

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Si solummodò essent peccata venialia, Christus non veniret ex vi præsentis Decreti, quo homines voluit redimere à peccato.*

50 PRobatur: nam peccata venialia sunt leues offensæ, neque propter illa rescinditur amicitia Diuina, nec deperditur gratia: ergo Christus non veniret passibilis tantùm propter illa, ac per consequens non ex vi præsentis Decreti. *Dices*, quamuis peccata venialia sint leues offensæ, adhùc purus homo nequit satisfacere pro illis ad æqualitatem: ergo Christus Dominus veniret propter illa ex vi præsentis Decreti. *Respondetur* concedendo antecedens, & negando cōsequentiam: quia licèt venialia habeant quandam infinitatem extrinsecam in malitia, sicut mortalia, tamen, cùm non scindant amicitiam Diuinam, neque constituant hominem inimicum Dei, & sub Dæmonis iugo, non censentur sufficiens motiuum ad mouendum Deum, vt veniret in carne passibili.

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## *In qua agitur de Filiatione Christi.*

51 SI de Diuina agatur filiatione, est verè filius Dei: nam à Patre est naturaliter genitus, summè à Patre dilectus, & paternæ essentiæ, in qua sunt omnia bona, hæres naturalis. De natura humana tota est dubitatio. Pro solutione moneo, quòd adoptio est gratuita assumptio ad hæreditatem personæ aliàs extraneæ; ad quam tres, vel quatuor conditiones requiruntur.

*Primò*, quòd persona illa sit extranea, idest, de se non habens ius ad hæreditatem: nunquàm enim,

enim, propriè loquendo, habens ius potest dici adoptiuus, cùm de ratione adoptionis requiratur extraneitas. *Secundò*, vt acceptatio sit liberalis, & gratuita; nàm si fieret titulo oneroso, vt emptionis, vel alterius contractus, non daretur ius filij, sed ius emptoris, vel aliud simile. *Tertiò* requiritur consensus personæ, quæ adoptatur, si sit compos rationis; qa nemo subditur alteri, nisi volens, nisi fortè in pęnam, quæ non habet locum in adoptione. Vndè *quartò*, si non sit cõpos rationis, requiritur consensus, aut Principis, aut fratris, aut alterius, sub cuius potestate sit, vt latè docetur à Iurisconsultis *in l.1. & 2. §. de adopt.* Adoptionem cõuenire multis; & illam in Deo erga homines, & Angelos esse, est certum. Vndè ab Apostolo ad Rom. octauo, ad Hebręos 4. ad Ephesios 1. & Iacob 4. & Ioannis 1. dicitur *voluntaria generatio, & natiuitas*; quia per iustificationem gratis acceptantur creaturæ ad beatitudinem. Dicitur *hereditas Dei*, non metaphoricè tantùm; sed magis propriè, & perfectiùs talis, quàm adoptio humana: quia humana fit tantùm per extrinsecam denominationem, nullam intrinsecam perfectionem communicando filio adoptiuo, sed solùm quoddam ius morale; at verò in hac adoptione intrinsecè perficiuntur filij Dei, & ideò spiritualiter regenerantur, & recipiunt participationem Diuinæ naturæ, & per eam vocantur filij Dei. Quod verò in humana adoptione hæreditas nõ perueniat ad filium, nisi, cum Pater ab illa discedit per mortem, est ex imperfectione bonorum temporalium, quòd nihil refert ad proprietatẽ adoptionis.

52 *Ex quibus* intelligitur primò solam creaturam intellectualem posse propriè adoptari in filium Dei, quia sola est capax illius hęreditatis. Nec refert, quòd interdùm Deus dicatur Pater aliarũ creaturarum, vt apud *Iob* 38. vel etiam peccatorum apud Isaiam cap. 3. & Malachiam 1. illud enim est tantùm metaphoricè, quatenus omnis creatura habet à Deo aliquod esse, & inde aliquod ius quasi connaturale ad donum aliquod à Deo recipiendum, scilicèt ad illud, quod est connaturale, & quasi debitum naturæ. Vndè hæc filiatio non adoptiua, sed purè metaphorica, quæ est per creationem, connaturalis est suo modo omni creaturæ, & nõ pertinet ad adoptionem. *Secundò colligitur* ex dictis, omnem purã creaturam, siuè Angelicam, siuè humanam, siuè in lege veteri, siuè in noua, siuè prædestinatam, siuè reprobam, si iusta sit, & in gratia, pro eo tempore esse filiũ Dei adoptiuum.

53 *Adoptionem* propriè reperiri in Deo erga homines, & Angelos, quorum sanctificatio est per infusionem gratiæ habitualis; patet ex illo *ad Rom.* 8. vbi Paulus spi-

ritum iustificationis, seu sanctificationis vocat spiritum adoptionis filiorum Dei, vt etiam docet Tridentinum sessione 5. cap. 4. *Accedat ratio*. In sanctificatione per infusionem gratiæ repeτiuntur conditiones ad adoptionem requisitæ; quippè assumit Deus Angelum, vel hominem ad participationem suæ hæreditatis, idest beatitudinis; & ad ipsam congruo tempore obtinendã, verum largitur ius. *Item*. Respectũ beatitudinis omnis creatura est extranea; etenim hæreditas illa minimè est illi debita creationis iure. *Deindè*. Cùm gratis iustificemur, assũptio gratiosa est. Nõ deest assensus adoptati: quippè si est adultus, per proprium actum se ad iustificationem disponit; quòd si infans est, pro eo est Sanctæ Ecclesiæ fides, & consensus, qui ipsiusmet infantis consensũ interpretatur.

*Nec facit contra* hæc dicta, si dicatur: adoptionem expostulare extraneitatem talem. vt adoptãdus minimè ab adoptante naturale recipiat esse, sed iustificatus esse naturale à supremo authore Deo recipit, ergo. *In prõptu* enim nobis est responsio dicens, assũptum non esse simpliciter necessarium, sed regulariter dumtaxat. Hinc ab Auo adoptari potest nepos in filium, quinimò & filius (aliàs exhæreditatus) ab eodem Patre adoptari valet. Conceptus ergò extraneitatis adęquatè saluatur in extraneitate iuris respectũ hæreditatis. *Nec alicuius valoris* erit dicere, adoptionem esse excogitatam in solatium adoptantis ob carentiam legitimi filij, quæ carentia longè abest à Deo. *Nam subitò* respondemus, maiorem esse veram regulariter, & per accidens, minimè per se: etenim in humanis ex legum cõcessione quis posset adoptare nõ naturalem, etsi naturalibus minimè sit orbatus (si se teneant ex parte filij naturalis rationes priuantes illũ iure hęreditario.) His notatis.

54 *Prima sententia dicit*, Christum, vt hominem, non esse filium Dei adoptiuum, sed naturalem. Ita Thomistæ cum Sancto Thoma 3. *par. quest. 23. art. 4 Suarez disp. 49. Vasq. disp* 89. *Lorca disp.* 83. *membro 4. Pitigianus in 3. dist.* 10. *quest.* 1. *art.* 3. *Faber disp.* 23. addens numero 15. rem esse de fide, minùs modestè tamen, cùm oppositum, saltem probabiliter, defendat Scotus.

*Secũda sentẽtia* opinatur, Christum reduplicatiuè secũdum humanitatem esse filium Dei adoptiuum. Ita *Durandus in 3. dist. 4. quest. 1. Lychetus, Tataretus, Rubiolus*, & alij Scotistæ probabilem reputant, *Riccardus dist. 11. art. 2. Rada 3. p. controuersia 5. art. 2. Illustrissimus P. Cauellus meus magister &c.* Tenet assertiuè Scotus in Reportatis *in 3. dist.* 10. licèt verũ sit, quòd in sẽtẽtijs problematicè loquatur: nam ait §. Respondeo, &c. *quòd qui dicit, filiationem esse* præcisè

*cisè suppositi; & non secundùm naturam* (vt dicunt Sanctus Thomas, & Sanctus Bonauentura) *faciliter posset dicere, Christum non esse filium Dei adoptiuum, sed dicẽdo fundari in natura filiationẽ, esset adoptiuus*, & hoc docet Scotus: nàm fundari in supposito, negat Scotus, vt probabitur in propria propositione huius disputationis.

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Sacra Concilia, & Sancti Patres nihil dixerunt de hac difficultate in sensu, quo proponitur à Scholasticis.*

55 P*Robatur*, notando historiã. Postquam subiugata fuit Hispania à Mauris, fuit quidam Fælix Episcopus Vrgelitanus, alius verò Elipandus Archiepiscopus Toletanus, natione Gallus, docentes Christum, qua homo est, non fuisse filium naturalẽ Dei, sed adoptiuum, & seruum. Condemnata est hæc sententia cum suis authoribus. Primò eos confutauit Præsbyter Asturicensis, & Hærius Episcopus Oxomensis. Fælix primùm damnatus est, vt hæreticus, in quodam Cõcilio; ꝙ alij vocãt Basolense, alij Regiense, alij Rathisbonense, vt refert Sigibertus in Cronica ad annum 795. Baronius ad annum 794. (fortè fuerunt diuersa Concilia.) Missus dictus Fęlix ad Adrianum Pontificem, huius nominis Primum, hæresim abiurauit coram Altari Apostolorum. Sed iterùm relapsus, damnatus est in Concilio Francfordiensi aggregato ex Episcopis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ, pręsidentibus Legatis Apostolicis. Occasionem dedit Epistola Elipandi ad Imperatorem Carolũ Magnum, qua eum in suum errorem trahere studebat; agente itaque Imperatore, iussu Pontificis, actum est Concilium, cuius acta integrè non extant. Ex his Epistola Adriani libellus dictus sacrosyllabus editus à Paulino Archiepiscopo Aquilicensi, & approbatus in Concilio; epistola ipsius Concilij, & altera in lucem edita à Laurentio Surio post tot sæcula. Asseruerunt Fælix, & Elipandus, Christum nõ esse filium adoptiuũ, qua Deus, sed qua homo, vt notat Alquinus illius temporis author. Epistola Adriani, & Concilij, & confessio ipsa Elipandi, in sensu tamen Nestoriano, hanc adoptionem

nem, non Scholasticorum; astruebant.

56 *Probatur* primò ex coniecturis: quia ex dogmate ipsorum sequutum est scandalum in Ecclesia: acta sunt Concilia aduersùs eosdem, Ecclesia vniuersa reclamante, tanquam contra hęreticos, quòd nusquàm contigit factum cōtra sensum Scholasticorū. *Adde*, quòd si Elipandus, & Felix locuti fuissent in sensu, in quo hac tempestate loquuntur Scholastici, qui dicunt, Christū secundùm humanitatem esse filium adoptiuum, minimè dānati fuisset, sicut nec modò dānat Ecclesia prædictos Scholasticos.

*Secundò* probatur ex authoribus, qui factum referunt. Alquinus lib. 3. de Trinitate cap. 9. qui fuit illius temporis circa annum 783. habet hæc verba: *Christus cum Patre, & Spiritu Sāncto vnus est Deus, non nuncupatus, sicut Hispanica hæresis impia temeritate affirmare præsumpsit asserens Dei filium in Diuina natura Deū esse verum, in humana nuncupatū; similiter, & in Diuina natura proprium filium Dei, & in humana adoptiuum diuidens vnam personā filij Dei in duas personas cum Nestorio &c.*

*Respondet* Vasquez non dici, *diuidi Christum in duas personas*, quasi id asseruerit Elipandus, sed ex dictis eius inferebatur. *Contra*: illa verba narrationem continent dogmatis, nō discursum, aut illationem: ergò responsio non facit ad mentem Alquini. *Deinde* ex opinione Scholasticorum, quam prætendit fuisse Elipandi, nil tale sequitur. *Accedit* Aurelianensis tùm viuens lib. 1. de cultu Imaginum, qui docet, hæresim Elipandi fuisse Nestorianam, vterque author habetur in Bibliotheca Patrum tom. 7. nouæ editionis. Idem docent Sigibertus, Antoninus 3. parte titulo 14. cap. 1. §. 6. Baronius tomo 9. ad annum 783. & 794. Mariana lib. 7. de rebus Hispanię c. 8. Ambrosius de moralibus lib. 3. historiæ Hispaniæ c. 26. Sanderibus lib. 7. de vsibus Monarchæ hæresi 731. Ferdensius in additis ad Castrum lib. 9. Paludanus in 3. dist. 10. & reliqui omnes, eum accusant de hæresi Nestorij.

57 *Sit altera probatio*: expendendo nōnulla verba Concilij Frācfordiensis. In Epistola enim ad Episcopos Hispaniæ versùs finē sic loquitur prædictis Elipando Archiepiscopo Toletano, & Felici Episcopo Vrgelitano: *Nonnè olim eadem vestra hæresis in Nestorio ab vniuersali Ecclesia refutata, & damnata est?* & in epistola Adriani ad medium sic dicitur prædictis Elipādo; & Felici *adoptiuum eum quasi purum hominem, & calamitati humanæ subiectum non pertimuistis venenosa fauce susurrare*. Expendatur illud *quasi purum hominem*, quod est aperta hæresis Nestorij. Si quis de hac re plura desiderat, legantur alij authores, & præcipuè noster

Pater

Pater Felix. Ex quibus ſuppono, prædictos Elipandum, & Felicē ante *annum* 783. palàm docuiſſe, Chriſtum, inquantum homo eſt, eſſe filium Dei, non naturalem, ſed adoptiuum; propter quam aſſertionem damnati ſunt tanquam hæretici, primò in Concilio Ratisbonenſi, ſecundò ab Adriano primo. Tertiò à Concilio congregato authoritate Adriani, in eo præſidentibus eius Legatis, & ab ipſo Adriano poſtea approbato, ex quibus conſtat, Elipandum, & Felicem in ſēſu Neſtoriano aſſeruiſſe, Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuum. Patet ergò, damnatos eſſe illos Doctores aſſerentes in ſenſu Neſtoriano, Chriſtum eſſe filium Dei adoptiuum, non autem in ſenſu Scholaſticorum.

53 *Dices*, Si Elipandus docuiſſet Neſtorianam hæreſim, quomodò auſus eſſet ſcribere ad Imperatorem Carolū Magnū? *Reſpōdetur*, id nouū nō eſſe apud Hęreticos, vt in hęreſim ſuā intrudant & principes. Eſt clarū exēplū in Luthero, qui dānatas hæreſes ſuſcitauit, & publicè docuit cum ſubuerſione aliquorū Principum.

*Dices ſecundò*. Si hæreſis Elipandi eſſet Neſtoriana non appellaretur à Patribus noua. *Reſpondetur*, dici etiam antiquam, & venenoſam, vt patet ex præmiſſis, nouam verò, quia 500. *annis*, & ampliùs ſuſcitata eſt poſt damnationem Neſtorij. *Replicabis*, ſi id eſſet verum, argumenta Patrum contra Elipandum contenderent, vt probarēt vnitatem ſuppoſiti in Chriſto, quam non probant, ſed ſuppoſita vnitate Chriſti, excludunt adoptionem. *Reſpondetur*, multa procedere directè contra Neſtorium, & alia concludere, ſuppoſito ſenſu eius.

*Dices; quod* Patres reſpondentes argumentis Elipandi non demonſtrant, ea non concludere diſtinctionem ſuppoſitorum, ſed tantùm non eſſe adoptiuum. *Reſpondetur*, argumenta nulla eſſe Elipandi in Concilio, ſed authoritates quaſdam. *Deinde* Patres impugnarunt hæreſim ſub his verbis, quibus aſſerebatur. Elipandus autem ſub vmbra adoptionis, & ſeruitutis inducebat diſtinctionem ſuppoſitorū; ac proindè remouenda erat adoptio, & ſeruitus, quam ipſe aſtruebat; & illud deinceps, ꝙ ex illis inferebat, diſtinctionem ſcil. ſuppoſitorum; vndè in libro *ſacroſyllabo*, clarè deſignatur docuiſſe plura ſuppoſita; non duo (inquit) filij, alius Dei, & alius hominis, ſicut illi errrando exiſtimant, vt adoptiuus ſit hominis filius, & ſine adoptione filius Dei.

*Deindè* reprehenditur in epiſtola Concilij, quòd dixerit, Beatam Virginem genuiſſe tantùm filium adoptiuum, non naturalem; nonnè ideò, inquit, Neſtorius damnatus eſt, quia Bea-

Beatam Mariam semper Virginem, non Dei, sed tantummodò hominis credidit esse Genitricem. Et quid aliud est dicere, eamdem Virginem adoptiuum tantùm generasse, vel seruum, nisi negare, eam Deum genuisse, &c.? Concludamus ergo, Elipandum, & Felicem Nestorianos fuisse, nec discrimen aliquod in re posuisse inter naturam, & personam diuidendo personas, sicut & naturas, quamuis vnam personam admittebant vnitate dignitatis secundùm participationem, nè verbis discreparent à sensu Catholico. Ex his constat intentum, & progressus Cōcilij Francfordiensis. *Accedamus ergo ad controuersiam scholasticam.*

# PROPOSITIO TERTIADECIMA.

*Omnes sententiæ Catholicorum supra enumeratæ absque vlla erroris suspicione possunt defendi: quia aliàs ab Ecclesia minimè tolerarentur; tamen præferenda est sententia docens, Christum secundùm quod homo est, esse filium Dei adoptiuum.*

59 ITa dicendum in doctrina Scoti in Reportatis *in 3.d. 10.* licèt verum sit, quòd in sententiarijs problematicè loquatur. Probatur nostra sententia ex Irenæo lib. 1. contra hæreses cap. 21. vbi ita legit: *propter hoc enim Verbum Dei homo, qui filius Dei, filius hominis factus est, mixtus homo Verbo Dei vt adoptionem percipiens, fiat filius Dei.* Marianus Victorinus lib. contra candidum Arianum tomo 4. Bibliothecæ ita legit: *Nos adoptione filij ille natura etiam, & adoptione quadam filius, & Christus, sed secundùm carnem.* Hilarius secundo de Trinitate, ita legit: *Potestatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur.* Ista loca adeò sunt clara, vt Pater Lorca subscripserit, quòd Patres dent votum nostræ sententiæ. *Nec ad rem* dicunt Vasquez, & Hurtado volentes, quòd in Hilario minimè sit legendum, *adoptatur,* sed *adoratur.* Responsio nimis voluntaria est ista: nam si legatur (*adoratur*) nullus est sensus, vt legenti Hilarium, fiet palàm. Vt ergo Hilarium non esse frustraneè locutum dicamus, legendum esse, *adoptatur.*

60 Sit

60 *Sit altera probatio*. Illa filiatio dicenda adoptiua, quæ omnibus gaudet conditionibus ad propriam conditionem requisitis; nempè quod sit gratuita assumptio ad hæreditatem: quòd sit personæ extraneæ, & tandem quòd interueniat cōsēsus adoptantis, & adoptati: sed omnes istæ conditiones reperiuntur in natura assumpta: ergo iure merito est dicenda filiatio adoptiua. *Dices*, naturam illam non esse extraneam. *Contra*, nam adhuc supposita vnione, non habet ius ad hæreditatem: cum vnio (vt dicā disp. 12. de Sāctitate Christi n. 13.) nō sit sāctitas: ergo natura illa est extranea. *Dices*, naturam illam saltem de congruo habere ius ratione vnionis hypostaticæ ad gratiam, vt clarè docet Scotus. *Contra*, quia homini supernaturaliter contrito debetur etiam de congruo gratia, & tamen gratia constituit filium Dei adoptiuum: ergo etsi vnioni debeatur de congruo gratia, hoc non impedit, quin Christus dicatur filius Dei adoptiuus. Fauet nostro discursui, quòd Angeli sunt filij Dei adoptiui, & nihilominus de cōgruo eis erat debita gratia; cùm in probabiliori sententia, ad illam Angeli per actus bonos se disposuerint.

*Dices*, quòd persona Verbi non est extranea respectù Dei. *Contra*, quia responsio ista valet de Christo secundùm naturam Diuinam considerato, non tamen de illo considerato secūdùm humanitatem, cui personalitas Verbi est extrinseca, & accidentalis. *Dices*, nullum fuisse tempus, aut instans, in quo humanitas Christi habuerit negationem iuris ad hæreditatem, quippè nullum fuit instans, aut tempus, in quo humanitas non fuit vnita Verbo Diuino; imò, & in quo non fuerit ornata gratia sanctificāte. *Cōtra*, quia concesso toto discursu, nil habetur cōtra nos; nam tale ius erat in linea congruentiæ, & ius cōgruentiæ secum cōpatitur adoptionem, vt vidimus supra. *Adde*, sufficientem conditionem esse ad concludendam adoptionem, quòd natura illius, qui adoptatur recipiat ius ad hæreditatem per volūtariam, & gratiosam assumptionem adoptantis. Quod totum habetur in casu nostro: cum natura in se nullam habeat necessariam connexionem cum vnione hypostatica.

PRO-

# PROPOSITIO QVARTADECIMA.

## *Proponuntur argumenta in contrarium, & simul alijs rationibus nostra Propositio fulcitur.*

61 CHristus vi vnionis acquisiuit ius ad hæreditatem, meliùs, quàm nos acquirimus per gratiam: ergo etiam, vt homo, est filius Dei naturalis. Antecedens patet, quia ex vi vnionis restat formaliter vnitus filio Dei. Consequentia indè redditur certa, quòd filius naturalis melius ius habet ad hæreditatem paternam, quàm filius Dei adoptiuus. *Negatur* antecedens, cuius veritas patebit ex Disputatione cit. de Sãctitate Christi, vbi ostendemus, illum minimè esse redditum sanctum per vnionem hypostaticam. Adde per vnionem, humanitatem assumptam dici filiam Dei solùm per cõmunicationem idiomatum, qua etiam filiatione diceretur filia natura irrationalis, si à Verbo (vt possibile est) ad vnitatem suppositi assumeretur. *Adde*, filiationem Christi dicendam adoptiuam: quia vnio hypostatica de se non dat ius ad omnia bona Dei. Hinc fit pro nostra propositione.

62 *Altera ratio*. Ius per filiationem dat ius in omnia bona Patris; sed Pater, seù Deus possidet hæreditatem infinitam, in quam totam non potest habere ius humanitas assumpta (quia non est capax infinitæ Beatitudinis) ergo vnio hypostatica non cõstituit filium naturalem, sed tantùm adoptiuum. *Confirmatur*, quia est inauditum, quod quis sit filius, & non sit capax omnium bonorum, quorum Pater est actualis possessor.

*Altera ratio*. Potuit Pater æternus assumere simul aliam naturam humanam; & si fecisset; ille homo non haberet ius in bona illa Dei: ergo nec humanitas assumpta defacto habet tale ius. Consequentiam claram reddit argumentum à paritate. Antecedens probatur: quia simul dari eiusdem rei duos Dominos in solidum ratio abhorret: sed in aduersariorum doctrina humanitas de facto assumpta; iam esset Domina: ergo illa alia minimè foret Domina.

*Altera ratio*. Filiatio naturalis est processio viuentis à viuente in similitudinem naturæ: sed per vnionem hypostaticam nõ producitur humanitas Christi (debet

bet enim præintelligi, vt subiectum) nec si produceretur, assimilaretur in natura Patri, aut Deo: ergo non habetur filiatio naturalis. *Altera ratio.* Ex opposito nostræ propositionis sequeretur, quòd Spiritus sanctus esset Dei filius naturalis, consequens est falsum ex fide: ergo, &c. Vt consequentiam probem, vtor ratione Aduersariorum: Spiritus sanctus habet ius in omnia bona Dei sine dubio, idque ex vi originis suæ, & de facto omnia participat, & si aliqua exceptio haberi potest contra ipsius productionē, est quòd non sit naturalis, sed libera; à fortiori est cōtra humanitatem Christi, & vnionem hypostaticam, quæ per voluntatem Dei liberrimè producuntur: ergo, &c.

63 *Altera ratio.* Item sequeretur, Christum esse filium Spiritus sācti, quod reprobatur à Concilio Toletano 11. ita dicente: Christus Iesus nullo modo Spiritus sācti filius credi, vel intelligi potest. Imò sequeretur esse filiū totius Trinitatis, & ita sui ipsius filium, quod nemo dicet. Sequela patet, quia filiatio illa Christi, quæcumque in Christo est, ad Deum, præter generationem æternam, æqualiter est ab ipso Verbo, siue dicatur illa filiatio esse vnio, siue gratia, siue quid aliud: sed expresse Concilium renuit admittere duos Patres Christi: ergo, &c. *Tandem.* Libera concessio ad hæreditatem, est adoptio: sed concessio vnionis fuit libera: ergo licèt daremus, quòd vnio det ius ad hæreditatem, tamen habens illam, adoptione accipit eam. *Vrgetur ratio* ex opposito; quia filius naturalis non libera aliqua concessione accipit ius, sed naturaliter, sicut naturali actione accipit physicum esse: ergo, &c. *Item* alij Beati sunt adoptione filij: ergo posset Christus dici talis. Probo consequentiam: quia omnem hæreditatem, quam habent, habent iure congruentiæ, sicut Christus: nam habent visionem, & fruitionem creatam, & ius ad illā ex gratia habituali; sic similiter Christus; quippè, vt vidimus supra, nō acquisiuit ius strictum in bona Dei extrinseca per vnionem suam, sed tantùm per congruitatem: ergo dicendum est, Christum minimè esse filium Dei naturalem; erit ergo filius adoptiuus.

64 *Aliud argumentum* contra nostram propositionem. Oppositum illius habet Scotus *in 3. d.* 10. *cit.* resoluit enim cum Magistro in argumento contra, quòd Christus nequaquā filius adoptiuus sit, & satisfacit argumentis probantibus adoptionem Christi: ergo &c. *Respondeo.* Scotum *cit* §. *Respondeo &c.* problematicum esse, & in Reportatis alterutiuè tenet esse filium adoptiuum, & §. *ad argumenta. &c. versiculo Contra ista negatio &c.*

probat, Christum esse adoptiuũ, & huic argumento non respondet, quinimò terminat discursum dicendo, *responsionem quare.*

*Item obijcies* Scotum in 3. dist. 2. quæst. 1. §. ad argumenta principalia sub lit. G. vbi ait: *nec conceditur quòd Christus sit filius Dei adoptiuus.* *Respondemus* cum cæteris Scotistis, Scotum non esse locutum assertiuè: eius namque verba sunt hæc: *Et quod ille idem filius hominis sit filius Dei per gratiam: fortè enim negaretur de eodem determinatè; imò nec conceditur, quòd Christus sit filius Dei adoptiuus.* Dùm enim dicit *fortè*, determinatè non loquitur. *Secundò* dico, Christum non esse dicendum absolutè filium adoptiuum, sed cum reduplicatione, videlicet secundùm quòd homo, & ita intelligendus Scotus. *Tandem* dicimus, quòd nõ erat necessarium, concedere talem propositionem, vt argumento satisfaceret Scotus: nam sufficiebat, quòd alius homo esset filius Dei adoptiuus, vt argumẽtum solueret. Addo Scotum in Reportatis *num.* 17. affirmare, quòd absolutè, & in rigore sermonis possit concedi, Christum esse filium adoptiuum Dei, si aliàs non timeatur periculum suspicionis hæreticorum. Audiantur verba Scoti: *Quia Sancti negarunt, Christum esse filium adoptiuum Dei propter hæreticos, qui solùm dixerunt eum esse filium adoptiuum, & nullo modo naturalem: & ideò cum illis noluerunt Sancti communicare propter malum intellectum; ideò dixerunt absolutè, quod non est filius adoptiuus, sicut dicit Damascenus de B. Virgine contra hæreticum, quod ipsa non est Christocon, quia noluit communicare cum eo, qui dixit quòd tantùm fuit filius Virginis secũdùm naturam humanam, cum quo noluit communicare, ideò dixit, quòd fuit Theotocon. De virtute tamen vocis potest dici filius adoptiuus Dei, sicut vnus alius homo; quia priùs natura habuit naturam, quàm ordinaretur ad hæreditatem, & sic fuit sufficienter extraneus. Hæc Scotus, &c.* Patet ergo, Scotum nil habere contra nos.

65 *Tertiò obijcies* ex Patre Lorca: adoptio, & filiatio non conuenit naturæ, sed supposito: ergo, cùm suppositum Diuinum non possit esse filius adoptiuus, dicendum, Christum minimè esse filium adoptiuum. *Vt huic argumento satisfaciamus, sit*

PRO-

# PROPOSITIO QVINTADECIMA.

## *Filiatio non est in Persona, tanquàm in subiecto, sed in natura.*

EST in hac re opinio Sancti Thomæ, & Caietani, & omnium Thomistarum, quibus assentitur *Sanctus Bonauentura in 3. dist. 8. quæst. 2. articulo 2.* dicentes, filiationem esse in persona, tanquàm in subiecto, non in natura; in natura autem esse solùm, tanquàm in fundamento. Oppositum habet *Scotus in 3. dist. 8. §. contra istam positionem, &c.* probans, non repugnare in vnica persona esse duplicem filiationem, si sit duplex natura, quod *probat primò*: vel repugnat filiationem multiplicari in vna persona ex eo quòd relatio, vel ex eo quòd talis relatio; neutrum est dicendum, vt patet ex textu Scoti: ergo, &c. *Neque valet*, quod ait Caietanus, & cum ipso asserunt alij, hanc repugnantiam non esse, ex eo quòd relatio, vel talis relatio est: sed propter defectum subiecti: est enim in Christo vna persona Diuina, quæ non est capax relationis temporalis, & relatio solùm respicit personam, tanquàm subiectum. *Hoc*, inquam, non valet: nam supponit, filiationē esse personæ, tāquā subiecti, quod esset probandum.

66 *Secundò* probatur opinio Scoti. Pater æternus habet duas relationes originis supra vnum fundamentum, scilicet essentiam Diuinam, quam per generationem communicat filio, & per spirationem Spiritui sancto: ergo multò magis duæ filiationes, super duo fundamenta, idest supra duas generationes. *Nec valet dicere*, in Patre æterno esse duas relationes originis; quia specie distinguuntur; in Christo verò non posse esse duas filiationes, quia sunt eiusdem speciei, quæ non possunt multiplicari in eodem. *Non inquam, hoc valet*: nam etiam secundùm ipsos filiatio æterna, & temporalis in Christo non est vniuocè filiatio, quia ipsi tenent, quòd nihil vniuocè potest dici de Deo, & nobis. *Adde*, quòd licèt nos concedamus, æternam, & temporalem filiationem, esse vniuocè filiationes, distinguuntur tamen specie, vt habet Scotus immediatè ante *§. ad quæstionem ergo dico, &c.*

67 *Tertiò probatur*. In Christo est duplex operatio, estò quod sit vna persona: ergò est duplex filiatio. Antecedens patet; consequentia probatur: nàm nō magis filiatio respicit personam, quàm operatio, quæ secundum Aristotelem 1. Met. cap. 1. est sup-

positi. *Negant paritatem*: nàm filiatio (aiunt) respicit personã, tanquàm subiectum immediatũ; operatio verò non ità, sed mediante natura, aut potentia naturæ. *Sed hæc responsio nil valet*: nàm hucusque non ostendit Caietanus, quòd filiatio non sit naturæ, tanquàm subiecti, in quo sit. Item quod conuenit Christo ratione personæ Diuinæ, & in quantùm persona Diuina est, nõ potest dici de Christo secundùm naturam humanam: sed Christus dicitur, in quantùm homo, filius Virginis: ergò vltra relationem realem personę Diuinæ, quà Christus dicitur ad Patrem, est alia secundùm humanitatem ad Matrem. *Respondet Caietanus*, maiorem in sensu reduplicatiuo esse veram, sed non esse ad propositum, in sensu verò specificatiuo esse falsam: nàm secundùm quòd homo, conuenit Christo esse filium Virginis; non relatione reali, sed rationis. Sed hoc fundamentũ à nobis impugnatum est supra, & Scotus cit. *in* §. *ad quæstionem ergò dico &c.* clarè probat, filiationem Christi ad matrem esse realem, vt n. 69. nos adhuc ex professo dicemus. *Vrgeo rationem* pro propositione nostra: filiatio est habitudo producti naturaliter similis producenti in natura intellectuali, vel sensitiua (huius definitionis partes manifestat sigillatim Scotus,) sed nihil est in hac definitione, quod non possit conuenire naturæ: ergò &c. Probatur minor: nàm si quid foret, esset *ly producti*, sed hoc potest conuenire naturæ ex Sancto Damasceno lib. 3. cap. 7. vbi ait, *quòd in Christo sunt duæ natiuitates quia duę naturæ.* Et Diuus Augustinus lib. de fide ad Petrum cap. 2. ait, *quòd Christus, quia duplici constat natura, est bis natus*: ergo in natura potest esse habitudo producti, & ita potest esse subiectum filiationis.

68 *Dices ex D. Thoma*. Vbicunq; est forma, tanquam in subiecto, tribuit illi denominationem cõpetentem; sed natura non dicitur filia, cùm talis denominatio sit proprietas personæ: ergò subiectum filiationis non est natura. Maior probatur in his, in quibus minùs apparet, vtpotè in quantitate, quæ per albedinẽ, quam subiectat, dicitur alba, & in materia, quæ quia subiectũ est mutationis, dicitur mutari. *Respondemus* primò negãdo, naturam non posse dici filiam, licèt in cõmuni vsu persona dicatur filia; quod necessariò debent fateri quicunque aiunt, per potentiam Dei posse fieri, vt Verbum dimittat naturam, quàm assũpsit, itaut impediat personari in propria personalitate, quod maximè verùm est in ea opinione, quod persona dicat aliquod positiuum; in eo enim casu natura illa verè, & realiter referretur ad Matrem, & nulla alia relatione, quàm filiationis ergò &c.

*Secun-*

*Secundò reſpondeo* negando, omnem formam denominare ſubiectum, in quo eſt ( aliud enim eſt ſubiectum inhæſionis, aliud denominationis ) nàm denominatio propriè eſt ſuppoſiti; vndè eſtò filiatio non denominet naturam, non indè colligitur, non ſubiectari in natura. *Adde etiam*, quod argumentum pugnat cõtra ipſos, nàm concedunt in natura humana fundari relationẽ ad Matrem: ergò ſecũdùm hãc, natura humana dicetur filia. *Ad pleniorem ſolutionem*, & intelligẽtiam huius propoſitionis ſit.

## PROPOSITIO SEXTADECIMA.

### *Duæ ſunt in Chriſto filiationes reales, & realiter ab inuicem diſtinctæ, Diuina ſcilicet ad Patrem Deum, & humana ad Matrem Virginem.*

69 NVlla eſt inter Catholicos de dualitate filiationis Chriſti ambiguitas, quia duæ ſunt in illo naturæ, quarum quælibet ſuam habet generationem, & natiuitatem. Vndè Chriſtus dicitur bis natus, & vtrique natiuitati correſpõdet ſua filiatio, quælibet autem generatio, natiuitas, & filiatio, peculiares habet proprietates, quæ alteri non conueniunt. Prima dicitur æterna, eſtquè à Patre ſinè Matre; ſecunda eſt à Matre ſinè Patre. De prima legimus pſalmo 2. n. 7 *hodie genui te*. De ſecũda dicitur Matth. 1. n. 6. *de qua natus eſt Ieſus qui vocatur Chriſtus*. Adhuc conueniunt Theologi, vt admittant, vnitatem ſuppoſiti in Chriſto non impedire dualitatẽ natiuitatis, & filiationis illius: quia terminus formalis generationis, & filiationis, vel ſolùm reſpicit naturam, vel ſingulare, & indiuiduum, itaut perſonalitas non includatur in filiatione, vt colligimus ex definitione generationis, quæ eſt productio ſimilis in eadem natura. Eſt tamen concertatio, *vtrùm iſtæ duæ filiationes ſint ambȩ reales, & ab inuicem realiter diſtinctæ?* Nàm D. Thomas putat, ſolam filiationẽ æternam eſſe realem, humanam autem eſſe dumtaxat relationẽ rationis; cõtrariã tuetur ſententiã Scotus in 3. d. 8. §. ad quȩſtionẽ ergo &c. quàm probamus his; quæ ſubſequuntur rationibus.

70 *Iſta ſit prima*. Illa relatio realis eſt, cuius extrema ambo ſunt rea-

realia; indè namquè probamus inter Deum Patrem, & Deum filium esse duas reales relationes paternitatis,& filiationis;sed in filiatione humana Christi reperiuntur extrema realiter distincta, nempè natura humana, & Mater: ergo nihil obstat quominùs humana filiatio sit realis, si realitatem Diuinæ admittamus. *Secundò* si Christus non esset Deus, sed homo purus, nemo dubitaret de realitate suæ filiationis respectù Matris suæ: quia in illius generatione fecisset, exhibuissetquè omnia, quæ aliæ Matres solent, & Christus à Matre accepisset ea, quæ alij filij accipiunt: sed non obstante Diuinitate Christi, in eius temporali generatione Mater Sanctissima eadem fecit, quæ fecisset, & ab ea accepit Christus,quæ accipisset: ergo inter ipsum, & suam Matrem resultat ex parte Matris maternitas, & ex parte Christi filiatio, quę sunt duæ relationes reales. *Distinctio realis* inter vtramque filiationem, quæ supponit vtriusque realitatem, hoc probatur argumento.

*Distinctio realis* inter ea concedi debet, quorum vnum potest esse sinè alio, & inter quæ reperiuntur prædicata sibi inuicē opposita:sed ęterna filiatioChristi fuit, non existente humana filiatione, imò esse poterat in perpetuum sinè illa, imò vna filiatio dicitur æterna, altera temporalis: ergò inter vtramq; est distinctio realis.

71 *Sit altera ratio.* Generatio,qua procedit à Patre Christus, non potest esse ipsa, qua procedit à Matre: ergo neque filiatio, qua respicit Patrem,potest esse illa, qua refertur ad Matrem: patet consequētia, quia filiatio sequitur naturam generationis,& vbi est alia numero, aut specie generatio,est similiter alia filiatio; quia relatio dependet essentialiter à ratione fundandi, & variatur, variata ipsa: sed generatio est ratio fundandi filiationis, vel si dicatur ratio fundandi esse potentiam generatiuam, redit argumentum; quia sine dubio potentia generatiua in Deo, & in Virgine Matre distinguuntur plusquam specie: ergo.

*Confirmatur*, quia in eodem subiecto relatio æqualitatis distinguitur à relatione similitudinis, quia fundamentum vnius est quantitas, alterius non, sed qualitas,quę est genere distincta: ergo & hic locum habet ratio Doctoris in littera; quia si Pater æternus assumpsisset carnem,nō referretur relatione paternitatis ad Matrem: ergo nec modò Verbum relatione filiationis æternæ.

*Altera ratio*; si filiatio æterna esset ad Virginem, tunc referret Verbum non solùm secundùm humanam naturam, sed secundùm Diuinam,vt filium ad Virginem Matrem;hoc est absurdū: ergo &c.Sequela probatur, quia refer-

referret idem fundamentum, quòd ante referebat: nàm licèt demùs Thomistis, quòd eadem relatio possit successiuè respicere plures realiter terminos; implicat tamen eamdem successiuè referre plura fūdamēta, quia estò possit fieri variatio in termino extrinseco, nō potest prorsus fieri in fundamento: ergo & hic ordo ad fundamentum est vniuersalis in quocunque accidente, sed magis specialis in relationibus, vt patet: ergo &c.

# PROPOSITIO DECIMASEPTIMA.

## *Argumenta in contrarium eliminantur.*

72 PRimum argumentum. De facto nō dantur duæ formæ absolutę in eodem subiecto, seù materia, quia dependent à materia: sed multò magis dependent relationes à subiecto: ergo non dantur plures relationes in eodem subiecto. *Respondetur*, quòd ibi filiatio creata habet naturam humanam pro subiecto inhæsionis, in quo non est filiatio Diuina; cæterùm idē suppositum potest denominari ab vna filiatione; scilicet diuina formaliter ab altera, videlicet creata, vltimatè denominatiuè solùm; & non est par ratio de forma absoluta respectù vnius subiecti inhæsionis.

Secundum argumentum. In Christo vnica subsistentia terminatur à natura Diuina, & natura humana: ergo vnica filiatione Christus respicit Patrē æternum, & Mariam Matrem. Probatur consequentia: quia illa relatione, qua terminatur natura Diuina, Verbum constitutum respicit suum principium productiuum: igitur eadem relatione, qua terminatur natura humana, Christus respicit suum principium productiuum, scilicet Matrē. Probatur consequentia: quia illa relatio est talis naturæ, quòd constitutum referatur ad principium productiuum: ergo non solùm constitutum per illam respicit Patrem æternum suum principium productiuum, sed etiam Christus eadem relatione constitutus respicit Matrem suum principium productiuum. *Ad hoc respondetur*, quòd subsistentia constituit ad subsistendum, & quia in Diuinis subsistentia, filiatio, & personalitas sunt idem; ideò per illam Verbum dicitur filius respiciens Patrem suum principium productiuum; non autem quatenùs eadem illa terminatur natura, Christus respicit Mariam: quia tunc solùm dat subsistere, & non

facit

facit filium, cum sint conceptus distincti in subsistentia illa secũdùm Scotum. Occurrit, quòd filiatio temporalis, vt denominat (regulariter) petit suppositum constitutum, non vero filiatio æterna; & ideò quia natura humana est alia generatione passiua genita, fundat nouam relationem filiationis in Christo ad Matrem.

73 *Tertium argumentum*. Adæquatum subiectum huius relationis est suppositum Christi, nõ natura humana; sed Christus est persona Diuina, quæ non est capax relationis temporalis: ergo in Christo non potest esse filiatio tẽporalis. Maior probatur; quia illud est subiectum adæquatum filiationis, quod est terminus adęquatus natiuitatis, & generationis: Sed totus Christus est, qui generatur, & nascitur ex Maria Virgine: ergo totum illud, persona scilicet, & natura est subiectum filiationis, non ergo natura sola. *Vrgetur ista ratio*; Quia si filiatio esset naturæ, & nõ suppositi, sequeretur, quod si Verbũ dimitteret naturam humanam, illa esset filius Virginis: consequẽs est falsum; quia Beata Virgo nõ genuit hominem purum. Consequentia est euidens, quia natura humana per se sumpta eadẽ omninò tunc esset, sicut modo. *Confirmatur etiam*: quia in Diuinis relatio filiationis nullo modo est in natura, neque illa denominat filium, sed solum est in persona, cùm sit proprietas personalis: ergo in humanis erit ꝓprietas nõ naturæ, sed personę.

74 *Respondetur* ad argumentum distinguendo maiorem, in qua est tota difficultas; suppositum Christi esse subiectum adæquatum filiationis, vt vltimatè denominatum à filiatione, est verum; quia etiam cæteræ relationes vt æqualitas, similitudo &c. denominant illud suppositum, quia insunt naturæ humanæ, eo modo, quo prædicata, & proprietates creatæ insunt supposito Christi per communicationẽ idiomatum. Suppositum verò Christi esse immediatum subiectum inhæsionis, & fundamentũ absque natura, ita quod natura non sit medium inhærentię filiationis, sic est falsa maior: nec insũt alię relationes reales, quia non est capax, vt minor argumenti ait. Hinc patet ad probationem, quòd totus Christus, qui est terminus generationis, est subiectum modo dicto; nec natura sola, nec personalitas sola sufficiunt, vt habeatur denominatio filij. Non abhorreo tamen etiam dicere (vt concessi supra,) quòd natura in se, cum sit subiectum inhæsionis, valeat dici filia, quinimo sic dicere, videtur conformius Scoto, vt patet ex eiusdem impugnatione contra Bonauenturam docentẽ, filiationem esse suppositi. Nec valet exemplum de natura Diuina, quæ nequit dici filia. Ratio

est

est, quia fundamentum, saltem remotũ filiationis est genitũ esse, quod reperitur in natura humana, non autem in natura Diuina, quæ est ingenerabilis. Scito ergo, quòd licèt non cesset generatio, donec perfectum sit totum, & suppositalitas spectet ad complementum totius; non indè tamen sequitur, quòd subiectum inhęsionis filiationis sit totum suppositum, vt probauimus supra; tantùm ergo sequitur, quòd suppositum sit subiectum inhæsionis. *Dices*, suppositum Diuinum nullum accipere esse in tempore: ergo non poterit in tẽpore dici filius noua reali relatione ad Matrem. *Respondetur*, quòd non accipit esse simpliciter, recipit tamen esse humanũ. Sed verè quid dicendum de natura conseruata sinè omni personalitate, foret nè dicenda filia? Elige &c.

*Ad secundam confirmationẽ* dico, quòd si dimitteretur natura à Verbo, tunc non adesset completũ subiectũ inhęsionis filiationis. Ratio huius est: quia debet compleri priùs natura in ordine substantiali vltimo per personalitatem, vt sit subiectum denominationis accidentium, veluti est filiatio. Et licèt appareat eadem natura singularis, quæ est fundamentum, & immediatum subiectum inhæsionis filiationis, nõ tamen habet in exercitio denominationem illam, nisi sit cõpleta. Hinc facilè soluitur instãstantia; quòd si dimissa natura à Verbo, assumeretur à Patre æterno, Pater æternus non esset filius Virginis: quia suppositalitas Patris non esset ex vi generationis passiuæ illius naturæ, nec in eodem instanti, quo fuisset genita, sed ex noua assumptione.

75 *Quartum argumentum*. Filiatio constituit filium: ergo duæ filiationes constituunt duos filios: sed Christus nõ est duo filij: ergo nec habet duas filiationes. *Respõdetur*, negando consequentiam: quia filius, cùm sit concretum, non multiplicatur, nisi multiplicẽtur non solùm formæ, sed etiã supposita; in proposito quamquàm sint multæ formæ, scilicet filiationes, est tamen vnum suppositum tantùm. Itaque ad formam argumenti dico, quòd est fallacia cõsequẽtis à destructione antecedentis ad consequens. *Dices*: sicut singulare infert singulare, ita plurale plurale; si ergo vna filiatio infert vnum filiũ; duæ filiationes inferunt duos filios.

*Respondetur*, discursum esse verum, quando plurale est in diuersis suppositis; non autem est sic in proposito; quia cum dico duas filiationes in Chisto, dico duas in eodem supposito. Idem dicit Scotus in primo dist. 12. ad solutionem argumentorum. *Dices*, vbi est duplex filiatio realiter distincta, ibi debet esse duplex effectus formalis realiter distinctus;

ctus; sed effectus formalis filiationis est constituere filium: ergo, si in Christo sunt duæ filiationes, Christus est duo filij. *Respondeo*, quòd cùm filius non dicat solùm filiationem, sed etiã suppositum, ideò licèt ex parte filiationum non repugnet constituere duos filios, repugnat tamen ex parte suppositi, quod vnicum tantùm est; valeret quidem, si filiatio esset constitutiua adæquatè filij, ità quòd filius præter filiationem non includeret suppositum. *Audiui aliquos* respõdere huic argumẽto, quòd Christus est absolutè vnus filius, sed duplici iure; scilicet filiationis increatæ, & creatæ: nùm verò ista responsio satisfaciat argumento, videant Doctores.

76 *Replicabis*, quòd ex Scoto in 3. dist. 1. qu. 3. & expressiùs in primo dist. 12. qu. vnica circa finẽ: si Verbum terminaret plures naturas humanas numero tantùm distinctas, tunc esset plures homines: ergo, si in Christo sunt plures filiationes, erit dicendus plures filij. *Confirmatur*: nam ideò Verbum diceretur plures homines, quia in eo plurificarentur plures humanitates cum vnitate suppositi: ergo si in Christo multiplicantur filiationes, ille erit dicendus plures filij; etiamsi in eo sit vnitas suppositi. *Concesso*, quod assumitur de Verbo terminante plures humanitates, negatur, id sequi de Christo includente plures relationes. Ratio descriminis est; quòd si albedines, vel reliqua accidentia, etiam respectiua, ponantur à subiecto separata, nec erit vnus sciens, nec plures sciẽtes, vel albi: sed tantùm sunt formæ abstractæ; quare si omnes formæ accidentales ponantur simul in eodem subiecto, ab omnibus illis denominatur vnum album, &c. Aliter autem contingit in humanitatibus separatis à supposito, dummodò sint contractę per indiuiduationem, quæ absolutè sunt plures homines (Deus enim non tantùm assumpsit humanitatem, sed hominem iuxta illud: *tu ad liberandum suscepturus hominem*); quare cum illa indiuidua post assumptionem non identificarentur realiter inter se, semper manerent plures homines. *Rem declaro*. Si plura indiuidua naturæ humanæ conseruarentur à Deo per possibile, vel impossibile absque omni subsistentia, essent plures homines: nam post terminationem, adhùc remanent plura indiuidua naturæ humanæ numerò tantùm distinctę; nec ex eo quòd adunentur in vno supposito, tollitur distinctio realis numerica, quam habent inter se: ergo licèt verum sit, quòd esset eadem persona, forent tamen plures homines.

77 *Quintum argumentum*: Quando duo principia concurrunt ad aliquod, & vnum est liberum; effectus productus non est naturalis:

ralis: sed Spiritus sanctus, & Virgo cōcurrunt ad generationem Christi, & Spiritus sanctus est agens liberum: ergo illa generatio Christi non est naturalis, consequenter nec filiatio: quia filiatio per Scotum est habitudo producti naturaliter similis in natura producenti. Maior patet per Scotum de Essentia Diuina speculo voluntario concurrente cum voluntate Angeli, quando producunt visionem, quæ non est Verbum: quia ab aliquo voluntario. *Nec valet dicere*, quòd quādo liberum supplet aliquod naturale, tunc effectus est naturalis, quia in casu de Essentia non currit; tunc enim supplet naturale, sed non naturaliter, quod requiritur in filiatione, quæ est habitudo producti naturaliter similis in natura producenti. *Respondetur*, quòd etsi Spiritus sanctus sit productus similis in natura producenti; quia tamen producitur per voluntatem, & non naturaliter, ideò dicitur datus, & non natus. *Posset dici*, quòd ex hoc Christus non est filius Spiritus sancti, sed Mariæ (licèt etiam voluntariè præbuerit consensum); hoc tamen est extrinsecum, tùm maximè, quia filius distincta relatione respicit Patrem, & Matrem. *Ex hac doctrina fit.*

# PROPOSITIO DECIMAOCTAVA.

## *Duo accidentia solùm numero distincta possunt esse in eodem subiecto.*

78 Est in hac re opinio *Sancti Thomæ 3. parte, quæst. 3. articulo 4. & Caietani ibidem, & Thomistarum aliorum, vtpotè Capreoli in primo dist. 7. quæst. 2. Hæruei quolibet 3. qu. 9 & in 3. dist. 8. q. 1. & ibidem Paludani qu. 2. & Soncinæ 7. Met. qu. 4.* vbi pro hac opinione plures rationes adducit; hoc etiam asserit Sanctus Thomas *lectione 12. super quintum Met. cap. 10.* Isti omnes asserunt repugnare, quòd duo accidentia eiusdem speciei sint in eodem subiecto.

*Altera opinio* est *Scoti in 3. dist. 8.* quam explico duplici propositione; pro Scoto videntur omninò *Antonius Andreas 5. Met. qu. 8. per totam, & Trombetta ibidem quæst. 7.*

*Probo ergo*, quod duo accidentia solum numerò distincta possunt esse in eodem subiecto. Primò in ijs, in quibus est ordo cum vnitate prioris, potest stare

pluralitas posterioris, si illud posteriùs non per se,& adæquatè conueniat priori: sed sic se habet accidens ad subiectum: ergo, &c. Maiorem probat Scotus à simili de vnitate causæ, & pluralitate effectuum eiusdem speciei. Nec obstat, quòd effectus non inhærent causæ; nam inhærentia est de per accidens, & non de per se, & per consequens impertinens ad propositum. *Secundò probatur*. Plures species sensibiles possunt esse in eadē phantasia, quæ sint eiusdē speciei, & sint in eadem parte organi: ergo, &c. Quòd possint esse plures; patet: alioquin amissa vna vnius imaginabilis, non posset quis imaginari aliud imaginabile. Quod sint eiusdem speciei, etiam probatur: nam sunt obiectorum eiusdem speciei. Quòd autem sint in eadem parte organi, etiam patet: nam organum non potest in tot partes minimas diuidi, quæ per se, & separatim possint informari tot speciebus imaginabilibus: ergo, &c.

79 *Sit altera probatio*: Duo lumina impermixta possunt esse in eadem parte aëris: ergo, &c. Antecedens probatur primò; quia alioquin sequeretur, quòd non posset dari aliqua intensio, quod est contra documenta Prospectiuæ. *Secundò*; quia si pluribus corporibus luminosis plura corpora opaca opponātur, causant plures, & distinctas vmbras: ergo vnumquodque eorum, distinctum lumen causat. *Tertiò*, quia est commune axioma; lumen maius offuscare minus; hoc autem non esset, nisi maius, & minus essent in eodem subiecto.

*Nec valet*, cùm ad primum Scoti dicit Caietanus, distinguēdo maiorem, quòd scilicet, si loquatur de accidente in communi, verum est, quòd per accidens respicit subiectum; & sic duo accidentia distincta specie possunt esse, & sunt in eodem subiecto; si autem loquatur de hoc accidente singulari, tunc est falsum, cùm hoc accidens per se respiciat subiectum, cùm hæc albedo, verbi gratia, à subiecto habeat, quòd sit singularis, inquantum talis, ac per subiectum definitur; respicit etiam subiectum adæquatè, cùm hæc albedo non possit in alio subiecto esse.

*Non, inquam, hæc valent*: nam inintelligibile videtur, quòd albedo in communi non respiciat per se subiectum, & particularis sic; præcipuè cùm eius indiuiduatio non sit à subiecto, vt supponit Caietanus, quòd si in definitione accidentis ingrediatur subiectum, hoc est non ex eo, quòd habitudo ad subiectum sit de essentia accidentis, sed, vt explicat Scotus in 4. dist. 12. qu. 3. dubio 2. quia esse talium formarum non explicatur explicatione quietatiua intellectus, nisi

adda.

addatur, in quo subiecto sit. Falsum etiam est, quod assumit, quod hoc accidens adæquatè respiciat subiectum; nec ad hoc probãdum sufficit dicere, quòd hoc accidens non possit esse in alio subiecto, sed debet addi, quòd nec hoc subiectum possit suscipere aliam albedinem.

80 *Nec valet*, cùm ad secundum argumentum dicit primò: species illas imaginabiles posse saluari quasi in puncto, & per consequens quantumcumque multiplicentur, nunquàm erunt in eadem parte. *Secundò* dicit, illas species non esse eiusdem speciei; concedit in esse naturali, negat in esse repræsentatiuo, quia diuersimodè repræsentantur: cùm vnumquodque habeat distinctam figuram, & situm; & sic est causatiuum specierum diuersarum rationum. *Quod confirmat*, cùm vnius obiecti numero species in diuersis potentijs differant numero: ergo species obiectorum numero distinctorum differunt plusquam numero, & ita specie. *Tertiò dicit*, quòd duo obiecta eiusdem speciei nõ causant duas species, sed vnam intensiorem, quàm si esset tantùm vnius, qua vtrumque obiectum sufficienter representatur.

81 *Non, inquam,* hæc valent. *Prima non*, cum oppositum pateat ad sensum; non enim potest ita multiplicari diuisio phantasiæ in partes minimas, & in oculo, dicũt, posse multiplicari species eiusdem speciei. *Nec secunda*, cui maximè innititur Caietanus, valet: nam species tàm intelligibilis, quàm sensibilis, est naturalis imago, & similitudo obiecti in existentia à parte rei, & obiectorum solùm numero differentium, solùm numero differunt species; quòd si in esse repræsentatiuo aliter representen tur obiecta, illa alietas est tantùm accidentalis, vtpotè secundùm figuram, & situm, quæ sicut non poterat facere distinctionem specificam in esse reali, ita nec in esse imaginato. *Addo*; quòd obiectorum distinctorum specie sunt species distinctæ tantùm specie: ergo numero distinctorum sunt species tantùm numero distinctæ. *Ad confirmationem dico*, quòd si loquatur de maiori distinctione accidentali, verum est: nam sicut illa obiecta solùm differunt accidentaliter, ita species solùm accidentaliter differunt; si de distinctione essentiali, negandum est. *Nec tertia solutio valet.* Primò, quia est cõtra doctrinam Sancti Thomæ, ponunt enim in illa solutione, quòd intensio formæ fiat per maiorem additionem noui gradus, & non per maiorem radicationem in subiecto, vt vult Sanctus Thomas. *Secundò*, quia in doctrina Sancti Thomæ, forma non intenditur per additionem alterius, quæ est eiusdem perfectionis, & gradus: vndè lumen in

in aere non sit intensius, si causetur à duobus corporibus luminosis æqualis virtutis, ac si ab vno solo causaretur: ergo species præexistens in phantasia nõ intenditur ex acquisitione alterius in eadem parte.

82 *Nec valet*, cùm ad tertium communiter omnes Thomistæ putent, necessariò duo lumina in eodem medio facere vnum; asserentes, hoc sufficienter colligi *ex D. Thoma in 2. dist. 13. articulo 3. ad secundum*. Ad primam probationem negat Ferrariensis sequelam: nam, ait, intensionem radiorum non esse intelligendam ad modum duorum corporum sese in puncto tangentium, quasi radij distincti sese in aliquo puncto tangant; sed quia diuersi radij a diuersis corporibus luminosis prouenientibus in aliquo puncto vnum lumen efficiunt intensius, quàm si ab vno corpore luminoso causaretur. *Ad secundam probationem* dicit primò; illam vmbram non esse priuationem luminis distincti ab alio lumine, sed esse potiùs remissionem primi luminis intensioris in esse remisso. Cum secundò dicunt, quòd non est priuatio diuersi luminis, sed eiusdem. Si dicas, quomodò nõ aufertur totum lumen? Respondent, vnius luminis esse vnicam priuationem perfectam, & totalem: possunt tamen esse plures imperfectę priuationes vnius luminis, quarum vnaquæque, lumen per aliquam sui partem remoueat. *Ad tertiam probationem* respondent ex doctrina Sancti Thomæ *3. part. qu. 5. articulo 4. ad secundũ, & quolib. 9. articulo primo ad secundum*, quòd illa propositio intelligitur de lumine se tenente ex parte corporis illuminandi, corpus enim luminosius, impedit, quominùs lumen corporis minus luminosi distinctè videri possit; non intelligitur autem de corpore illuminato, quasi sint duo lumina distincta, quorum vnum offuscet aliud.

83 *Sed hæc falsa sunt*: nitũtur enim hoc fundamento, quòd duo lumina eiusdem speciei non sint impermixta in eodem medio; constat enim ex Prospectiua, radium directum, & reflexum esse duos, & tamen sunt in eodem medio; & similiter, quòd radij visibilium impermixtìm mediũ illustrent, quæ non possunt saluari, nisi dicamus, duo lumina posse esse in eodem medio. *Item*. Lumen in fieri, & conseruari dependet à causa: ergo ad eius distinctionem sufficit distincta causa, estò quod sit vnum medium. *Maneat ergo opinio Scoti*, quòd plura accidentia tantùm numero distincta possunt esse in eodem subiecto: nam in subiecto est potentia ad accidens in communi, & plures potentiæ ad hoc, & illud accidens in particulari.

84 *Dices*, quòd ex Arist. omnis distinctio, aut est per formam, aut

aut per materiam; non ergo possunt esse simul in eodem subiecto, quod est accidentium materia; alioquin non erunt duo, sed vnum, cùm non habeant, vndè distinguantur. *Respondemus cum Scoto in 2. dist. 3. quæst. 5. & in quolibetis qu. 2.* quod materia apud Aristotelem sumitur dupliciter, sicut & forma. Primò pro altera parte compositi. Secũdò accipitur forma pro quidditate. & essentia rei; & materia pro principio contrahente istam quidditatem, & essentiam, quoduis illud fuerit. Aristoteles in allato loco nõ accipit materiam, aut formam primo modo, sed secundo modo. Vndè sensus est, quòd distinctio, aut est specifica, & ita per formam, aut numerica, & ita per materiam, scilicet per principium indiuiduationis, quòd in accidentibus non est subiectum, sed habent ex se, cùm ex se sint existentia ex Scoto.

## PROPOSITIO DECIMANONA.

*De facto nunquàm in eodem subiecto interueniunt simul duo accidentia solùm numero differentia, quæ sint realia, & acquirantur per motum.*

85 DIxi *realia* propter accidentia intentionalia, vt sunt species. Dixi, *quæ acquiruntur pr motum*, propter duo lumina, quæ de facto in eodem subiecto reperiuntur. Rationem pro nostra propositione assignat Scotus: quia agens naturale intendit formam præexistentem in aliquo subiecto imperfectam perficere, atque ita non inducit formam, quæ sit distincta, & impermixta cum præexistente, sed inducit nouum gradum eiusdem speciei, qui vniatur cum forma præexistente, & sic intendatur, & perficiatur.

DISPE-

# DISPVTATIO DECIMA.

## *De Adoratione Christi.*

1 ADoratio, si nomen spectes, idem est, quod veneratio, cultus, seu reuerentia, quæ alicui exhibetur, cumquè multos gradus suscipiat, in varias diuiditur species analogicas: est enim alia adoratio ciuilis, politica, vrbana, moralis, qua homo hominem veneratur, de qua *Arist.* dicit *Honor est in honorante, & non in honorato*, sic accipitur in locis sacræ scripturæ, vbi legimus, vel Angelos, vel homines adoratos esse; vtpotè *Genesis* 23. vbi dicitur, quòd Iacob sexies adorauit fratrem suum Esau; & *cap.*43. fratres Ioseph ipsum adorauerunt. *Iudith.* 10. Iudith adorauit Holofernem sedentem &c. & 3. *Regum* 1. Bersabea, & Nathan adorauerunt Regem Dauid; & alibi sæpe, *vt Genesis* 19. Vndè *S. Augustinus q.* 61. *in Genesim*, obseruauit, ideò non esse dictum in Deuthoronomio 6. *Dominum Deum tuum solum adorabis*, sicut est dictum, *soli seruies* (per Latriam scilicet, vel religionem) quoniam, ait: *Adoratio etiam hominibus inuenitur tributa*, vt quando Abraham adorauit populum Terræ, *Genesis* 23. *Secundo modo accipitur* pro honore, vel cultu sacro, qui fit Angelis, & Sanctis, vt patet etiã in supradictis scripturæ locis. *Tertiò*, magis strictè pro honore, & cultu; quo solus Deus honoratur, in quo sensu habentur ea scripturæ loca, in quibus dicitur, nullam creaturam esse adorandam, vt in Deuthoronomio 6. n.13. *Dominum Deũ tuũ adorabis, & illi soli seruies*; quem locum Dominus *Matthæi* 4. adduxit cõtra tentationem illam Sathanæ: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraueris me*, & *Danielis* 3, n. 18 *Notum sit tibi Rex quia Deos tuos nõ colimus, & statuam auream, quam erexisti, non adoràmus.*

2 *Adoratio*, consueuit diuidi in *Latriam*, & *Duliam*, qua diuisione vtitur *Sanctus Augustinus* lib. 8. de Ciuit. cap. 27. & lib. 10. cap. 1. & 3. & *secunda synodus Nicæna* in fine septimæ actionis in epistola Tharasij, & vniuersæ Synodi ad Imperatores. Vtrumq; vocabulum apud nos seruitutẽ significat, vt videre est apud *D. Augustinum* 10, de Ciuit. cap. 1. quod latiùs *Ludouicus Viues* super eundem locum. Sed, quia soli Deo seruiendum est supremo modo, per Anthonomasiam Latria significat cultum soli Deo exhibendum, & per opposi-

tum

tum Idolatria significat seruitutem Idolorum. Dulia etiam significat seruitutem, quæ aliquãdo accipitur, vt sit genus ad omnem speciem adorationis, & sic accipitur in glosa super Psalmum: *Dominus Deus meus in te speraui &c.* vbi ait glosa. *Dominus omnium propter potentiam, cui debetur Dulia: Deus omnium propter creationem, cui debetur Latria.* Sed cõmuniter accipitur pro cultu, qui alicui debetur propter excellentiam creatam in eo repertam: Vndè inter Latriam, & Duliam proprijssimè, & strictè sũptas hæc est differentia; quia Latria est cultus, qui alicui exhibetur propter excellentiam increatam; sed Dulia est cultus exhibitus propter excellentiam creatam. *Rursùs*, Dulia sic dicta diuiditur in *Hyperduliam, & Perduliam*, Hyperdulia enim significat honorem exhibitum propter singularem dignitatem creaturæ, vt honor debitus Virgini; at verò Perdulia, appropriando nomen commune rei speciali, significat reuerentiam, quę alicui exhibetur propter dignitatem, quæ in alijs etiam reperitur, & talis est honor, qui communiter sanctis exhibetur.

3 *Harum qualibet adorationum species*, quatruplici constat actione; quarum prima est in mente, & stat in apprehensione eximiæ, & singularis excellentiæ. Secunda in voluntate, qua erga huiusmodi excellentiam benè afficitur homo. Tertia est iudicium intellectus, quo iudicat esse honestum, & rationabile testificare reuerenter hãc submissionem internam, seù exhibere aliquod signum illius extimationis de excellentia personæ adorandæ, & illius voluntati submittendi. Quarta denique, est ipsa nota submissionis, quæcumque illa sit, & externa reuerentia, quæ vel fit proprio corpore, vel externis officijs. Prima actio non est adoratio; quia Dęmones cognoscunt Deum super omnia fore amandum, & adorandum, cum tamen nec adorent, nec ament; est benè actus illę necessarius ad adorationem: quippè voluntas minimè se submittit alicui, nisi priùs illius excellentiam agnoscat, iuxtà id: *Nil volitum, quin præcognitum*, & illud Poetæ: *Ignoti nulla cupido*. Illi ergo supra enumerati actus sunt necessarij ad adorationem. Est necessarius actus intellectus, vt per illum cognoscamus, Deum esse summum bonum, & totius naturæ principium. Est necessarius actus voluntatis, quia p illũ nosmetipsos volumus Deo subijcere. Quartus tandẽ actus est necessarius, quia per illum exprimimus nostram prostrationem, quòd maximè fit per missę sacrificium, in quo populus Christianus, cum per Sacerdotem offert sacrificium, quòd soli Deo debetur, suam exprimit internã adorationem.

4 *Adoratio Duliæ*, ſupra adorationem politicam, & vrbanam, ſeù ciuilem gradum aliquem perfectionis addit. *Adoratio Hyperduliæ* aliquem gradum perfectionis addit ſuper adorationem Duliæ. *Adoratio Latriæ* ſummum gradũ perfectionis attingit, ſolique debetur Deo; & diuiditur in *Externam, Internam*, & *completam*. *Interna* eſt ſumma depreſſio, humiliatio, & quaſi ſui ipſius annihilatio reſpectù præpotentis Dei, quem in ſummo perfectionis gradu agnoſcimus, & confitemur, vndè nobis omne bonũ adueniat. *Externa* eſt actus quidam corporis, quo extrinſecè, & ſigno viſibili proteſtamur id, quòd de Deo, & nobis mente concipimus. *Completa* eſt cõbinatio, ſeù coiunctio internæ, externæq; adorationis.

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Demonſtratur: An Latria ſit virtus, & qualis virtus?*

5 NOmen virtutis eſt ambiguum. Aliquando ſumitur pro vi, & efficacia ad operandum; ſic robur corporis dicitur eius virtus, & virtus Euangelij, Crucis Chriſti, verbi Dei ad perſuadendum, virtus appellatur à Diuo Paulo ad Romanos 1. & 1. ad Corinthios &c. Ex hac ſignificatione reliquæ omnes dimanarunt, hinc eſt, vt etiã ſignificet potentias ipſas operatiuas, vt virtus oculi &c. præſertim ſi ex ſe determinatæ ſint ad vnum: quia ex ſe ſinè vlla re addita ſatis ſunt ad operandum. Aliquando ſumitur pro effectu ipſius potentiæ, præſertim ſi ſit inſignis; ſic *Marci 6.* miracula, quæ ſunt effectus Diuinæ potentiæ, virtutes dicuntur. Ab eadẽ etiam ſignificatione eſt deductũ, vt virtus ſignificet diſpoſitionẽ quandam, qua potentia iuuatur ad eliciendum actum. Solet etiã virtus id dici, vndè moraliter boni nominamur, cumque id ſit ſolùm per habitus morales, idcircò habitus intellectiui hoc modo virtutes non ſunt. Deniq; (quæ propriè eſt huius loci ſignificatio) virtus ſumitur pro perfectione quadam ſuperaddita potẽtię rationali, vt rectè operetur; vndè in oppoſitum, vitium accipitur pro habitu eo, per quẽ rationalis potentia diſponitur, & incitatur ad peius operandum; Atque hoc vuult etiam diffinitio illa celebris ex *D. Auguſtino* lib. 2.

lib. 2. de libero arbitrio cap. 18. *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur*. Tandem propria Etymologia virtutis est, *vt virtus à viro* dicatur; tùm quatenus hæc vox ætatem, tùm quatenus sexum significat; nam virtus viris, & non pueris conuenit, & rursus viris potiùs conuenit, quàm fæminis.

6 *Virtutis* varias legimus *apud Arist.* diffinitiones 2. Ethicorum cap. 6. dicitur *habitus, ex quo & bonus homo efficitur, & benè opus suum reddit*. Hoc autem, quomodo fiat consequenter explicat; nimirùm, si passiones, actusquè suos homo laudabili mediocritate temperet, quæ defectum simul, & excessum excitat. Hæc diffinitio communior est: nàm virtuti naturali æquè ac morali congruit. *Virtus equi* (inquit Aristoteles) *& ipsum equum probum efficit, & ad cursum idoneum facit.*

*Rursus 2. Eth. cap. 6.* ita dicitur *Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens, prout vir sapiens determinauerit.* Dicitur *habitus*, quia de virtute, hìc loquimur, quatenus principiū quoddam rectè operandi, permanens, & fixum significat, vndè probi denominamur; tametsi agamus nihil. Iterùm dicitur, *habitus*, quia cum duo sint in nobis, vndè prodire nostri actus valeant, scilicèt facultas, & habitus, virtus non est facultas: ergo habitus. Quod facultas minimè sit, patet, quia hæc nobis inest à natura; secundò, quia secundùm illam, nec boni, nec mali dicimur: restat ergo, quod sit habitus.

7 *Secundò* dicitur, *electiuus*, quia est circa media, quæ nos ad finē vltimum conducunt, & ad illa liberè eligēda nos inclinat: ideò virtuti non imputatur, quod ex naturæ necessitate, vel aliqua actione proficiscitur. Dicitur in *mediocritate consistens*, vt explicetur materia, circa quam virtus moralis versatur; nempè circa medium inter extrema, vt fortitudo inter audaciam, & timorē. Dicitur, *prout sapiens determinauerit,* quia medium virtutis non est arithmeticum, sed quòd dicatur secundùm regulas prudētiæ; sicut enim in quolibet continuo dātur plus, minus, & æquale, quod est medium; ita in moribus datur plus, & minus, hoc est, exuperantia, & defectus, in quibus vitia sunt, & insuper mediocritas, in qua virtus versatur. Medium rationis est id, quod neq; redundat, nec deficit, quòd congruit rectæ rationi, iudicioq; prudentiæ; vndè medium rationis id dicendum, quod pensitatis omnibus circumstantijs personæ, ætatis, indolis, temporis, lōci &c. congruit rectæ rationi.

*Aristoteles* 7. Phys. ex. 17. dicit, virtutem esse *dispositionem præstantissimi ad opus*, quæ diffinitio etsi propriè non sit virtutū, de quibus in præsenti; eis tamen accomodari potest, vt sit sensus:

Virtus est *dispositio præstantissimi subiecti in suo genere, quod est natura rationalis ad optimam operationem, quæ est operatio ipsa* virtutis, quæ optima est in natura rationali.

8 *Scholastici* ex varijs Sancti Augustini dictis hanc colligunt virtutis diffinitionem: *Virtus est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus malè vtitur, & quã Deus in nobis, sine nobis operatur*. Dicitur, *qualitas bona* (& fortè meliùs diceretur habitus) vt significetur genus proximum virtutum: *ly bona* non significat bonum transcendens, sed bonum rationis, quoniã virtutibus homo disponitur, vt secundùm rectam rationem operetur, quòd non fit, nisi ab aliqua bona qualitate mentis. Nomine *mentis* indicatur subiectũ, quod, vel est ipsa mens, in qua est prudentia, vel id, quod participat mentem: vt sunt aliæ omnes potentiæ, in quibus virtutes reperiũtur; quoniam cum prudentia sit regula omnium virtutum, nihil poterit esse subiectum virtutum, nisi pendeat à prudentia, & aliqua ratione participet mentem, qua rectè viuitur, hoc est, exercentur operationes, quæ sunt vitæ, quæ rectitudo operationum consistit in conformitate ad legem, & rectam rationem. Dicitur, *qua rectè viuitur*; vbi vita non sumitur pro substantia, sed pro operatione. Dicitur, *qua nemo malè vtitur*; nàm etsi virtutis actus queat vitiari, non tamen virtus est principium vitij, sed potentia, in qua virtus reperitur. Dicitur, *infundi in nobis sine nobis*, vt sciamus, causam esse Deum &c. Ista fortè solis cõuenit Theologicis virtutibus.

9 *Ex dictis suppono*, omnem virtutis habitualis qualitatem peti debere ex actibus. *Vndè primò* debet omnis virtus esse libera, scilicèt ex electione fluere: ideò notat optimè *Plato* in Cratyllo, vitium omne instar tenacis cuiusdam vinculi constringere solere potentias animæ, easquè impedire, nè liberè, & expeditè ad proprios, & cõsẽtaneos actus progrediantur, eo autem impedimento liberari per virtutem.

*Secundò* debet esse rationalis, scilicèt conformis rectæ rationi: ideò virtutem vniuersam in eo posuit *Plato*, vt ipsi rationi, idest primæ, & purissimę omnium rationabilium actionũ regulæ consentiat, & obtemporet.

*Tribus modis* potest humana operatio rectæ rationi esse conformis. Primò *aptitudine*. Secundò *habitu*. Tertiò *actù*. Actio cõformis rectæ rationi aptitudine est ea, quæ ex se apta est dictari à recta ratione, tamen ab eo fit, qui caret prudentia; vt si amens inopinatè id ageret, quod editũ ab homine sano laudaretur. Habitu dicitur actio cõformis, quæ sinè vlla intentione procedit ab

eo,

eo, qui habet habitum prudentiæ, nihil tamen influentem, nec vllatenùs dirigentem, vt si vir, alioquin prudens, actionem honestam solo naturali impetu, non ductu rationis eliceret. Actù cõformis est, quam ratio actù dictat eliciendam.

10 *Tertiò*. Virtus est stabilis, ac constans; nàm possunt actiones, alioquin honestæ, ab homine peruerso interdùm fieri; sed quia non proueniunt ex habitu virtutis, ideò nec constanter ille, nec perseueranter similes elicit. Hinc secundùm Gulielmum Parisiensem *Virtus dicitur, quasi viri status*, & certè à viro deriuatur (vt iàm supra notaui) quòd verè viros, scilicet viriles, fortes, & cõstantes homines facit. Istæ sunt virtutis proprietates. Alios plures habet ingenuæ nobilitatis titulos; vt quòd sit per se honesta, iucunda, salutifera, vtilis homini ad suam beatitudinem obtinendam &c.

*Suppono etiam*, Virtutem partitam esse in *Intellectualē*, & *Appetitiuam*. Prima est quidam habitus inclinans ad rectè intelligendum, & hoc non vno tantùm modo: nàm vel est habitus regulatiuus operationum volũtatis, qui inclinat ad rectè agendum, & hac in acceptione dicitur Prudentia, vel est regulatiuus operationũ intellectus, pro quãto dat principia diffiniendi, diuidẽdi &c. quibus in omni sciẽtia tenetur se conformare intellectus, & ita dicitur Logica. Secundò accipitur Virtus pro habitu determinante potẽtiam ad actum laude dignum, & ad laudabilem eius vsum; virtus hoc modo capta est virtus Appetitiua sistens in voluntate.

11 *Præter Theologicas virtutes*, admittendas fore alias morales, est commune votum Doctorum, & prȩcipuè illas quatuor, quȩ Cardinales dicuntur, scilicet *Iustitia, Prudentia, Fortitudo, & Temperantia*. Non sufficere Theologicas virtutes ad vniuersalem hominis directionem, ex eo cõstat, quòd non solùm deficere homo possit in his, quæ ad eum spectãt, sed etiã in proprijs actibus, atq; in illis, quæ proximum respiciũt. Hinc fit, vt quemadmodum mãdata primæ tabulæ, quæ hominem regulant ad Deum, necessaria fuere pro moderanda humana conuersatione, ita præter Theologicas virtutes, quæ hominem perficiunt in his, quæ Dei sunt, necessariæ sunt Morales virtutes, quibus perficitur homo tàm respectù sui, quàm respectù proximi. Quamuis ferè innumeræ sint virtutes morales, illæ tamen reducuntur ad quatuor, qui numerus ex eo probatur sufficere, quòd homini, si cõsideretur respectù alterius, sufficiat Iustitia, qua vnicuique, quod suum est, tribuit, aut secũdùm Iustitiam punitiuam, aut permissiuam, aut commutatiuã, aut distributiuam. Si verò considerȩ-

sideretur respectù sui, cùm tria tantùm habeat regulanda, seu moderāda, scilicèt voluntatem, appetitum concupiscibilem, & appetitum irascibilem; sufficit ad moderandam voluntatem Prudentia, ad refrenandam concupiscentiam Temperantia, ad roborandum appetitum irascibilem Fortitudo. *Idem suadebit hæc ratio*. Quatuor sunt, quibus præcipuè indigemus: succurrere miseris, hoc præstat Iustitia: cauere ab insidijs, hoc facit Prudentia; abstinere ab immundis delectationibus, quod facit Tēperantia; expellere nocentes, quod prēstat Fortitudo. Hinc illæ quatuor virtutes dicuntur Cardinales, non quòd à Cardinalibus Eminentissimis nomen accepeperint (sunt enim illis antiquiores) sed à ianuarum cardinibus, vndè translata est metaphora, vt quemadmodū quatuor Cœli puncta præcipua ab Astrologis metaphoricè cardines Cœli appellantur, ita reliquarum virtutum cardines sint istæ quatuor, & in illis circumferatur, & rotetur vniuersa hominis vita.

12 *Ad Virtutem Theologicam* quatuor sunt necessaria (quantùm licet ex Scoto colligere in 3. d. 26. & ex S. Thoma prima secundæ q. 62. art. 2.) *Primum*, quòd illam esse, solùm constet ex Deo reuelante, & non ex lumine naturę, quomodo esse Fidem, Spem, Charitatem, constat per Diuinā reuelationem. *Secundum*, quòd Virtus Theologica habeat Deū pro regula suorum actuum, & Virtus Moralis habeat pro regula Prudentiā; Fides enim pro regula habet Deum reuelantem, & Spes, & Charitas similiter pro regula habent Fidem, ac proindè Deum ipsum: quia cum Fides sit de Deo obiectiuè, proindè qui vtitur Fide, tanquam regula, vtitur Deo. *Tertium*, quòd habeat Deum pro obiecto: aliæ enim Virtutes Morales habent pro obiecto res creatas, in quibus regendis, & moderādis versantur.

*Dices*. Theologia nostra habet Deum pro obiecto, etiam sub ratione Deitatis, vt docet *Scotus in prologo libri* 1. *sent*. & tamen non est virtus Theologica; alioquin essent quatuor virtutes Theologicæ: ergò habere Deum pro obiecto, nō est proprium virtutum Theologicarum.

13 *Respondeo* cum Caietano secunda secundæ q. 17. art. 5. quòd de Theologia possumus ratiocinari dupliciter, aut vt est in nobis viatoribus, aut prout est in Beatis. Si primo modo, propter duo non est virtus. *Primum*, quia actus proprius Fidei est assentire, & sic Fides tantùm perficit intellectum nostrum respectū actus assentiendi; at Theologia perficit intellectū respectū actus sciendi, qui duo importat, assensum scilicet, & euidentiam; actus ergo assentiendi redditur perfectus per Fidem; Fides enim

facit

facit intellectum firmiter,& certissimè assentire reuelatis à Deo, & cum Virtus sit dispositio perfecti ad optimum; ideò Fides est virtus; at actus sciendi non redditur perfectus ex scientia Theologiæ, quia Theologia in nobis non facit euidentiam, & sic non est virtus, cùm non sit dispositio perfecti ad optimum. *Secundum*, propter quod non est virtus Theologia, prouenit, quia non est circa Deum immediatè; cùm per manuductiones, & vestigia creaturarum Theologia aliquid de Deo concludat, iuxta illud *Pauli* ad Ro. 1. n. 20. *Inuisibilia Dei per ea, quæ facta sunt à creatura mundi intellecta conspiciũtur, sempiterna quoque eius virtus, & Diuinitas, &c.* At verò Fides immediatè tendit in Deum: præstat enim assensum reuelatis à Deo tantùm, quia Deus reuelauit. Si verò sit sermo de Theologia, prout est in Beatis; cùm in intellectu eorum faciat euidentiam eorum, quæ vident, probabiliter dici potest, quòd sit virtus Theologica. *Quòd si dicas*: ergo sũt quatuor virtutes Theologicæ. *Respondetur*, concedendo; & cùm à Sancto Paulo, & alijs tres tantùm dicuntur virtutes Theologicæ; sermonem faciunt de illis, quæ conueniunt statui viatorum. Restat ergo virtutem Theologicam expostulare Deum pro suo obiecto immediatè.

*Moralis virtus* illa dicitur, quę non versatur circa Deum, tanquàm obiectum materiale, & formale; quinimò illius finis intrinsecus minimè est Deus, sed aliquid creatum; nam licèt aliquãdo, vt ipsa moralis virtus sit meritoria, eam deceat suos in Deum actus referre; hoc tamen est à Charitate, cuius munus est morales virtutes ad Deum ordinare, quò fit, vt Deus, non finis intrinsecus moralis virtutis, sed extrinsecus sit.

14 *Vltra has virtutes* Theologicas, & morales, grauissimorum Doctorum sententia est, dandas fore virtutes medias, quæ aliqualem rationem Theologicæ, & moralis virtutis participent: Istæ sunt, quæ in aliquo conueniunt cum virtutibus Theologicis, & in alio cum moralibus; de istis participant hoc, quod est habere obiectum materiale, & formale quid creatum; de Theologicis participant hoc, quod est habere finem intrinsecum, Deum. Differunt tamen à virtutibus Theologicis, quia non habent Deum, vt obiectum materiale, & formale, quod est de ratione virtutis Theologicæ, sed solùm habent Deum finem intrinsecum suorum actuum. A virtutibus moralibus distinguuntur, quia non habent finem intrinsecum quid creatũ, quod est de ratione virtutis moralis, sed solùm habent obiectum materiale quid creatum, finem verò intrinsecum Deum. *Virtutes*

*mora-*

*morales* in duplici sunt differentia; aliæ enim ad ipsum habentem illas referuntur, illiquè soli vtiles sunt, vt Temperantia, & Fortitudo: aliæ autem ad alios ordinantur, & non solùm ad illas habentem: huiusmodi est iustitia. His stantibus tales pono propositiones.

## PROPOSITIO SECVNDA.

*Latria, accipiendo Latriam pro habitu ex actibus internis, & externis generato, est virtus moralis, & specialis, & collocatur inter partes iustitiæ potentialis.*

ITa habet *Scotus* dist. 9. in 1. art. Vide *Sanctum Thomã* secunda secundæ qu. 81. & eius expositores ibi.

15 *Quòd Latria sit virtus*, probo sic: omnis actus procedens ab electione, & cadens super debitam materiam cum debitis circumstantijs est actus virtutis: sed actus Latriæ sunt huiusmodi: ergo Latria est virtus. Maior est *Aristotelis* 2. *Eth.* & patet ex dictis supra de virtutibus. Minor probatur: actus enim Latriæ procedit ab electione, qua quis eligit exhibere Deo aliquem cultum: cadit etiam supra debitam materiam, siue exhibendo sacrificia, siue genuflexiones, siue orationes vocales: potest etiam hic actus habere debitas circumstantias finis, loci, & temporis: ergo Latria est virtus. *Secundò*. Leges, & præcepta non dantur, nisi de actibus virtutum (nam, teste Aristotele 2. Eth. finis Legislatoris est inducere homines ad virtutem); sed de Latria est præceptum, vt habet *Scotus* in 2. art. & patet Deut. 6. Matthæi 4. ergo est virtus. *Tertiò*. Arguo discursu Marsilij: virtus est bona qualitas mentis; qua rectè viuitur, & qua nemo malè vtitur; sed talis est Latria: ergo Latria est virtus. Maior est diffinitio virtutis, vt vidimus supra, & colligitur ex Aristotele 2. Eth. vbi ait, quòd virtus habentem perficit, & eius opus bonum reddit. Minor est clara: ergo, &c.

16 *Sit aliud argumentum*. Ex Aristotele 2. Eth. cap. 5. & 6. Virtus est habitus electiuus in mediocritate consistens; ita est Latria; nam ponit medium inter superfluum, & diminutum in-

ser-

seruitijs, quæ Deo exhibentur: ergo iure merito Latria sub catalogo virtutum continetur. *Hanc vltimam* nostram argumentationem impugnare possumus, ita dicendo. Nullus potest Deum superfluè colere, vt patet Ecclesiastici 43. n. 32. *Glorificantes Dominum quantumcumq; potueritis, superualebit adhùc & admirabilis magnificentia eius: benedicentes Dominum, exaltate illum quantùm potestis, maior enim est omni laude, &c.* ergo Latria non potest medium constituere inter superfluum, & diminutum. *Respondeo*, quòd medium inter aliqua potest dupliciter constitui; aut absolutè, & simpliciter ex parte rei, & tale non requiritur ad virtutem; aut in ordine ad nos, & ad rectam rationem, & ad capacitatem habentis virtutem, tale requiritur ad virtutem. Hinc licèt in cultu Dei non possit esse superfluum ex parte Dei, sicut ostenditur allata authoritate; potest tamen esse superfluum in ordine ad nos, vtpotè si quis exhiberet Deo excessiuũ ieiunium, aut immoderatas vigilias, quæ saluti essent nociuæ; quapropter dixit *Sanctus Paulus* Rom. 12. *Rationabile sit obsequiũ vestrum*. Restat ergo, Latriam dicendam fore virtutem.

17 *Latriam esse virtutem specialem*, probatur. Latria habet specialem materiam, circa quam versatur, & distinctam à materijs aliarum virtutum: ergo est virtus specialis. Antecedens patet; quia Latria versatur circa honores diuinos, circa quos nulla alia virtus negotiatur: ergo Latria est specialis virtus. *Secundò*, de Latria est speciale præceptum: ergo est specialis virtus.

*Obijcies nobis D. Augustinum* in Enchyridion cap. 14. & lib. 19. cap. 22. & 23. dicentem, Deum à nobis coli virtutibus, scilicèt Fide, Spe, & Charitate: ergo Latria non est specialis virtus ab alijs distincta. *Respondemus*, actus cuiuscumque virtutis esse duplices; alius est enim actus elicitus, alius imperatus. Elicitus dicitur is, qui immediatè efficitur à tali virtute, sicut Fidei actus elicitus est credere, & Charitatis amare. Actus imperatus est, qui non immediatè efficitur à tali virtute, vt martyrium, quod nõ est actus elicitus Fortitudinis, sed est actus imperatus Charitatis. Ita in proposito actus Fidei, Spei, & Charitatis possunt fieri in Dei cultum: sed tunc non sunt actus eliciti, sed actus imperati; sed Latria habet hos actus, tamquàm imperatos, per quos est specialis virtus.

18 *Latriam esse virtutem moralem* probatur. Suppono tamen priùs (vt iam notaui supra) differentiam inter virtutem moralem, & Theologicam: illa quippè respicit quidem Deum, tanquàm finem, non tamen, tanquàm obiectum. Theologica verò respicit Deum, tanquam obiectum; Fi-

des credit Deum; Spes sperat Deum, &c. hoc supposito, sic arguo. Latria non habet Deum pro obiecto immediato, sed potiùs cultum, qui Deo exhibetur: ergo non est virtus Theologica. *Secundò*. Latria est virtus de dictamine rectæ rationis; recta enim ratio dictat, quòd Deo est seruiendum, & obiectum eius est moraliter bonum (scilicet cultus in Deum) ergo & ipsa virtus moralis.

*Dices*. Actus Latriæ non sunt de dictamine rationis naturalis: ergo non est virtus moralis. Patet antecedens: nam cæremonias, sacrificia, & alia Deo offerre, quæ sunt actus Latriæ, non sunt de dictamine rationis, sed lege Diuina nobis præcepta: ergo, &c.

*Respondeo*, quòd de dictamine rectæ rationis est, quòd homo aliqua in communi faciat ad reuerentiam Diuinam, & aliqua exhibeat in recognitionem seruitutis Deo exhibitæ, & hoc pertinet ad virtutem Latriæ. At verò determinare illa, quæ debemus Deo exhibere, & in quo tempore, non est de dictamine rationis naturalis, sed de institutione iuris Diuini, vel humani, quibus determinatis, Latria vtitur eis pro materia.

19 *Latriam esse partem potentialem iustitiæ*, sic ostendo. Omnis virtus moralis, quæ ordinat hominem ad alium sub ratione debiti, spectat ad iustitiã: talis est Latria: ergo Latria est pars potentialis iustitiæ. Maior est certa; nam omnis virtus moralis, præter iustitiam, ordinat hominem ad se; & si liberalitas ordinat hominem ad alium, non ordinat sub ratione debiti. Minor etiam patet; nam Latria ordinat nos ad Deum sub ratione debiti: ergo, &c.

20 *Dixi in conclusione*, Latriam esse partem potentialem iustitię, non subiectiuam; nam iustitiæ aliæ sunt partes subiectiuæ, & tales sunt species iustitiæ, quæ directè sub ipsa continentur, & perfectam iustitiæ rationem sortiuntur, vt sunt iustitia distributiua, & commutatiua. Aliæ sunt partes potentiales, quæ sub iustitia directè non continentur, eo quòd non habent perfectam rationem iustitiæ: nam, cùm tria importentur in ratione iustitiæ. *Primum*, quòd sit virtus ad alterum. *Secundum*, quòd ordinet ad alterum sub ratione debiti. *Tertium*, quòd reddat æquale. Hinc virtus, quæ aliquam istarum cõditionum non habet, dicitur pars potentialis iustitiæ. Vndè, quia liberalitas non ordinat hominem ad alterum sub ratione debiti, ideò dicitur pars potentialis eius. Similiter Latria propter defectum tertij, licèt hoc sit accidentale in Latria, non ex defectu suæ rationis formalis, ipsa enim sufficiens est ex parte sua ad inclinandos homines ad cõdignos cultus Deo exhibendos;

sed

ſed defectus eſt ex parte materiæ; nihil enim eſt in nobis, quod ſit condignum infinitæ Dei Maieſtati; atque hinc Latria nõ ſeruat æqualitatem; & *Ariſtoteles* dixit 5. Eth. quòd *Dijs, Parentibus, atque Magiſtris non poſſumus reddere æquale.* Et *Eccleſiaſt.* 43. *v.* 32. *Benedicentes Dominũ, exaltate illum, quantùm poteſtis; maior eſt enim omni laude.*

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Latria inter omnes virtutes morales eſt præſtantior.*

21 ITa *Ricc.* in 3. d. 9. q. 5. *Probatur primò*, quia hæc virtus primo præcepto Decalogi commendatur: ergo eſt inter omnes virtutes prima. *Secundò.* Latria immediatiùs contingit Deum, quàm quælibet alia virtus moralis; verſatur enim circa cultus Deo exhibendos: & ex *S. Auguſtino* 10. *de Ciuit. cap.* 18. Summum bonum eſt Deo cohęrere: ergo iure merito Latria inter omnes virtutes morales pręſtantiorem locum obtinet.

*Dices.* Humilitas videtur ſuperior Latria; de ipſa namque ait *Chriſtus Matthæi* 14. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Et *Lucæ* 14. dicitur: *Omnis, qui ſe humiliat, exaltabitur.* *Reſpondeo cum Riccar.* loco cit. Humilitatem eſſe maximam in ſtatu incipientium in vita Chriſtiana, abſolutè tamen, & in ſtatu proficientium Latria eſt maxima.

22 *Replicabis, Ariſtotelem* 5. Eth. cap. 3. docere, iuſtitiam eſſe omnium virtutum præſtãtiſſimam. *Reſpondetur primò*, Ariſtotelem loqui de iuſticia in vniuerſali, vt complectitur omnes virtutes, & dirigit operationes aliarum virtutum ad commune bonum, nõ tamen de iuſtitia in particulari. Quòd, ſi de particulari iuſtitia fiat ſermo. *Dico ſecundò*, quòd comparata ad alias virtutes, quæ ad proximum ordinant, eſt præſtantiſſima, cùm hoc tamen ſtat, quod Latria, quæ ordinat Deum, ſit ipſa præſtantior, & ſimul cum hoc habet, quòd ſit pars iuſtitiæ.

*Dices* etiam contra nos, *Ariſtotelem* 4. Eth. de magnanimitate dicere, eam omnium virtutum eſſe ornamentum: ergo Latria non eſt omnibus præſtantior. *Reſpondeo.* Ariſtotelem eſſe locutum de magnanimitate non per ſe, ſed coniuncta cum alijs virtutibus, quibus vtitur; ſi verò per ſe conſideretur, non eſt præſtantior Latria.

# PARAGRAPHVS PRIMVS.

## *An Deus sit adorandus, & qua adoratione?*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Est præceptum homini datum de adorando Deo, à cuius obligatione eximi potest nemo.*

23 PRæceptum esse homini de adorando Deo, docent nos sacræ Paginæ nō solùm implicitè in primo Decalogi præcepto: *Nō habebis Deos alienos coram me*; in quo includitur affirmatiuum præceptum de colendo Deo: nam propterea reijciũtur falsi Dei, vt soli vero Deo reddatur adoratio: sed etiam explicitè. Deut. 6. & ex renouatione Christi Matth. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* In isto præcepto notanda est coniunctio adorationis, & seruitutis, quæ propterea coniunguntur, vt denotetur vera adoratio; seruire enim multò magis est, quā adorare; nam colimus, & adoramus etiam alienos, quibus non subijcimur ad seruiendum: seruit autem nemo, nisi Domino suo; seruus enim dicitur, qui sic subijcitur alienæ voluntati, vt obedientem, & obsequentem esse oporteat. Hinc præcipitur adoratio cum seruitute exhibenda: quia sumus nos, & nostra Dei iure creationis, iure naturæ, iure adoptionis, titulo meri Dominij, titulo possessionis antiquæ, titulo emptionis, titulo insuper plusquam iustæ commutationis: commutauit enim Vnigeniti sui mortem pro vita nostra.


24 *Dari præceptum adorationis Dei suadet Scotus* in 3. d. 9. §. *de secundo articulo*, dicens: *Rationabile enim est, creaturam intellectualem obligari ad aliquando recognoscendum, & reuerendum summum Dominum suum.* Præceptum adorationis est affirmatiuum, quatenus præceptum est, obligat, sed quatenus affirmatiuum, nō obligat pro semper, obligat nihilominus ad semper, idest, non obligamur ad incessanter, & semper pro omni tempore eliciendum actum adorationis; tamen obligamur pro omni momento ad non faciendum contra præceptum adorationis, idest, ad non fa-

faciendam aliquam irreuerentiam Deo.

25 *Hic quæritur*: quo tempore teneatur homo obedire huic præcepto? *Scotus* in 3. d.9. §. de secundo art. dicit, quòd tempore legis mosaycæ obligabat die sabbati iuxta id: *Sabbatum sanctifica*. In rebus dubijs, de quibus nihil apertè habet sacra Pagina, audire debemus Ecclesiā Matrem, quæ, cùm didicerit à Spiritu sancto, sanctificandum sabbati diem, & illis diebus colendum Deum, in quibus peculiare beneficium hominis concessum constat: statuit diebus Dominicis, & alijs diebus festiuis teneri fideles ad adimpletionem mandati de adorādo Deū: vndè, & his diebus præcipiuntur interesse sacrificio Missæ, in quo solus Deus adoratur.

*Dices*: ergo si quis per totam vitam impediretur ab audiendo sacro, v.g. si semper infirmus, ille nunquàm teneretur ad adorandum Deum. *Concederem ego*. *Dices*, esse contra Scotum dicentem, esse necessarium aliquem actum æquiualentem. *Respondeo*, Scotum loqui de necessitate cōgruentiæ tantùm. Ita Ouandus, Angles; vide Cauellum in scholio ad §. de secundo.

26 *Petes*: quæ sit ratio, ob quam Deo exhibeatur Latria? *Scotus* hic lit. F. duas refert opiniones probabiles. *Prima*, quòd Latria debetur Deo propter bonitatem nobis communicatam tam per creationem, quàm per redemptionem; ita quod si per impossibile essent duo dij, quorum vnus crearet nos, alter minimè: ille esset adorandus Latria, hic autem non; hoc est, quòd alijs verbis solet dici, scilicet ratione summi dominij deberi Deo Latriam, eò quod per creationem est Dominus omnium creaturarum. *Secunda opinio* asserit, quòd Deo debetur Latria ratione suæ intrinsecæ bonitatis, itaut si per impossibile non creasset nos, foret etiam tali cultu adorandus. *Veritatem accipe* à subsequentibus.



PRO-

# PROPOSITIO VNICA.

*Deus, vt supremus Dominus, vt suprema, & prima causa, ac principium rerum omnium, vt Artifex infinitæ sapientiæ, & potentiæ, vt est infinitum bonum, à quo nos omnia bona speramus, vt est supremus benefactor, grandia in nos quotidie beneficia referens, & secundùm plures alias supremas perfectiones, quas in se includit, adorandus est adoratione Latriæ.*

27 PRopositio ista est cõmunis, & omnes ferè eius particulæ *ex Damasceno oratione* 3. *de Imaginibus* desumptæ sunt. Ratio autem est: quia Deus cum omnibus istis rationibus consideratus, infinita est ditatus excellentia, cui nihil deest, vt sit obiectum motiuum, & terminatiuum cultus Latriæ.

*Dices*. Beneficia nobis collata clauduntur sub ente finito: ergo excellentia Benefactoris minimè satis erit ad Latriæ adorationem terminandam: cùm hæc propter solam infinitam excellentiam debeatur. *Oppones* etiam nobis *Augustinum qu.* 34. *in Exodum* (vt refert *S. Thomas* hìc qu. 25.) docentem, *Deo, vt Deo, deberi Latriam, vt autem Domino Duliam*: ergo titulo dominij minimè correspondet adoratio Latriæ, sed Duliæ. *Adest etiam* ratio contra nos: quòd sit titulus specialis; ex quo sequitur, quod titulo etiam benefactoris non respondet, nisi Dulia: cùm sit titulus temporalis.

*Respondetur*, negando consequentiã, pro quo aduerte, quòd quando Deum adoramus propter beneficiũ aliquod, v. g. creationis, nos non habere ipsum beneficium, nisi tãquam motiuum, quo excitamur ad cultũ Dei, qui ex se independenter à beneficijs exhibitis nobis gaudet excellentia infinita, cultu Latriæ digna, hoc etiam modo possumus adorare Deum, quia ipsum offendimus, non quòd per ordinem ad nostra peccata sit desumenda Diuina excellẽtia, sicut nec etiã, quòd nostrorum peccatorum intuitus sit ratio motiua proxima

ma adorationis, ſed quòd mouent nos,quaſi remotè,vt in aliquam ſatisfactionem adoremus illum, quem offendimus, & ſic remotè tantùm concurrunt, & eodem modo concurrunt beneficia, mouendo nos,vt in gratiarum actionem adoremus noſtrũ Benefactorem, huius tamen excellentia, Latriæ digna, ſupponitur.

28 *Ad Auguſtinum* dico, ipſum intelligendum eſſe non de Dulia ſpecifica, quæ tribuitur ſanctis, & quæ dicit imperfectionem, & limitationem,ſed de Dulia communiter ſumpta, prout dicit ſolam perfectionem poſitiuã, ſcilicet cultum exhibitum à ſeruis Domino ratione dominij, qui cultus poteſt exhiberi Deo, vt Dominus eſt, & hunc cultum, docet *Auguſtinus*,in hoc à Latria diſtingui, quòd Latria habeat pro termino Maieſtatem, & excellentiam Diuinam;Dulia verò ſolum dominium: quæ differentia ſumi poteſt ex Etymologia nominum:quippè ad aures Gręcę linguę peritorum Dulia ſuam habet originem à verbo Græco, *Daluio*, quòd eſt ſeruire, vnde ad dominium referri videtur, Latria verò ab alio verbo Græco, quod refertur, & explicat infinitæ Maieſtati Dei reuerentiam debitam.

*Dices*.Latria,cùm contineatur ſub Iuſtitia, debet Deo exhiberi ratione debiti: ſed nos ſumus Deo debitores ratione redemptionis, & creationis, per quæ Deus ſuam nobis bonitatem cõmunicauit: ergo, his ablatis rationibus, cum nos non obligemur Deo,non erit tali adoratione adorandus.

*Reſpondeo*, eſſe duplex debitum, *debitum commodi*, quo quis alicui eſt adſtrictus propter cõmodum ab illo reportatum, & eſt *debitum iuſti*, quo quis alicui eſt ſubiectus propter excellentiã, quæ eſt in illo; hac ratione ſapientes habent dominium ſuper barbaros, & feros omnes; & hoc pacto nos debemus Deo reuerẽtiam, & cultũ propter ſummam bonitatem, qua in infinitum nos exuperat, quòd eſt debitum iuſti, licèt non commodi.

29 Petes. *An proprietatibus perſonalibus; quibus Perſonæ Diuinæ cõſtituuntur, conſiderando illas præciſas ab eſſentia, debeatur Latria. Videtur. quòd non*: quia, formaliter loquendo, non ſunt Deus, nec bonum aliquod infinitum. Nihilhominus

*Dicendum eſt, quòd proprietatibus perſonalibus, quibus Perſonæ Diuinæ conſtituuntur, debetur adoratio Latriæ.* Probatur authoritate Eccleſiæ in præfatione Trinitatis, vbi dicitur, *Vt in confeſſione veræ ſempiternæq; Deitatis, & in perſonis proprietas, & in eſſentia vnitas, & in maieſtate adoretur æqualitas &c. Accedat argumentũ.* Humanitas Chriſti,licèt ſit quid creatum, & realiter diſtinctum à Diuinitate; nihilominus, quia con-

coniuncta est ibi hypostaticè, adoratur Latria: ergo multò magis personales proprietates, quæ non sunt creaturæ; nec realiter distinguuntur ab essentia Diuina.

## PARAGRAPHVS SECVNDVS.

### *An Christi humanitas adoranda sit, & qua adoratione?*

30 VNiuersa docet Theologia, Deum solum esse adorandum adoratione Latriæ primariò, directè, & per se, qui modus nulli alteri concedi debet. Modus iste peculiaris in hoc consistit, quòd in Deo solo reperiantur materiale, & formale adorationis, scilicet Deum esse id, *quod* est, & id *quo* est adorandum. Materiale, seù *quod* adorationis in Deo, est Deus ipse, formale, & *quo* adorationis in Deo, est infinitudo suæ potentiæ, bonitatis, atq; maiestatis. Si quid extra Deum adoretur; potest quidem esse materiale; & *quod* adorationis, sed tamen non habet *quo*, seù formale adorationis, sed à Deo mutuatur. Res patebit exēplis in adoratione Ciuili. Rex solus in suo Regno, est materiale, & formale, & vt *quòd*, & vt *quo* suæ venerationis; veneratur Rex primariò, & per se, & directè: Regia purpura, diadema, sceptrum sunt in honore, & ejs defertur Regia adoratio, & tamen non habent *quo*, seu formalem rationem adorationis, quātum est ex se, sed eam mutuantur ex Regia dignitate. Simili modo in adoratione Latriæ adoramus solum Deum, vt *quod* & vt *quo*, vt materiale, & formale. Christum fore adorandum, Catholicus negabit nemo; ita docente sacra Pagina; hinc *in Apocalypsi* 14. Agnus, qui personam Christi repræsentabat, adoratur. *Ad Philipp.* 2. *In nomine Iesu omne genuflectatur*. *Psalmo* 96. *Et adorent eum omnes Angeli Dei*; qui locus de Christo communiter interpretatur. *Matthæi* 2. Magi adorauerunt Christum. *Matth.* 28. Maria Magdalena adorauit Christum, & *Genesis* 37. dicitur, Iosephus somniasse, quòd manipulus eius erat erectus, & adorabatur ab alijs manipulis fratrum suorum; similiter Sol, & Luna, & vndecim stellæ adorabant eum. Ista somnia *D. Ambrosius* in libro de Iosepho Patriarcha dicit, completa fuisse in Christo, qui fuit à discipulis, & à Ioseph, & Maria adoratus.

Tan-

Tandem est determinatio *Concilij Tridentini sess.13.cap.5.* vbi pluribus locis sacræ Scripturæ probat, Christum in Sacramẽto Eucharistiæ esse adorandum.

31 *Tota difficultas est*, de Christi humanitate, quæ potest dupliciter considerari. Vno modo, inquantùm est coniuncta Diuinitati; alio modo per se absolutè sumpta, & à Diuinitate separata, non abstractione diuisiua, sed solùm præcisiua,

*Gabriel in 3.d.9 q.1.art.2.cõclus.3.* asserit, humanitatẽ Christi, etiã inquantùm coniuncta est Diuinę personæ, non esse adorandam Latria propria, sed largè, & impropriè dicta; Vndè imaginatur, nescio, quam distinctionem Latriæ in propriam, & impropriã: illam putat esse adorationẽ, quę Deo debetur ratione excellẽtiæ increatę; hanc verò esse adorationẽ, quæ exhibetur alijs à Deo; quia coniunctionẽ habẽt cũ illo; hac adoratione, dicit, esse adorandam Christi humanitatem. Probat suam sententiam. *Primò*, quia humanitas Christi est pura creatura: ergo non debetur sibi adoratio Latriæ propriæ, quæ soli Creatori est exhibenda. *Secundò.* Humanitas Christi est ratio, propter quam Christo solùm debetur Hyperdulia; ergo ipsa non est adoranda Latria.

*Quid nobis verius videatur*, docebunt, quæ subsequuntur propositiones. *Sed priùs notandum*, quod in Christo est duplex ratio adorationis: quòd patet, quoniam in Christo est duplex natura, & vtraque habet peculiarem rationem adorationis: quippè vnaquæq; sua propria est ditata excellentia, ergo &c. *Sit igitur.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Christus vnica solùm adoratione est adorandus.*

32 PRæsentem propositionem intelligo non de vnitate æqualitatis, scilicet, quòd vna specie adorationis, videlicet, Latria, & Dulia sit adorandus. Loquor ergo de vnitate numerica.

*Propositionem probo* 1. ex determinatione *Concilij Ephesini* Can. 8. vbi dicitur: *Si quis audeat dicere, assumptum hominem non coadorandum Dei Verbo, & non potiùs vnica adoratione honorificat Emanuelem, secundùm quod factum est caro Verbum, Anathema sit.* Item *in 5. Synodo generali* (quæ est secunda Constantij &c.) can. 9. dicitur: *Si quis non vna adoratione Deum Verbum Incarnatum cum propria ipsius carne adorat, sicut ab initio Dei Ecclesiæ traditũ est, anathema sit.*

*Probat propositionem nostrã D.* Tho-

*Thomas* 3.p.q.25. art.1. Adoratio terminatur ad naturam humanam personatā: sed in Christo est tantùm vna persona: ergo vnica sola adoratione numerica adorandus est Christus.

*Sit altera ratio*. Quando aliquem oramus, vel adoramus, semper damus illi id, quod honorificentissimum est, & id, quod pretiosissimum esse recognoscimus: sed in Christo præstantissimum est esse Deum ratione Diuinæ personæ: ergo vnica adoratione Latriæ debet adorari. *Accedit*, quòd si duabus adorationibus adoraretur, redderetur facilis via coincidendi cum Nestorio dicente, Christo deberi ratione duarum personarum duas adorationes.

33 *Summa huius propositionis est*, quam assignat Gregorius de Valentia *in* 1. *disp*. 1. *q*. 24. *puncto* 1. Nàm Christi humanitas licèt adoretur Latria, non tamen eo modo, quo eius Verbum, vel Diuinitas: quippè his debetur Latria per se, illi verò tantùm per aliud, nàm genus honoris ei tribuitur per se, cui per se conuenit excellentia significata per illum honorem, siue habeat eam excellentiam, tanquā *quod*, scilicet, tanquam personam, siuè tanquam *quo*, quia est causa habendi illam, quo modo se habet Diuinitas, & suppositum Verbi; per aliud verò illa res adoratur, in qua tantum secundùm aliquem peculiarem modum, vel habitudinem est, & esse cogitatur res altera ita excellens, cui per se debebatur ille honor; & hoc modo se habet humanitas Christi: nàm verbum Diuinum singulari quodam modo, & habitudine est in natura illa propter hypostaticam vnionem. Hoc nulla Idolatria est, cum Idolatria sit genus honoris; quod per se debetur Deo, & per se tribuitur creaturæ. Quod nos non dicimus; & hoc tantùm concludit argumentum Gabrielis n.31. suprapositum.

34 *Humanitatem Christi* hoc modo adorandam esse asserunt *Sācti Patres*, vtpotè *Damascenus* lib. 4. cap. 3. & *Cassiodorus* super illud Psalmi: *Adorate scabellum pedum eius &c.* & ante ipsum *Augustinus* super eundem Psalmum, & serm. 58. de verbis Domini in fine, vbi hāc difficultatem explicat his verbis. *Replicabunt* (*scilicet Ariani*) *& dicent: quid quod carnem eius, quam creaturam esse non negat, simul cum Diuinitate adoras, atq; ei non minùs; quàm Diuinitati deseruis? Ego* (subdit) *Dominicam carnem, imò perfectam Christi humanitatem, ideo adoro; quòd à Diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non ad alium, atque alium, sed vnum, eumdemq; Deum, & hominem Dei filium cōfiteor*. Denique si hominem separaueris à Deo, (vt Photinus, & Paulus Sammosathenus) illi ego nunquam credo, aut seruio; veluti si quis nostrum, aut purpurā,

aut

aut diadema Regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? Cum verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit. Ita & in Christo Domino humanitatem nō solam, aut nudam, sed Diuinitati suæ vnitam, vnum Dei filium, Deum verum, & hominem verum, qui adorare cōtempserit, æternæ mortis pœnā patietur.

35 *Petes*. An Christus adoretur vnica tantùm adoratione propter vsum, & consuetudinem Ecclesiæ, quæ hoc facto cauet ab hæresi Nestorij, sed aliàs sit duplici adoratione adorandus, puta Latria ratione Diuinitatis, & hyperdulia ratione humanitatis; an potiùs absolutè, & simpliciter solùm vna illi exhiberi possit adoratio?

*Respondeo*. Aliqui sunt, quibus placet, quòd absolutè, & simpliciter, & non solùm propter authoritatem Ecclesiæ, vna sola adoratio sit Christo exhibenda. Horum fundamentum est; quia, licèt in Christo sit duplex ratio adorationis; tamen cum solùm sit vna persona subsistēs, & adoratio debeat terminari ad subsistens; propterea est, quòd adoratio Hyperduliæ, quæ debetur Christo ratione humanitatis, suspenditur, & solum Latria Christus adoratur.

36 *Alijs verò, vtpotè Caietano, Valentiæ*, & alijs visum est probabile, quòd solū ex vsu Ecclesię hoc sit; aliter humanitas, & Diuinitas simpliciter, & absolutè duabus adorationibus possunt adorari, cum hac distinctione per se, & per accidēs. Humanitas enim per se potest adorari Hyperdulia, & per accidens Latria ratione Diuinitatis. Similiter Diuinitas per se potest adorari Latria, & per aliud Hyperdulia, scilicet ratione humanitatis. Sed hoc non licet ob authoritatem, & vsum contrarium Ecclesiæ ad euitandum errorem Nestorij. *Ista opinio* mihi magis placet, eamq; confirmo ex mente *Diui Ambrosij* latissimè explicatam à *Thoma Valdensi* in lib. de Sacramentis cap. 25. ait enim in lib. 13. cap. 11. super illud Psalmi: *Et adorent eum omnes Angeli eius. Adorent autem non solùm Diuinitatem eius, sed scabellum pedum eius, quod iam sanctum est. Aut si negent, quòd in Christo etiam Incarnationis mysteria adoranda sint, in quibus vestigia Diuinitatis expressa, & vias quasdam Verbi cœlestis aduertimus, negant, quòd Apostoli adorabant eum in carnis gloria resurgentem, scilicet carnem resurgētem in gloria &c.* Argumentum oppositæ sententiæ nobis non nocet: quippè nos vestigia Scoti sequentes, dicimus, non solùm adorari subsistens, verùm etiam existens, qualis est natura humana.

# PROPOSITIO SECVNDA:

## *Christi Humanitas adoranda est adoratione Latria.*

37 OMnium Catholicorum commune est votum hac in propositione. Clarè enim habetur apud *Damascenum lib.* 3. *cap.* 8. *& Augustinum de verbis Domini sermone* 58. *Hieronymum*, *& Cassiodorum* super illud Psalmi: *Adorate scabellum pedum eius*, & *Ambrosium in libro de dispensatione Verbi Incarnati*. Videatur *magister* in hac distinctione.

*Propositio nostra probatur*: *Primò* ex communi vsu Ecclesiæ, quæ Christi corpus, & sanguinē contentum in Eucharistia adorat Latria; vt patet ex illis verbis, quæ à suscipientibus Sacramentum dicuntur: *Domine non sum dignus &c.* Cōfirmatur. Nàm in orationibus Ecclesia non dicit ad Christum: *ora pro me*, sed *miserere nobis*. Secūdò probatur. Adorare humanitatem Verbo coniunctam, est adorare Verbū in carne: sed Verbum debet adorari Latria: ergo & humanitas.

*Ad pleniorem intelligentiam duo obseruo ex D. Thoma & alijs*; *Primum*, quòd in eo, quod adoratur, cōsideranda sunt duo, *quod* scilicèt, & *quo*. *Quod* est illud, cui honor exhibetur, & hoc dicitur per se primò, & simpliciter adorari. *Quo* est causa, seu ratio, cur alicui honor exhibetur; & hæc non propriè, & absolutè adoratur, sed cum tali determinatione, & conditione diminuente, neque enim propriè Iustitia, & Sapientia honoratur, sed tantùm abusiuè, & impropriè. *Secundum* est, quòd id, quod adoratur, vt terminus, scilicet *quod* est duplex; aliud est quod principaliter, & per se ipsum adoratur; aliud, quod non sic, sed per aliud in ipso, vt vestis, & manus, & pes alicuius, et talis est humanitas.

*Accedat aliud argumentum* pro nostra propositione: *Ex Trid. sess.* 13 *cap.* 5 *can.* 6. habetur, Eucharistię Sacramentum propter præsentiam ad Diuinitatē adorandum esse Latria: sed Deitas est magis præsens humanitati Christi ob vnionem hypostaticam: ergo humanitas est adoranda Latria.

38 *Dices contra nos*. Patres in hac re explicanda vtuntur exemplo Purpuræ Regis: at Purpura Regis tantùm per accidens adoratur: ergo et humanitas. *Dicimus*; exemplum non in toto quadrare; nàm purpura per accidens vnitur Regi, humanitas verò per se vnitur supposito, in quo

subsi-

subsistit. Patres ergo argumentantur à minori ad maius, estq; sensus illorum, quòd quemadmodum purpura ob connexionem ad Regē ea, qua Rex, adoratur adoratione; à fortiori humanitas supposito Verbi vnita ea, qua Verbum, adorari debet adoratione.

*Replicabis.* Latria soli Deo debetur: sed Christus, inquantùm homo, reduplicatiuè non est Deus: ergo humanitati minimè est debita Latria. *Debilis est hic discursus,* & de facili retorquibilis in aduersarios. *Sit ergo hoc argumentum.* Teste Tridentino cit. Eucharistiæ Sacramentum adoratur Latria, & tamen est quid creatum, cum consistat in speciebus consecratis: ergo &c. *Respondemus ergo ad argumentum,* humanitatem inde Latria adorandam esse, quia hypostaticè est vnita Verbo, vt longo sermone iteratis vicibus obseruauimus.

39 *Replicabis.* Licèt humanitas sit vnita Verbo, non tamen eo amore amatur, quo Deus: ergò à paritate, etsi humanitas sit vnita Verbo, non adoratur adoratione, qua Verbum. Antecedens probatur ex eo: quia, charitas virtus Theologica cum sit, habere nequit pro obiecto creatum aliquod, quale est humanitas. *Antecedēte negato,* dicimus, amari humanitatem eo amore, quo amatur Deus; rectè ergo adorabitur adoratione Latriæ, sicut Verbum: Nec vigorem aliquē habet contra nos id, quod assumitur de virtutis Theologicæ obiecto: quippè aimus, Theologicarum virtutnm conceptum incolumem remanere, si illarum primarium obiectum sit aliquod increatum, etsi adiunctum habeat, & sit vnitum quid creatū: *Adde,* propositionem illam, in qua dicitur, Latriam esse debitam soli Deo, admittere distinctionem; si faciat istum sensum: Sola excellentia Diuina est ratio formalis motiua adorationis Latriæ, concedimus illam; si dicat, adorationem terminari non posse ad aliquod Deo vnitum, illam negamus.

*Replicabis.* Multa vniuntur Regi, quæ nullo modo adorantur, v. g. ignorantia, peccatum, &c. ergo non benè concludimus adorationem humanitatis, ob istius ad verbum vnionem. *Friuola argumentatio*; quia ignorantia, peccatum, &c. Regis excellentiam minimè participant, humanitas autem ita.

40 *Sit aliud argumentum.* Angelus adorans, vel adorat eadem adoratione, qua adorabat Deum ante Incarnationem, vel diuersa: non eadem: etenim eadem stante adoratione, & idem adoratum stare necesse est; non diuersa, quia tunc humanitas, non ea, qua Deus, adoraretur adoratione.

*Respondetur,* esse eūdem actum in specie, scilicet procedentem

ab

ab eodem motiuo formali, nimirum ab excellentia Dei, est tamen alius, & distinctus materialiter. *Si placet dic*, quòd est idem formaliter, scilicet ab eodem motiuo formali, extensus tamen de nouo ad nouum materiale, videlicet ad humanitatem de nouo vnitam.

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Humanitas considerata sinè Deitate cum sola sua summa gratia, & gloria creata Hyperdulia adoratione adoranda est.*

41 PRopositionis veritas indè fit clara: quia humanitas Christi habet summum gradum gratiæ, & gloriæ, quæ omnia sufficiunt ad adorationem Hyperduliæ. Reliqua petantur à Scoto hìc: *Scitum tamen volo,* quòd si humanitas cogitatione separaretur à Verbo, non foret adoranda Latria: quippè in ea tunc non foret excellentia increata, & suprema, cui necessariò comes est Latria.

# PARAGRAPHVS TERTIVS.

## *An Sancti, & Beata Virgo adorandi sint, & qua adoratione?*

42 IAm supra notaui quatuor adorationis species. Prima soli Deo debita est, & hanc Patres, & Ecclesia vocant Latriam. Secunda est ciuilis debita mortalibus, vt Principibus, viris doctis, parentibus, &c. Tertia appellatur Hyperdulia. Quarta tandem dicitur Dulia.

*Fuit hæresis Caluini*, qui omnem cultum Sanctis dicebat esse negandum: Fuit in hac parte deterior *Vuicleph*, qui vt refert *Thomas Vualdensis in libro de Sacramentalibus titulo* 13. *cap.* 108. non omnem honorem Sanctis auferebat, sed aiebat, illos qualitercumque esse adorandos, negabat tamen illos maximos honores, quos Ecclesia præstat Sanctis,

ctis, esse licitos. *Caluinus* suam probabat sententiam ex illo Timothei 1. *Soli Deo honor, & gloria*. Lucæ 1. *Gloria in excelsis Deo*. Matthæi 4. *Dominum Deum tuũ adorabis, & illi soli seruies*. Addebat ille, quòd si Catholici ex adductis authoritatibus dicãt, solùm colligi, negandam Sanctis Latriam, quæ soli Deo est propria; vrgebat ipse Caluinus ex D. Paulo ad Galathas 4. nu. 8. *Tunc quidem ignorantes Deum, ijs, qui natura non sunt Dij, seruiebatis, &c.* Ex quo loco (*dicebat Caluinus*) damnatur seruitus Duliæ, vt patet ex textu Græco: ergo nec Duliam licet alijs exhibere. *Sed ad hæc Caluini fiet satis nu.* 48.

*Nostra opinio est*, Angelis, Sanctis, & Virgini matri deberi cultum Diuino minorem, sed maiorem ciuili, & purè humano. Hinc do subsequentes propositiones.

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Sancti, & præcipuè Beata Virgo Mater, sunt à nobis adorandi, & colendi; verùm non Latria.*

43 FVndatur primæ partis huius nostræ propositionis veritas in Concilijs, in quibus de fide determinatur. Vide *in Concilio Lateranensi* sub Innocentio 3. *In Concilio Constantiensi* contra Vuicleph. *In Concilio Trid.* sess. 25. *Secundò* probatur ex Sanctis Patribus, *Augustino* in ser. Petri, & Pauli in illa verba Christi. *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit. Damasc. lib. 3. cap.* 7. vbi ait, honorandos esse Sanctos, & amicos Christi, & hæredes, & filios Dei, vt ait Ioannes. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri. Tertiò* probatur ratione. Quos Deus honorat, nos etiam debemus honorare: sed sic sunt Sancti: ergo, &c. minor patet ex 1. *Regum* 2. *Qui honorificauerit me, honorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles*. Psalmo: *Nimis honorati sunt amici tui Deus*. Matthæi 19. *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam possidebitis*. Lucæ 22. *Ego dispono vobis Regnum*. Et inferiùs: *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus &c.* igitur.

44 *Secunda pars* facillimo negotio probatur. *Primò*, quia puræ creaturæ non adorantur Latria. *Secundò*, quia si humanitas Christi à Verbo separaretur, non esset adoranda Latria, vt supra demon-

monstraui nu. 41. Et eam docet *S. Augustinus sermone 56. de Verbis Domini*, ita dicens: *Si bonitatem separaueris à Deo, illi nūquàm seruio* (intellige Latria): ergo à fortiori nec Sanctus vllus, nec Virgo Mater adoranda est Latria.

# PROPOSITIO SECVNDA.

*Beata Virgo non adoratur Latria propter periculum, quia, cùm sit intellectualis natura, posset quis existimare, quòd talis adoratio sibi daretur propter seipsam, tamen absolutè, & simpliciter est adorabilis Latria.*

45 EST contra *Victorium*, & aliquos Recentiores; fauet tamen nobis *Valentia 3. p. disp. 1. qu. 24. puncto 3. Probatur primò*, quia humanitas Christi adorabilis est Latria propter cōiunctionē cum Verbo: ergo à simili adorabilis Beata Virgo propter arctissimam coniunctionem cum filio: cùm illud corpus fuerit desumptum ex Virgine: *Secundò*. Crux, in qua Christus pependit, est adoranda Latria non solùm ratione repræsentationis, sed ratione contactus: ergo à fortiori Beata Virgo, quę arctiùs, & intimiùs tetigit Christum ipsum lactando, exteriùs, & interiùs nutriendo. *Tertiò*. Imago Christi adoratur Latria, quia repræsentat Christum: sed Beata Virgo etiam est talis: ergo &c. *Quartò* non minor honor debetur Matri, quàm Filio: Christo Filio debetur Latria: ergo etiam Virgini Matri.

46 *Nostram secundam rationem impugnant.* Aiunt enim, quòd licèt Virgo Mater tetigerit Christum; tamen ex illo contactu resultauit in Virgine quædam virtutis excellentia; quæ est virtus creata, & cùm sit creata, non potest esse ratio adorationis Latriæ. In Cruce verò non remansit aliqua virtus creata ex contactu ad Christum, quia eius non erat capax, sed solùm remansit relatio ad Christum tangentem, & ideò ei debetur Latria.

*Sed hoc non valet*; nam si in Cruce ex contactu remansit relatio, vt possit adorari Latria; cur in Virgine non etiam remāsit ex contactu talis relatio, vt etiam posset adorari Latria? *Secundò*, si Deus impediret, nè resultaret in Virgine illa virtutis excel-

excellentia; remanet in illa ex contactu talis relatio ad Christum, quæ est ratio, cur Cruci debeatur Latria: ergo, &c. *Adde*, quòd gratis, & sinè fundamento dicitur, aliquam virtutem excellentiæ per modum habitus relictam esse in Virgine ex contactu.

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Beata Virgo Maria adoranda est Hyperdulia, minore tamen ea, quæ debetur humanitati Christi separata.*

47 PRima pars est clara. Nam singulari priuilegio maternitatis Dei omnes antecellit puras creaturas, & omnibus Sãctis gratia supereminet: ergo aliqua speciali adoratione adoranda, adeòque hyperdulia. Secunda pars etiam patet ob maiorem dignitatem excellentiæ humanitatis Christi; cui sinè mensura datæ sunt gratiæ; vndè maior honor illi debetur, ac Virgini Beatæ.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Omnes Sancti sunt adorandi Dulia.*

48 NVlla vrget ratio difficultandi contra hanc propositionem, cuius veritas sufficientissimè restat probata ex superiùs dictis. Hinc, vt occurramus argumentis Caluini n. 42. Ad primum Sancti Pauli obijciendus est alius locus eiusdem *Pauli* ad Rom. 2. nu. 10. vbi ait: *Gloria, & bonor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco*. Hinc colligitur, quòd in loco allegato à Caluino loquebatur Paulus de cultu Latriæ. *Adde*, quòd honor exhibitus Sanctis Deo non derogat; nam in Sanctis Deus colitur. Vndè *Gregorius Naziazenus* oratione in laudem Athanasij: *Virtutem laudo* (ait) *virtutem autem laudans, Deum laudo; Dei namque donum est virtus à quo omne datum optimum, &c.* Epiphanius hæresi 36. *Qui honorat Dominum,*

Aaa bono-

*honorat etiam sanctum; qui verò ignominia afficit Sanctum, ignominia afficit Dominum*. Basilius ser. in 40. Martyres: *Honos erga bonos conseruos collatus, beneuolentiæ significationem apud communem Dominum habet*. Ad locum ex Matthæi 4. *Respondetur cum S. Augustino*, quòd ibi solùm dicitur, Deo esse seruiendum cultu Latriæ, non tamen dicitur, solum Deum esse adorandum.

## PARAGRAPHVS QVARTVS.

### *An liceat Sanctos apparentes adorare, & qua adoratione?*

49 SAnctus Paulus 2. ad Corinth. 11. hanc dedit nobis rationem difficultandi; ait enim, quòd aliquando Angelus Sathanæ transfigurat se in Angelum lucis. Hinc quæritur: an indiscriminatim liceat Sanctos apparentes reuereri adoratione eis debita: puta Christum Latria; Virginem Hyperdulia; Sãctos Dulia? *Videtur, quòd sic*: etenim si non vigeret, indè foret, quia cõtingeret ab aliquo exhiberi pium, & Diuinum cultum Dæmoni; at hoc non sequitur, cùm ille non adoretur, vt Dæmon, quia existimatur Deus, vel alius Sanctus. *Confirmatur*; quia intentio sic adorantis non terminatur ad Dæmonem sic transfiguratum, sed ad Christum, vel alium Sanctum. *Quid nobis verius appareat*, duæ, quæ subsequuntur propositiones, docebunt.

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Non licèt Sanctos apparentes, vel Christum absolutè, & sinè conditione apposita adorare.*

50 DIco ergo esse peccatum Idolatriæ Dæmonem apparentem sic adorare absolutè, & sinè conditione. Ita *Altisiodòrensis, & Adrianus quodlibeto 4. & Turrecremata de Consecratione dist. 2. cap. Nos autem, &c.* Imò *Adrianus* ait, quòd siquis habe-

ret

ret ignorantiam inuincibilem, quòd ille Sanctus apparens sit Dæmon, peccaret adorando illum absolutè, *quia illa ignorantia* (vt verbis eius vtar) *licèt sit; inuincibilis, quoad dissolutionem, est tamen vincibilis quoad euasionem.* Sensus est, quod quamuis homo non possit ignorantiam illam vincere per dissolutionem, deueniendo ad cognitionem veritatis, & eam discernendo à falsitate apparente, tamen sinè dissolutione potest euadere peccatum, adorando sub conditione; & hinc grauiter peccat, qui aliter facit.

51 *Dices*, Hostiam non consecratam, quam Sacerdos proponit, tanquàm consecratam, licet sinè conditione, & absolutè adorare: ergo & Dæmonem apparentem sub specie Christi; cùm par sit vtriusque ratio. *Adrianus*, *Turrecremata*, & cum ipsis nonnulli alteri sunt opinati, eam hostiam non consecratam; fore sub conditione adorandam; licèt in hoc sit discrimen, quòd ad adorationem hostiæ sufficit habitualis conditio, in apparitionibus verò requiritur actualis. Discriminis rationem dant, & est: quia cùm apparitio hæc sit insolita, non debet quis, nisi cum maturitate, & præuia ratiocinatione præbere consensum; at adoratio hostiæ, frequens cū sit, non requirit conditionem actualem. *Dicerem ego*, hostiam exhibitam, ac si esset consecrata, minimè fore sub conditione adorandam; inò credentes credulitate humana, consecratam esse hostiam, eam absolutè adorare debere, & qui conditionem aliquo pacto apponeret, contra Ecclesiæ morem faceret; nam per ignorantiam inuincibilem excusaretur ab Idolatria, & Ecclesia susciperet in se errorem illum: cum ipsa præbeat hostiam illam, tanquàm consecratam: vnde non esset error formalis, sed materialis, & hoc facto Ecclesia cauet, nè fideles dubitent de reali præsentia Christi in Eucharistia. Dispar autem est ratio de Sanctis apparentibus, nullum enim est periculum, eos sub cōditione adorare: cùm ex Sacra Scriptura moniti simus, vt in his apparitionibus simus cauti: nec Ecclesia illos proponit nobis adorandos: nec constat infallibiliter, illos esse Sanctos,

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Non sufficit conditio habitualis ad adorandum Sanctum apparentem; nec virtualis, sed requiritur omninò actualis.*

52 EST sensus, quòd adorans dicere tenetur animo, & ore: *Si tu es Christus, ego te adoro; si non es Christus, non te adoro.* Nō sufficere conditionem habitualem, nec virtualem probo: nam in rebus insolitis, & in periculis actualibus actualis cautio est exhibenda; dicitur enim *Sapientia* 19. *Qui citò credit, leuis est corde.* Requiri actualem, docet nos exemplum Virginis Matris, quæ in apparitione Angeli actualiter cogitabat, qualis esset ista salutatio. Difficiliter enim Dœmonis argutiæ deprehenduntur. *Iob* 41. de Dœmone dicitur: *Quis reuelabit faciem vestimenti eius?* Scilicet, quis poterit reuelare faciem Dœmonis velatam, nisi solus Deus? Hinc fit nobis documentum, his in occasionibus orandum, & consulendū Deum iuxta illud *Iacobi* 1.n.5. *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter.*

## PARAGRAPHVS QVINTVS.

### *An Reliquiæ Sanctorum debeant adorari, & qua adoratione?*

53 RELiquiarum nomine non solùm intelligimus corpora, vel partes corporum Sanctorum, sed etiam vestes, & alia similia, quibus ipsi specialiter vsi sunt. *Hæretici* negant, illas adorandas esse, & è contra *Catholici* putant, & credunt, Reliquias esse adorandas, & debita veneratione seruandas: & est articulus Fidei millies diffinitus, & habetur ex traditione Apostolorum, & ex pluribus Concilijs, & nouissimè ex *Tridentino sess.* 25. præcipuè Act. 8.n.2. *Curauerunt Stephanum viri timorati, &c.* Idem patet de sudarijs Pauli, &c.

Acce-

*Accedat ratio*: Corpora Sanctorum templa fuerunt Sanctarum animarum, & debent habere consortium cum illis in beatitudine, in qua erunt in perpetuo honore: ergo digna erunt veneratione. *Item*. Reliquiæ ossium, vestium, &c. maiorem habent coniunctionem cum Sãctis ipsis, quam imagines cum imaginatis: sed Imaginibus debetur honor, & adoratio, vt n. 62. dicemus: ergo & istis.

*Sit altera ratio*. Retentio Reliquiarum excitat deuotionem, & amorem ad Sanctos, quorum sunt: ergo digna sunt veneratione.

54 *Petes de qualitate, & modo adorationis*. Memento triplicem esse speciem adorationis, Latriæ, Hyperduliæ, & Duliæ, vt supra sæpiùs obseruauimus. Adorationem ita describere licet: *est actus, quo honoramus aliquem, nosmet illi submittendo, tanquam superiori, & excellentiori*. Vndè colligere fiat licitum, adorationem esse actum voluntatis pertinentem ad iustitiam, quæ est virtus moralis, licèt præsuppositiuè sit etiam actus intellectus; nam habito per intellectum iudicio practico, aliquem esse veneratione dignum; statim conformatur voluntas (si est recta) ad præstandum honorem debitum, & sic facit actum iustitiæ moralis, & reddit vnicuique, quod suum est.

*Memento etiam*, quòd in actu adorationis duplex est obiectũ, proximum, & remotum, seù obiectum *quod*, & obiectum *cui*. Obiectum proximum, seù *quod* est cultus, & honor, qui alteri exhibetur. Obiectum remotum, siue *cui* est persona, cui talis honor, & cultus exhibetur: & hoc obiectũ triplex est; vel est Deus, qui habet excellentiam increatam, & huic debetur Latria; vel est creatura, quæ habet aliquam sanctitatis, & gloriæ excellentiam, & huic debetur Dulia; vel tandem illa creatura habet sanctitatem, & gloriam excellentem aliquo singulari, & peculiari modo, & huic debetur Hyperdulia, sicut Beatæ virgini.

55 *Actus adorationis* duplex est: *interior, & exterior*. Hic ad hoc, vt sit verus, & non fictus semper supponit illum saltem virtualiter, & est quoddã signum externum, quo illum actum interiorem protestatur, & significat, vt genuflexones, &c. Actus interior, quo reputat aliquis bonum illius, quem mente colit, & adorat, esse excellens, & superius propria bonitate; vndè redditur benè meritus interna, & externa adoratione. *Adoratio* duplex est: *Absoluta*, & *respectiua*: illa est, qua aliquis adorat aliquem propter se, siue propter intrinsecam excellentiam. Adoratio respectiua est, qua qùis adorat aliquid propter aliud, siue propter excellentiam, quæ est in aliqua persona, ad quam talis

lis res habeat habitudinem, vel coniunctionem. Prima adoratio competit tantùm rebus intellectualibus, quia sola res intellectualis est capax honoris, & excellentiæ, quæ sit maior, & superior adorante. Secunda adoratio potest etiam competere rebus inanimis, & carentibus intellectu, vt sunt imagines, & reliquiæ Sanctorum, &c. nam talis honor non sistit in illa re irrationali, sed vlteriùs tendit in rem rationalem, cuius gratia talis honor exhibetur rebus illis inanimis.

56 *Ad propositum* redeundo fit quæstio, *quæ species adorationis debeatur Reliquijs sacris?* Aliqui dixerunt, non debere adorari illa adoratione, qua adoratur Sanctus, nempè Dulia, sed minori: sicut enim imago Christi non debet adorari Latria, sed Hyperdulia, & imago Virginis Dulia; sic Reliquiæ, vel imagines Sanctorum, non Dulia, sed adoratione quadã minori, quæ vocatur Dulia non vniuocè, sed analogicè, siue adoratione veneraria. *Aliorum fuit opinio*, eadem adoratione, qua Sãcti adorantur, adorari debere Reliquias, sicut eadem adoratione, qua Christus, vel Virgo adoratur, debent eorũ imagines adorari. Fundamentum est, quia motus ad imaginem, seù ad Reliquias est idem motus, qui ad Sanctos ipsos: ergo si adoratio est eadem Reliquiarum, quæ Sanctorum, eadem adoratione adorandus est Sanctus, ac eius Reliquiæ.

57 *Moneo*, nos posse Reliquias adorare duobus modis. *Vno momo* simul cum Sanctis, quorum sut, per modum vnius, ita quòd terminus totalis adorationis sit hoc totum aggregatum ex Reliquijs, & Sancto ipso; sicut dicimus de Christo, & sua humanitate; & sic nulli dubium est eadem adoratione adorari Sanctos, ac ipsorum Reliquias. *Alio modo* possumus adorare Reliquias solùm, sistendo ibi, seù præscindendo ab illo Sancto, cuius quandoque fuerunt; ita vt terminus adorationis sint ipsæ Reliquiæ, & tunc dicendum est adorari posse, & debere tales Reliquias, sed quadam inferiori adoratione, & minori ea, quæ debetur ipsis Sanctis; & hùc tendunt omnes rationes factæ. *Probatur etiam*, quia scilicet adoratione quadã respectiua adorantur vestes sacræ, calices, &c. *ex Synodo 7. actione 2.5. in ordine ad Deum*, ad cuius cultus destinantur: ergo multò fortiùs respectiua, & absoluta adoratione possunt Reliquiæ adorari, quatenus partes fuerunt quandoque illorum Sãctorum, quorum respectù adorantur.

*Si dicatur*, Christum comparasse Pharisæos sepulchris dealbatis, quæ interiùs plena sunt ossibus mortuorum; ex quo colligi-

ligitur, ossa mortuorũ immunda esse, & consequenter non esse veneratione digna. *Respondemus*, quòd Christus insinuare voluit, hypocrisim illorum; & ossa similium indigna esse veneratione: quia impura, & immunda; non autem ossa sancta.

58 *Dices*, Concilium Elibertinũ prohibuisse ad sepulcra Martyrum ceras accendi: ergò eorum ossa indigna sunt veneratione. *Respondemus* 1. dubitari: an hoc Concilium fuerit Canonicum: quia Prouinciale 19. Episcoporũ dumtaxat. *Dico vlteriùs*, fuisse illam prohibitionem circa imagines ad abolendam Idolatriam quippè adorabant imagines &c. sine vllo ordine ad prototypum. *Dic etiam*, quòd tunc repertæ erant variæ Gentilium superstitiones, & ritus immodesti, & nè viderentur communicare cum illis, æstimauerunt meliùs pro tunc, non accendi cereos ad sepulcra martyrum, nè sequeretur aliqua species Idolatriæ.

*Dices*: in Reliquijs, seù cadaueribus Sanctorum, vel fit resolutio vsque ad materiam primã, vel cum materia remanent accidentia; sed hæc indigna sunt veneratione: ergo &c.

*Respondemus, quòd secundùm Scotum*, remanet forma cadaueris, seù corporeitatis cum suis accidentibus, quæ omnia fuerũt illius Sancti partes. Sed si nihil appareat in illis Reliquijs, quod non fuerit quandoq; Sancti, tũc, cessante hoc, cessat esse Reliquia illius Sancti, & cessat adoratio.

*Si dicatur* de alijs Reliquijs, vt sunt patibula Martyrum, vel Crucis ipsius. Qui aliquẽ amat, non debet amare patibulum, in quo passus est, sed magis odio habere: ergo non debemus venerari illa. *Respondemus*, quòd non veneramur patibula, quatenus pęnam inflixerunt, & mortem, sed quatenùs à Sancto sanctificata sunt, & eis attulit gloriam, & honorem, & exaltationem, sicut carus habetur gladius apud filium, quo occisus est pater, nunquam malefactor, sed innocens.

59 *Dices*, quòd hæc adorantur præcisè propter contactum: sed contactus non est causa adorationis: ergo &c. *Respondemus*, quòd contactus pius ratione alicuius circumstantiæ, propter quam res tangens est veneranda, est sufficiens ad adorationẽ, sed non alius quicumq; contactus. *Tandem conclude*, quòd cultus sacrarum Reliquiarum religiosus est, & ad pietatem pertinens.

Petes. *Quomodò adorandæ sunt Sanctorum Reliquiæ absolutè nè, an sub conditione?*

*Respondemus*, quòd de cultu publico Reliquiarum nõ est dubitandum, quin possit fieri absolutè sub nomine illius sancti, qui colitur: nàm supposita publica authoritate, & approbatione authentica, non est maior certitudo

titudo requirenda; eò vel maximè quia in ratione formali adorandi nullus est error, licèt possit esse pro materiali, & tunc nulla erit culpa, cùm bono ritu, & prudenti modo procedamus. Si autem priuatus sit cultus, sufficit priuatum testimonium, aut alia coniectura probabilis, qua sufficienter iudicetur, Reliquias esse talis Sancti; & sic etiã absolutè possunt adorari.

*Dices.* Reliquiæ quandoque sunt incertæ: ergo sub conditione adorandæ. *Respondetur*, quòd quãdo sunt incertæ, debent adorari absolutè, vt Reliquiæ si tales sunt; si tamen sunt dubiæ, abstinendum est à cultu.

## PARAGRAPHVS SEXTVS.

### *An Imagines debeant adorari?*

60 QVæ in superiori dicta sunt de adoratione Reliquiarum, inseruiunt his, quæ in præsenti Paragrapho de cultu Imaginum dicenda sunt. *Obseruo tamẽ primò*, quòd omne, quod colitur, & honoratur, potest honorari per se, vel per accidens: propter se, vel propter aliud; propriè, vel impropriè. Per se honoratur suppositum, in quo inest ratio honoris, & reuerentiæ. Per accidens id, quòd est coniunctum rei, quæ per se adoratur, nec est ratio adorationis; itaq; persona honoratur per se, *vt quæ*; dignitas honorantur, *vt qua*; reliqua honoratur per accidens. *Sciendum etiam*, quòd aliquid potest honorari propter se, vel propter aliud. Illud propter se honoratur, quod habet in se rationem venerationis non aliundè pendentem, & hoc modo solùm natura rationalis est venerabilis; propter aliud honoratur id, quod habet quidem in se causam honoris, sed illa causa pendet tota ab alia: hoc modo signa rerum sacrarum sunt venerabilia, quia habent in se relationem similitudinis, siue repræsentationem rei sacræ, ac proindè quandam excellentiã, sed illa tota pendet à re sacra.

61 *Tertiò obseruandum*: quòd aliquid potest honorari propriè, vel impropriè. Id propriè dicitur honorari, quod verè ratione sui ipsius honoratur. Impropriè dicitur honorari, quod honoratur loco alterius. *Sit exemplũ*: Legatus Pontificis aliquando honoratur vt Legatus, & tunc ipse propriè honoratur, licèt propter alium honoretur: aliquando honoratur loco Regis, honore proprio Regis, & tunc impro-

impropriè honoratur: propriè verò res in ipsa tunc honoratur. *His stantibus*, occurrit disputandum primò. *An Imagines aliquo genere cultus possint ritè, & rectè prosequi?*

*Damascenus* proponit opinionem *Christianotegororum*, idest, christianorum accusatorum, qui dicebant, Imaginibus deberi illum eundem honorem, qui Deo debetur. Sed hæc hæresis refellitur communiter illis omnibus scripturæ testimonijs, quæ prohibent, nè cultum Deo propriũ tribuamus creaturæ. *Alia hæresis* illi contraria est eorum, qui nullum omninò honorem Imaginibus Christi, & Sanctorum deferri volunt. Sit nostra

## PROPOSITIO VNICA.

*Imagines Christi, Hominis Iesu, & Sanctorum honorãdæ sũt; ea tamen lege, vt, sicut Tridentinũ dicit, in imaginibus non collocetur fiducia, nec ab eis aliquid petatur, nec in eis inesse credatur vlla Diuinitas, sed solùm honorentur propter eos, quos nobis repræsentant.*

62 PRobatur 1. ex sacra scriptura *Exodi* 25. de Cherubinis propitiatorijs, & ex illo *Numeri* 21. de serpente æneo: imagines Cherubin adorabantur ab illis, qui arcam adorabant (vt dicit Hieronymus,) & serpens æneus nõ poterat non adorari: cum in loco sublimi à Deo positus fuisset, & salutem in se aspicientibus afferret. Ita *Augustinus lib. 3. de Trin. cap.* 10. Vndè fit, quòd si licuit honorare imagines Cherubim, & Angelorũ: ergo & Sanctorum; si Imaginem Christi in forma serpentis, cur non in forma hominis? Item ex *Psalmo*: *Adorate scabellum pedum eius &c.* & Matthæi 5. *Nolite iurare per Cęlum; quia thronus Dei est &c.* Hæc testimonia docent, honorandas esse creaturas religiosè propter solam relationem ad Deum: sed similem relationem habent imagines: ergo possunt honorari. Ita concludunt sacra Concilia generalia. Ita Patres, vt videre est in *Bellarmino lib. 2. cap.* 12. Patet etiam ex miraculis imaginum, quæ ideo facta sunt, vt probarent, & ostenderent imaginum cultum;

nàm cur quæso ignis consumpsit imaginem Iuliani, nisi, vt vindicaret iniuriam factā imagini Christi? cur Christi imago à Iudęis confossa sanguinem effudit, nisi, vt ostenderet, se honorare id, quod Iudæi contumelia afficiebant.

63 *Accedat argumētum ex ratione.* Homo dignus est veneratione, quia imago Dei est: ergo imagines Christi, & Sanctorum sunt dignæ veneratione: quod enim imagini conuenit, quia imago est, omni imagini conuenit. Antecedens est *Cyrilli, & Augustini*, patet à simili de imaginibus Regum, quæ dignæ sunt ciuili honore. *Sit argumentum à simili.* Imagines sunt capaces contumeliæ: ergo & honoris. Antecedens negabit nemo, vt patet experientia quotidiana, qua videmus etiam tradi igni imagines virorum pessimorum. *Dices*: In sacra Pagina seuerè interdici cultum simulacrorum: *Exodi* 20. *Deuth.*4. &c. *Respondemus* in his, & consimilibus locis reprēhendi Idolatriam, idest, cultum imaginum, quæ habentur pro Dijs, vel per quas coluntur, tanquam Dij, qui verè non sunt, sed Idola. *Replicabis cōtra*: Iudęi adorabant Deum verum in simulacris, sicut in vitulo &c. & tamen à Deo reprehenduntur, quia pati non potest Deus suum cultum communicari imaginibus. *Facilis responsio*; Nam nec Iudęi, nec Gentiles, in Idolis suis adorabant verum Deum, sed falsum aliud Numen, & in hoc reprehenduntur.

64 *Dices.* Concilia Constantinopolitana definisse, imagines abolendas esse; Imò præscindunt Acta octauæ Synodi Francfordiensis, quæ censuerat, retinendas esse imagines. *Respondemus*, illa Concilia fuisse illegitima, quia non adfuit Romanus Pontifex, nec per se, nec per legatos, vt dicunt historiæ. *Dic etiam*, abstulisse vsum Imaginum, quia videbant errare populos circa adorationem, dando Imaginibus cultum, qui Deo debebatur.

*Impugnabis*, quòd *Carolus Magnus* quatuor scripsit libros contra Imagines. *Respondemus cum Bellarmino*, tales libros non esse Caroli: sed gratis concesso ita esse; quid vnus laicus, & miles contra Synodum generalem, & communem sensum Ecclesiæ?

65 *Sit aliud argumentum ex Caluino.* Ex adoratione Imaginum paulatim sequitur error, & superstitio, quia magis adoratur vna, quàm alia. *Respondemus*, quòd ex adoratione Imaginum, qui puro corde adorant in fide Ecclesiæ, nulla sequitur superstitio, vel error: & ꝙ vna magis; quàm alia frequētetur, est, quia complacet sibi Deus per vnam facere miracula, & non per aliā; vel quia pictæ, aut sculptæ tales imagines à viris Sanctis, vt Luca, Nicodemo &c. vel

quia

quia aliquæ imagines magis excitant ad pietatem, & deuotionem; quando enim Fideles ad imagines precaturi accedunt, non eunt, vt imagines inuocent, sed vt memoriam eius, quem orare volunt, illa Imago in mētem adducat.

66 *Contra*. Imagines sunt res inanimæ: ergo non sunt capaces honoris. *Item* non sunt sanctæ ratione materiæ ligni, vel coloris: ergo coli non debent. *Item* homo est imago Dei, & tamen non solet adorari; quantò minùs imagines, ligna, lapides &c. quæ sunt opera manuum hominum? *Item* Christus mortuus est non pro imaginibus: ergo non sunt adorandæ. *Item* si imagines necessariò sunt colendæ, soli diuites saluarentur; quia illi soli tales emere possunt. *Item* Christus non dixit: Qui imagines recipit, sed qui vos recipit, me recipit: ergo honor imaginis non est admittendus.

*Ratiunculæ istæ* friuolæ sunt. Hinc ad primam dico, imagines non esse capaces honoris per se, & propter se absolutè, sed relatiuè ad prototypum. *Ad secundam dico*, imagines non esse sanctas ratione materiæ, sed propter repræsentationem rei sanctæ, & ex Ecclesiæ institutione. *Ad tertiam* dico, quòd homo est capax adorationis, vt est imago Dei; sed ab Ecclesia non proponitur adorandus propter periculum, ne confundatur adoratio, & propter se adoretur: cùm sit per se capax honoris. Hac doctrina fit satis reliquis rationibus. Hinc breuitati studendo, sileo.

# DISPVTATIO VNDECIMA.

## *De Peccato.*

## *An conueniat Christo, & vtrùm de potentia Dei absoluta?*

IN creatura rationali defectus maximus est peccatum, quo infectam legimus tertiam Angelorum partem, nec non vniuersam naturæ humanæ massam ex primi Parentis delicto, cui vnusquisque hominum propria superaddit, nisi peculiari priuilegio tantā recipiat gratiā, vt ab omni reseruetur labe.

*Est Christus homo*: hinc dubitabit aliquis. *An ipse aliquando peccauerit, vel saltem potuerit peccare*; Cui dubitationi respondemus per subsequentes propositiones,

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Christus non contraxit originale peccatum, imò nec contrahere potuit.*

1 VEritas huius propositionis pendet, partim ex lege, quam sanciuit Deus, solos naturales filios Adę paterni criminis fore reos: qui videlicet naturali generatione, & vtriusq; sexus mixtione ortum habent; partim ex eo, quòd Christus nō sit naturalis filius Adæ, cum supernaturali via Spiritus Sancti operatione cōceptus fuerit; vndè nec debitum peccati contrahere potuit, nec vlla gratia indiguit, quæ ab illo arceret originale peccatum. Vndè, siquis immediatè à Deo crearetur homo, vel aliundè esse traheret; ita vt ex virili semine non generaretur, immunis omninò foret ab originali peccato.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Nunquam peccauit Christus cogitatione, verbo, aut opere.*

2 EXcludimus à Christo nō solùm lethale peccatum, quod gratia, & gloria priuat, sed etiam veniale, quod gratiam minuit, & retardat à gloria. Hanc Christi innocentiam, & à peccato immunitatē inculcant maximè sacræ Scripturæ verba Ioannis 8. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Ioannis 14. *Venit Princeps mundi huius, & in me nō habet quidquam.*

*Ex primo textu* colligimus, Iudæos conatos fuisse, imponere Christo quędam peccata, quę tamen probare non poterant; quantumuis astuti, & malitiosi essent. *Secundus textus* monet, Christum fuisse liberum non solùm à peccato mortali, & veniali, sed etiam ab omni eo, quod etsi propriè peccatum non sit; aliqua tamen oritur suspicio latere in eo, nescio quid redolens fœtorem peccati. *Necessaria* fuit in Christo huiusmodi impeccātia: non solùm ob rationes adductas; sed etiam, quia peccatū venerat Christus destruere: & vt esset apud Deum Patrem Mediator

diator noster, & vt Diuinam placaret iram ex peccato nostro conceptam. Hanc verò placationem non solùm non promerere, sed peccatum omninò impedire poterat.

3 *Reperiuntur in sacra Pagina* aliqui textus, ex quibus peruersi quidam Hæretici præsumūt colligere, Christum aliquando peccasse. Primus habetur Psalmo 21. *Longè à salute mea verba delictorum meorum*; quæ verba non solùm dicta sunt à Dauide in persona Christi, sed etiam ab ipso Christo in Cruce pendente; si veri sunt antiquiores Patres affirmantes, Christum in Cruce totum hunc Psalmum decantasse: quia continet omnia suæ passionis mysteria.

*Respondemus*, ea verba duplicem pati interpretationem, quarum quęlibet liberat Christum à peccato; vel enim Christus ea protulit in persona propria, vel aliena: *si in propria*; ea quæ appellat peccata sua non sunt ipsius, quasi ea commiserit, sed nostra sunt; quæ tamen appellat sua: quia ad satisfaciendum pro illis venerat, quasi essent ab ipso perpetrata: eo modo, quo nos cum alterius debiti solutionem facturi sumus, dicimur nostra soluere debita. Hoc sensu dixit *D. Paulus* de Christo: *eum, qui peccatum non fecit, peccatum pro nobis factus est*, idest, satisfactio pro peccatis. *Si in alienn persona* Christus hæc verba protulit, nostra sunt peccata, non sua; quæ tamen sua appellat, quia caput sibi vendicat totius corporis, & singulorum mēbrorum languores, & morbos. Est autem Christus Ecclesiæ caput, nos autem membra corporis eius, quod est Ecclesia; Ita tamen tribuuntur nostra delicta Christo, eaq; appellat sua, vt non liceat nobis dicere, Christum peccare; cum peccamus, vel Christum peccare in membris suis, cum fidelis quispiam peccat; quamuis verè dicamus, Christum pati, vel in membris suis persecutionem sustinere, cum fidelis aliqua patitur. Ratio disparitatis est, quòd pati nullam dicat malitiam moralem, quam tamen peccatū includit.

4 *Alius textus* habetur Matthæi 24. *Pater si possibile est, transeat à me calix iste; verumtamen nō mea, sed tua voluntas fiat.* Quæ verba impiè *Caluinus* putat, indicare peccatum à Christo commissū: cùm in prima orationis parte tentauerit mutare ordinationē de morte imminente. Vndè impiè addit Caluinus, *per sequentia verba Christum se emendasse*.

*Christum liberamus* ab huiusmodi blasphemia, si dixerimus, eam non fuisse mentem Christi, quam falsò ei imponit *Caluinus*: Siquidem Christus nolebat immutare ordinem à Patre præstitutum, cum sæpe sępiùs dicat, se propterea venisse, vt Patris impleret voluntatem. Fuit ergo sim-

simpliciter illa oratio affectus voluntatis naturaliter respuentis mortem secundùm affectionem commodi, & acceptantis secundùm affectionem iustitiæ, qui duo actus volitionis, & nolitionis in voluntate necessariò requiruntur, vt opus satisfactorium sit.

# PROPOSITIO TERTIA.

*Fuit in Christo potentia peccandi, non tamen peccare potuit de potentia ordinaria, licèt potuerit de potentia absoluta.*

# PROPOSITIO QVARTA.

*Proponuntur nonnulla ad intelligentiam nostræ propositionis.*

5 NVlla est repugnantia, dum dicimus, in Christo fuisse, & esse adhuc peccandi potentiam. Hæc enim potentia nihil aliud est, quàm ipsa voluntas creata, quam in Christo homine agnoscimus, non secùs, ac in alijs hominibus, atq; Angelis. Duas agnoscimus in Christo voluntates, Diuinam, & humanam. Absit, vt dicamus, voluntatem Diuinam, atque increatam esse in potentia ad peccandum: nam etsi illa sit arbitrio prædita libero, non tamen vt dificere in malam partem possit. Voluntas creata, quia est formaliter libera libertate, quæ dicit inperfectionem, & indifferentiam ad malum, sicut ad bonũ, est formaliter peccandi potentia; vndè omnis, ac sola creatura, quæ voluntatem habet, atq; liberum arbitrium, peccat, aut peccare potest. Hæc cùm vera sint, & Christus, vt homo habuerit creatam volũtatem eiusdem speciei, & naturæ nobiscũ, constat, in Christo esse peccandi potentiam. Nec in hac re læditur aliquo pacto Christi dignitas; nam hæc peccandi potentia absolutè nullam sonat imperfectionem, nisi tantùm respectiuè ad Deum, cuius libertas est nobilior nostra, quatenus illa non

vergit

vergit ad peccatum, tendit autem nostra. Imò oportuit, Christi voluntatem humanam habere ea omnia, quæ naturaliter creatam consequuntur voluntatem; nè putaretur diuersæ speciei à nobis.

*Non pugnant* cum his ea; quæ subijcimus in propositione, nēpè *Christum non potuisse peccare de potentia ordinaria*, quia ad peccandum, siue vt creatura peccare possit, non solùm requiritur potentia peccandi, quàm descripsimus, sed vltra requiritur imbecillitas in voluntate, quæ careat debito auxilio, vt à malo recedat. Hæc autem imbecillitas est in alijs hominibus, atque Angelis, & nullum eis debetur auxilium, vt omne superent peccatum; quod tamen auxilium Christo homini aliquo modo de congruo debebatur ab instanti suæ conceptionis, eiquè datum est.

6 *Secundò notandum*, non disputari à Theologis veritatem nostræ propositionis, spectato Christo, siue eius humanitate, vt instructa est ijs donis gratiæ, quę defacto sunt ei data à primo instanti conceptionis, nam cùm vnum eorum sit beatitudo, & hæc illum, in quo est, necessariò confirmet in bono; consequens est, vt saltem ratione beatitudinis, Christi humanitas facta fuerit impeccabilis. *Disputatur ergo de humanitate illa considerata, vt retinētę quidem hypostaticam cum verbo Diuino vnionem, sed non habente beatitudinem, nec gratiam habitualem, quas supponimus absolutè potuisse illi non tribui*.

*Tertiò. Dum quærimus: An illa humanitas de potentia absoluta peccare potuerit?* Non facimus hunc sensum, quasi putemus, Deum posse prębere aliquem influxū ad actum peccati, quà peccatū est: aut eius causā esse; sed quia in præsenti difficultate ita consideranda est Christi humanitas, vt vnita Verbo, vt accepto hoc dono vnionis, nullum aliud habeat, quod Deus absolutè potuerit non tribuere. Quærimus ergo: *Vtrùm, si natura assumpta daretur cum sola vnione, verè redderetur impeccabilis?*

7 *Quartò noto*, quòd nostra cōtrouersia potest agitari in sensu diuiso, & in sensu composito. Sciendum ergo, duplicem sensum diuisum hìc intelligi posse. *Primus est*, quo intelligatur, natura assumpta potuisse peccare ante eius assumptionē, vel post separationē ab vnione, si Deus voluisset, sicut velle poterat. In hoc sensu nulla est difficultas, quin natura humana Christi sic per Diuinam potentiam existens peccare potuisset. *Alius sensus* diuisus est, quo intelligitur, natura iam vnita potuisse peccare; ita tamen, vt ea peccante, cessaret eius vnio ad Verbum, sicut desinit esse gratiæ, peccante anima mortaliter. *Per sensum autem compositum* intelligimus:

quando

quando, non obstante, quòd natura peccaret, adhuc perseueraret eius vnio ad Verbum.

8 *In his duobus sensibus* sustinemus propositionem cum *Scoto in 3.d.2.q.1.& dist.12.q.1. Gabriele eadem dist. q. vnica art.2.& dist. 1.q.2.art.2. Durando dist. 12. q.2.* Oppositum docent Recẽtiores, quorum aliqui, vt *Vasquez disp. 61. cap.3.* asserunt, nostram sententiam aliqua nota dignam esse. Alij, *vt Suarez disput. 33. sect. 2.* dicunt, esse temerariam, & speciem impietatis redolere.

*At hi Authores* satis temerariè, & sinè solido vllo fundamento classicos Magistros tàm graui afficiunt censura; sed nè eodem nos crimine alij condemnent, a censuris abstineamus.

*Non prætereundum*, tamen doctissimum *Petri de Lorca* primarij Complutensis iudicium contra Recentiores ita pessimè loquentes de doctrina subtilissimi Scoti. Audiantur verba huius Reuerendissimi, & dignissimi, ac doctissimi Generalis. *Recentiores adeo absurdum existimant humanitatem Christi peccare potuisse, vt censeant priorem sententiam non solùm falsam, sed etiam aliqua nota dignam, propter indecentiam, quam præsefert peccatum in Christo admittere, quod pias aures offendit, & communem Sanctorum Patrum sẽtentiam, qui ità peccatum à Deo excludunt, vt etiam peccandi potentiam excludant.* Sub numero 11. ita habet Lorca. *Verumtamen frustra omnes istæ auctoritates adducuntur; quoniam Patres solùm considerarunt id, quod nunc competit Deo, prout Incarnatio facta est, & quod fuit decens, & consentaneũ secundùm legem ordinariam, quo pacto Authores primæ sententiæ non negant, Christum esse impeccabilem, quia natura assumpta cum donis, quæ propter assumptionem sibi collocata sunt, & quæ lege ordinaria sibi debebantur, peccare non potuit. Et id affirmant expressè Authores illi, & solùm disputant quæstionem Metaphysicam, ex hypothesi, quòd natura humana nuda, & in puris naturalibus assumeretur, vt potuit assumi per potentiam Dei absolutam; de quo Patres nihil cogitarunt, nec vel leuiter verbo indicarunt.*

*Quare illa sententia nulla censura digna est, quoniam neque Patres contra eam aliquid dicunt, neque pias aures offendit, admittere potentiam alicuius peccati in Christo, si aures sicut sunt piæ, sint doctæ (vt Gabriel aduertit) quæ, scilicet, sciant discernere, quomodò, & in quo sensu concedatur possibilitas peccati in Christo.* Hùc vsque Spientissimus vir Cisterciensis Ordinis Generalis.

PRO-

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Proponuntur quidam modi impugnandi nostram sententiam.*

9 CArdinalis de Lugo probat oppositum nostræ assertionis ratione desumpta ex sanctitate Christi. Ita ergo philosophatur *disp.26.sect.2. nu. 19.* Infinita sanctitas est impossibilis cum peccato: at per vnionem hypostaticam humanitati Christi fuit communicata infinita sanctitas, scilicet Diuina natura: ergo ei peccatum repugnat. *Vrgetur ratio*: sanctitas substantialis nõ potest nõ sãctificare humanitatem formaliter: ergo nequit in tali natura habere locum peccatum.

*Alij* ita proponunt argumentum. Id, quod infinitè Sanctum est, non potest contrahere, aut secum ferre labem peccati; cùm sanctitudini nihil ita repugnet, sicut peccatum; proindequè sanctitati infinitæ quoduis peccatum aduersatur.

*Confirmant eorum discursum primò*. Quia non potest Deus odio habere, quòd infinitè amat; odio autem necessariò habet peccatum, & peccatorem; nec potest non infinitè amare naturam, cui suam subsistẽtiam tribuit, seù quæ cum ea concurrit in vnum suppositum: igitur in ea natura peccatum esse non potest, nec fieri potest, vt ipsa peccet, quamdiù ei Diuina persona vnita manet. *Secundò*. Quia dùm natura aliqua peccat, vel perseuerat in statu peccati, digna est summo dedecore, & ignominia, quã, planè impossibile est, conuenire illi, quæ à Verbo assumpta est, cùm ei, quà talis est, idem honor, & adoratio debeatur, ac ipsimet Verbo, nec fieri possit, vt vna, eademquè natura sit digna adoratione, & honore, qui Deo exhibetur, simulquè contemptu, & ignominia, tali præsertim, ac tanta, qualem, & quantam peccatores merentur.

10 *Tertiò*. Quia natura rationalis vnita Verbo, præcisè ratione vnionis, digna est gloria æterna, eamquè, si non habeat, de condigno meretur singulis, quas exercet, virtutis actionibus: igitur quamdiù vnita est, non potest esse capax peccati, vtpotè quod si mortale esset, necessariò redderetur digna damnatione, & perpetua beatitudinis carentia; cùm tamen hæc dignitas

non videatur posse cum priuatione illa simul consistere: alioquin merita iustorum non mortificarentur per sequens peccatum mortale, sed ipsi antiquo suo opere bono adhùc digni essent gloria æterna, peccatis, quæ postea admittũtur, minimè obstantibus; aut si illorum meritorum valor hisce superuenientibus peccatis eneruaretur, aboleretúrquè, id nequaquam fieret ex rei natura, & ob repugnãtiam inter meritum æternæ pœnæ, ac gloriæ, sed ex pura, & sola Dei voluntate; quod tamen fieri non posse, ex eo patet, quòd impossibile sit, eum, qui cæteroquin dignus esset aliquo præmio, carere, ac sibi acquisita, & quasi obligata dignitate, non dignum eodem ipso præmio fieri externa, eaquè sola alterius voluntate.

# PROPOSITIO SEXTA.

## *Non concludit hic dicendi modus.*

11 PRobatur primò: quia falsum assumit, dum dicit humanitatem fieri sanctam per Deitatem: Sed gratis hoc concesso, nil habetur contra nos: quinimò petit principium; nam quærimus: *Vtrùm, gratis concesso, quòd humanitas Christi sit reddita sancta per humanitatem, vel per personalitatem Diuinam, possit peccare?* Et illi Doctores dicunt, *non posse peccare*, quia est sancta per Deitatem. Ecce ergo, quòd assignant conclusionem pro ratione. Debent ergo probare, quòd humanitas reddita Sancta per Deitatem non possit peccare. *Secundò*, cùm hæc ratio nitatur in repugnantia physica sanctitatis cum peccato, non vrget, dùm eam repugnantiam non ostendit, nec ostensibilis est. Ratio est, quia ista repugnantia debet esse eiusdem generis: at sanctitas est in genere physico, & peccatum in genere moris: ergo non habent repugnantiam physicam.

*Adde*, quòd oppositio physica contraria petit ambo extrema positiua; at peccatum non est entitas positiua, sed priuatio quædam: ergo, &c. *Nec est oppositio relatiua*, quippè oppositio relatiua petit extrema relatiua: at, sanctitas, & peccatum non sunt extrema relatiua. *Item* non est oppositio priuatiua, quippè peccatum formaliter nõ est priuatio sanctitatis, sed est priuatio rectitudinis debitæ. *Adde*, quòd contraria debent habere idem cõmune subiectum. *Adde*, quòd sufficienter saluaretur conceptus

tus infinitæ ſanctitatis, dicendo, illam ſanctitatem non exigere, vt quamlibet naturam,ſed ſuam propriã reddat impeccabilem: ſicut de conceptu ſummæ vitæ non eſt, vt quamlibet naturam, cui coniungitur, ſed ſolam propriam reddat viuentem, & immortalem. Vndè ſicut vita infinita, quæ naturam alienam reddat immortalem, non eſt omnium perfectiſſima, ſed impoſſibilis, ita ſanctitas,quæ naturam alienam reddat impeccabilem, judicatur à nobis fictitia, & impoſſibilis.

*Nota*, quòd, etſi ſanctitas, & peccatum ſe excluderent ex natura rei, &c. tamen indè non ſequeretur, quòd natura aſſumpta non reſtaret peccabilis in actu primo; nam etſi quis habeat gratiam, tamen poteſt peccare: ergo etiam humanitas reddita ſancta per Deitatem, foret in actu primo potens peccare. *Ad plus ergo* inferretur ex allato diſcurſu,quod humanitas peccans perderet ſubſiſtentiã Diuinam; non tamen deducitur,quòd humanitas aſſumpta peccare non poſſet, & non eſſet defectibilis.

12 *Dices*, repugnare per locum intrinſecum, quòd humanitas aſſumpta deperdat vnionem ad Verbum: ergo ſimpliciter repugnat,humanitatem poſſe peccare. *Contra*, quia tãtùm de potentia ordinaria repugnat, non verò de potentia abſoluta: ergo ſaltem de potentia abſoluta poſſet humanitas peccare, & peccans perderet vnionem, &c. *Dices*,quòd sãctitas ſubſtãtialis nõ poteſt nõ ſanctificare humanitatẽ infinitè: ergo nequit in ea relinquere locũ peccato. *Reſpõdetur primò*, antecedens eſſe falſum; ſupponit quippè humanitatem reddi ſanctam per ſanctitatem ſubſtantialem Dei. *Secundò*, conceſſo antecedenti, negatur conſequentia: quippè ſanctitas illa poteſt ratione impedimenti reperti in natura, nõ reddere illam naturam ſanctam; nam ſanctitas ſubſtantialis non ſanctificaret naturam irrationalem; quia ea natura eſſet incapax ſanctificationis: ergo quando in natura reperiretur peccatum, ea natura minimè reciperet denominationem ſanctæ.

13 *Adde*, quòd eſſe ſimul ſanctũ, & gratiſſimum, & eſſe peccatorem, & inuiſum Deo, dignumquè gloria, & æterna pœna,licèt repugnet ſub eodem titulo, vel per eandem formam;tamen non obſtat per diuerſas formas. Natura ergo illa, quatenus reciperet ſanctitatem,foret Deo grata; quatenus verò ſubiaceret peccato, remaneret inimica; hoc autem optimè fieri poteſt de potentia abſoluta, eſtò non de ordinaria: ſicut enim non omne malum eſt cõtrarium omni bono, & ideò poteſt aliqua res aliquid ſimul boni,& mali habere; ita etiam poteſt propter diuerſas rationes amari, & odio haberi,

beri. *Exemplum* poni potest in homine, qui ratione filiationis dignus est paterna hæreditate, & ratione culpæ contra patrem commissæ, indignus redditur eadem hæreditate; sic in casu nostro: ille homo ratione sanctitatis substantialis esset Deo gratus, & dignus gloria; ratione tamen peccati commissi, foret indignus gloria, & inuisus Deo, quòd quamquàm in omni opinione verum sit, præcipuè tamen in opinione nostri *Scoti, & multorum Recentiorum* asserentium, gratiam habitualem, & peccatum in eodem subiecto compatibilia esse de potentia absoluta; quo in casu certè tale subiectum esset gratum, & inuisum Deo propter diuersas rationes.

14 *Adde*, quòd ea ratio, qua aliqui Iuniores probant, voluntatem Diuinam impeccabilem; quia voluntas Diuina est essentialiter sancta, & sanctitas cum peccato pugnat, non concludit. *Primò*: quia probabile est, quòd gratia, seù sanctitas non opponatur ex natura rei peccato, sed solùm moraliter, quamobrem, *Scoto teste*, possunt esse simul in eadem voluntate. Vndè quantumuis voluntas Diuina sit essentialiter sancta, posset stare ad minùs cum potentia ad peccandum: quippè non repugnat, quòd actù sit vna forma in subiecto cum capacitate ad oppositum. *Tum etiam*, quia dato, quòd sanctitas, & peccabilitas opponantur ex natura rei, non implicat, duo contraria simul esse in eodem subiecto in probabili opinione. Quòcirca si ex eo, quod Deus sit summè sanctus, non sequitur per locum intrinsecum, quòd Deus sit impeccabilis; à fortiori nec etiam sequitur, quòd humanitas, si redderetur sancta per sanctitatem Dei, fieret impeccabilis.

15 *Impeccabilitas ergo* Diuinæ voluntatis probatur ratione, qua *Scotus in 3. d. 12. qu. 1.* suadet, Christum Dominum impeccabilem esse, & *in 4. d. 49. q. 6.* probat, Beatos esse impeccabiles: nam illa voluntas, quæ est coniuncta Deo secundùm affectionem commodi, & iustitiæ, est ab intrinseco impeccabilis; sed voluntas Dei essentialiter, & ab intrinseco est coniuncta Deo secundùm vtrumque affectum: ergo voluntas Diuina ab intrinseco est impeccabilis. *Vrgetur ratio*: cùm enim omne peccatum sit contra affectionem commodi, vel contra affectionem iustitiæ, & voluntas Diuina sit essentialiter beata, & consequenter coniuncta cum Deo secundùm affectionem commodi, & iustitiæ: sequitur, quòd voluntas Diuina sit intrinsecè impeccabilis. *Fauet etiam* ratio desumpta ex natura peccati; nam in opinione omnium Theologorum peccatum est carentia rectitudinis debitæ; at in voluntate Dei nul-

la

la potest dari rectitudinis carentia, quæ est perfectio voluntatis simpliciter: ergo Dei voluntas ab intrinseco est impeccabilis.

16 *Nec valet, si dicas*: hac ratione solùm suaderi, nullum esse peccatum defacto in Diuina voluntate; non verò non habuisse potentiam ad peccandum. *Hoc, inquam non valet*: nam in Diuina voluntate, vndequaque perfecta, nequit dari potentia ad imperfectionem, seù ad carentiam perfectionis simpliciter: sed, si in Diuina voluntate daretur ad peccandum potentia, esset Diuina voluntas in potentia ad carentiam rectitudinis, & per consequens perfectionis simpliciter: ergo hac ratione non solùm efficaciter suadetur, non fuisse defacto peccatum in Christo, sed concluditur per locum intrinsecum, peccatum repugnare Deo.

*Concludo ergo*, quod si non cõcludatur impeccabilitas Dei ex eo, quòd Deus habet intrinsecè infinitam sanctitatem; certè nec etiam poterit concludi impeccabilitas humanitatis assumptæ ex eo, quòd habeat sibi vnitam extrinsecè Diuinam sanctitatem:

17 *Accipe aliud argumentum* fundatum in Doctrina *Vasquez prima secunda disp.* 207. vbi docet; quòd peccatum nequeat expelli ab anima sinè intrinseca mutatione peccatoris. Sit tale argumentum. Sãctitas Diuina est extrinseca naturæ assumptæ: ergo si peccatum non potest expelli à natura, nisi per formam sibi intrinsecam, sequitur, quòd peccatum habituale posset stare cum sanctitate illa diuina in natura assumpta: ergo si peccatum habituale potest esse in natura assumpta simul cum sanctitate Dei; non est, cur dicamus, repugnare de potentia absoluta, sanctitatem esse in natura, & naturam peccare.

*Ita propono argumentum.* Posset Deus de potentia absoluta destruere nunc suppositum alicuius hominis existentis in peccato mortali, & illam naturam peccato habituali infectã hypostaticè terminare: ergo nulla est oppositio inter peccatum, & vnionem hypostaticam, & per consequens etiamsi natura assumatur absque peccato, poterit post assumptionem peccare de potentia Dei absoluta, Consequentia patet: quia nõ est maior oppositio, & repugnantia sanctitatis Dei cum peccato actuali, quàm cum habituali; sed cum habituali non repugnat: ergo nec cum actuali.

18 *Respondent aliqui cum Suarez*, concedendo antecedens, & negando consequentiam: quia quamquàm assumere naturam in peccato existentem, possibile sit; tamẽ nõ est ita indignũ, sicut esset assumere naturã, & postea permittere peccatũ in illa. *Secũdò* respondent, quòd casus propositus repugnat: nam statim talis

lis natura assumpta in peccato, maneret necessariò mundata, vel per vnionem, vel per sanctitatem iuxta varias sententias Doctorum.

*Contra*. Nam solutio ista non eneruat vires argumenti: quippè licèt verum sit, quòd agendo de oppositione morali, magis indignum sit permittere in natura assumpta actionem peccaminosam: quàm assumere, & retinere naturam perdurantem in peccato; tamen agendo de oppositione physica, nullum est descrimen; nam siue peccatum sit aliquid positiuum, siue aliquid priuatiuum, nequit expelli physicè ab vnione (hæc enim operatiua non est). *Nec valet* etiam de sanctitate: quippè probaui supra, sanctitatem non opponi physicè formaliter peccato.

*Illud aliud*, quod addit *Suarez*, (nimirùm, quòd, si natura foret assumpta in peccato, necessariò mũdaretur ab illo, vel per vnionem hypostaticã, vel per sãctitatem Diuinam secundùm varias Doctorum sententias) dicitur absque sufficienti fundamento: quippè cum vnio hypostatica, & sanctitas Diuina non dicant oppositionem ex natura rei cũ peccato, vt supra probaui; concluditur: quòd talis natura deberet mundari per extrinsecam condonationem, & remissionem peccati, quòd, cùm liberum sit Deo, poterat saltem de potentia absoluta non facere, ac per consequens nõ implicaret, illam naturam in peccato permanere. *Adde*, quòd difficillimè negaretur, naturam assumptam non posse peccare venialiter: nam si filius adoptiuus id potest naturaliter, & frequentissimè; cur is, qui per vnionem hypostaticam esset filius, nullo modo peccare posset venialiter?

## *Alius modus impugnandi nostram opinionem.*

NOnnullis placuit, naturam assumptam reddi impeccabilem ex præciso conceptu vnionis hypostaticæ; vndè inferunt repugnare per locũ intrinsecum, quòd, stante vnione hypostatica in humanitate, eadem humanitas peccet.

PRO-

# PROPOSITIO SEPTIMA.

## *Hic dicendi modus aberrat à vera via.*

19 PRobatur primò. Humanitas in se sinè dubio est defectibilis, & indigens ad euitandum peccatum, vt remoueãtur conditiones peccandi, illuminetur intellectus, & corroboretur affectus voluntatis: at vnio ista enumerata non præstat: ergo per vnionem humanitas non redditur impeccabilis. Minor probatur ex eo, quòd, perseuerante in humanitate vnione hypostatica, posset in illa durare ignorantia, & voluntas affecta; vt priùs. *Vrgeo argumentum*; ex eo, quòd humanitas consideretur vnita Verbo, nullum inuenitur auxilium in voluntate eam conducens ad bonum amplectendum, & malum euitandum. *Adde*, quòd, stante vnione hypostatica, potuisset Deus, non dare aliquod auxilium in volũtate; quippè alia est voluntas vniendi, & altera dandi auxilium: ergo Deus posset concedere primum, denegato secundo.

*Sit tale argumentum*. Humanitas ante vnionem poterat peccare: ergo etiam post vnionem. Consequentia ex eo fit clara: quia voluntas nil plus auxilij haberet tunc, quàm antea. *Item*. Seclusis his donis gratuitis, & perseuerante vnione hypostatica, ea humanitas non esset sapientior, & potentior: ergo remaneret peccabilis, vt primò. *Adde*, quòd ad euitandum peccatum, est opus cognitione in intellectu, & aliquo affectu in voluntate remouente impedimenta, quæ conducunt ad peccandum; at vnio, vt talis, neutrum præstat: ergo, vt talis, non est expulsiua peccati.

20 *Item*. Vnio hypostatica, quà talis, non habet physicam repugnantiam cum peccato; hoc sic probo: ea tantùm habent physicam, & realem repugnantiam, quæ sunt formæ, vel quasi formæ sibi inuicem formaliter opposita; quatenus vna earum in suo formali conceptu negat aliam; vel quatenus vna aliam expellit ab eo subiecto, in quo recipitur, sicut calor, & frigus: Non ita se habent vnio, & peccatum: ergo &c. Minorem probo. In primis vnio nõ est formaliter negatio peccati. *Tum quia* peccatum formaliter est carentia, seu priuatio rectitudinis debitæ; non ergo vnionis. *Tum quia* vnio, vt talis, dicit nudam coniunctionẽ humanitatis ad Verbum.

bū. *Tum quia* sic opposita habent idem subiectum: at subiectum peccati est voluntas, vnionis nō ita. *Tum quia* ita opposita spectant ad idem genus (cum opposita ea sint, quæ sub eodem genere maximè distant) at vnio est generis supernaturalis; peccatum non ita.

21 *Item* oppositio ex natura rei in doctrina philosophica est quadruplex. *Contraria, Relatiua, Cōtradictoria, & Priuatiua*: at nullo ex his modis vnio hypostatica aduersatur peccato ergo &c. *Non opponuntur contrariè*; nam oppositio talis expostulat vtrūq; extremum positiuum; & peccatum est priuatio, vt suppono. *Si dicas*, peccatum esse quid positiuum. *Contra est*: quia secundùm omnes habituale peccatum cōsistit in priuatione: ergo adminùs vera est nostra sententia, si sermo sit de peccato habituali. *Non opponuntur relatiuè*; nam talis oppositio exigit extrema relatiua: at vnio in doctrina Aduersariorum est modus quidem absolutus, & in communi doctrina peccatum est priuatio, & non ens relatiuum. *Non opponuntur contradictoriè*: quippè oppositio contradictoria debet esse inter affirmationem, & negationem: at vnio, & peccatum non se habent, vt affirmatio, & negatio: etenim aliàs ad negationem vnius haberetur positio alterius: quod tamen nemo dicet; cum multi habentes gratiam, non possideant vnionem hypostaticam. *Nec etiam opponuntur priuatiuè* primò ob eādem rationem; secundò, quia opposita debent esse sub eodem genere: at vnio, & peccatum ita non se habent: quippè vnio est in genephysico, peccatum autem in genere moris: ergo &c.

## *Alter modus impugnandi nostram sententiam.*

QVidam dicunt, repugnare peccatum in natura assumpta; quia aliàs Verbum Diuinū peccaret, quippè actiones sunt suppositorum.

## PROPOSITIO OCTAVA.

### *Hic modus dicendi non est verus.*

22 PRobatur primò. Quia suppositalitas non est principium actiuum, sed potiùs formale cōstitutiuum naturæ in ratione

tione suppositi; quia actiones non dicuntur esse suppositorum, eo quòd constitutum ex natura, & hypostasi (prout de materiali importat naturam, & de formali subsistētiam) eliciat influxum, sed quia priùs est, vt natura substentetur, & terminetur intrinsecè per suppositalitatem, quàm quòd extrinsecum habeat influxum. Denominatur tamen suppositum operans (licèt actio nō emanet ab hypostasi) quia antequàm natura influat in extrinsecum, elicit priùs suppositalitatis formam, à qua completur, vt in se, & per se existat; sed personalitas Diuina gerit vices hypostasis creatæ, & personalitas creata non est principium *vt quo* causalitatis à subsistentia effluentis in genere causæ efficientis: igitur nec personalitas Diuina, quæ supplet vices creatæ hypostasis.

23 *Tale sit argumentum*. Id facit in ratione suppositi personalitas Diuina in natura asſūpta, quod faceret personalitas propria creata, sed personalitas creata tantùm est ad esse, & non formaliter ad operari: ergo similiter personalitas Diuina. *Confirmatur*, Nam sicut propria personalitas non concurrit formaliter ad operationes, sed tantùm præsuppositiuè, & vt conditio necessaria requisita, vt natura operetur; ita similiter personalitas Diuina formaliter non elicit operationes, sed tantùm concurrit, vt conditio necessaria. Quòd subsistentia non sit ratio agendi, docet *Scotus*, vbicumque in sua doctrina. Videatur *in 4.d.3. in solutione ad secūdum principale, &c. Probatur etiam* ipsa doctrina; nam Deus formaliter non operatur per suas subsistentias: sed natura humana terminata fuit subsistentia relatiua Diuini Verbi: ergo talis subsistentia non est ad operandum præcisè, & formaliter. *Adde*, quòd si Deus assumeret naturā insensibilem lapidis v.g., non eliceret operationes per talem naturam; & nihilominùs daret illi esse subsistentis: ergo subsistentia tantùm concurrit formaliter ad esse naturæ completum, & non vt principium operatiuum.

24 *Dices*, personalitatem, seù subsistentiam esse necessariam ad naturæ humanæ operationem: ergo subsistentia non solùm datur ad constitutionem naturæ, verùm etiam vt principium operatiuum. *Contrà*. Nam subsistentia non requiritur ad operationem formaliter, ita quòd concurrat physicè, & formaliter, tanquàm conprincipium; sed tantùm requiritur, vt conditio naturaliter requisita: quia communiter loquendo, natura priùs constituitur completa in se, & postea operatur: non ergo personalitas est principium elicitiuum actionis. *Hoc etiam ex eo liquet*, quòd si Deus naturam

ram humanam diuinitùs sinè vlla subsistentia, nec propria, nec aliena conseruaret, eliceret operationes discursiuas eiusdem prorsùs speciei cum his, quas defacto producit, quando composita est formæ hypostasis: ergo suppositalitas non est ratio, & forma agendi.

*Nota*, quòd in sententia probabili subsistentia, seù ratio suppositi consistit in duplici negatione: ergo ratio personalitatis, seù subsistentiæ non est principium agendi.

25 *Vrgetur ratio*. Si hypostasis, seù subsistentia foret ratio agendi, sequeretur, quòd si natura humana subsisteret per subsistētiam imperfectiorem sua propria subsistentia; tunc actiones illæ forent imperfectiores, & debiliores, quod nemo dicet. *Item* etsi concederemus, actiones esse suppositorum; tamen inde nil probaretur in fauorem sententię nobis contrariæ, sed esset petitio principij: etenim omnes cōcedimus, Verbo Diuino in se repugnare peccatum; tamen adhùc restat difficultas: vtrùm etsi Verbo in se repugnet peccatum; tamen possit peccare ratione naturæ assumptæ; sicut etsi dicatur Verbum immortale, & impassibile; tamen ratione naturæ assumptæ dicitur mortale, & passibile. *Item*: etsi Verbum influeret ad actionem peccaminosam, adhùc Verbū nō diceretur peccare. *Rem explico*. Licèt Deus, vt causa prima, præstet cōcursū ad omnem actionem causarum secundarum, & cum illis cōcurrat; non tamen peccatum tribuitur Deo, sed creaturis; ita in casu peccatū tribueretur humanitati, non verò personalitati.

## PROPOSITIO NONA.

### *Adducuntur aliæ rationes contra præcedentem modum Aduersariorum, & probatur, non sequi per locum intrinsecum, Verbum Dei peccans, etsi physicè concurreret cum natura humana ad actionem peccaminosam.*

26 PRo veritate moneo, *alias esse denominationes physicas*, vt denominatio mortalis, geniti ex matre, &c. quæ oriuntur à forma aliqua physica, vel à passionibus physicis humanitatis, & deriuantur in suppositum Diuinum independenter ab om-

omni ente morali, quia nil aliud requirunt, quàm vnionem physicam naturarum in eodem supposito; illa enim sola posita, fit cõmunicatio in cõcreto, etiamsi vna forma, vel vna natura nil aliam iuuet. Sic paries albus dicitur disgregare visum, quamuis hoc conueniret ipsis accidentibus omninò separatis. *Alias esse denominationes morales*, vt denominatio merentis, satisfacientis, & consimiles, quæ habentur à formis moralibus, & licèt præsupponant actiones physicas humanitatis, in genere tamen moris habẽt aliquid ab ipsa persona Diuina. Vnde si nõ habeatur influxus moralis suppositi, denominationes morales, non obstante vnione reali physica, impediri possunt. *Ita si quis* præter suam intentionem, & contra voluntatem cadens alterum interficiat, dicitur quidem physicè occidere alterum, non tamen in genere moris, quia illud, quod in supposito humano potest cõcurrere in genere moris (nempè anima) non habet vllum influxum moralem in istum actum physicum.

27 *Ad communicationem* igitur idiomatum in denominationibus moralibus boni, & mali, nõ sufficit coniunctio naturarum in supposito, nisi natura, quæ denominatur talis, contrahat in se per influxum moralem bonitatem illam, vel malitiam; nec concursus physicus etiam specialis Verbi (si talem haberet) sufficeret ad contrahendas has denominationes morales: etenim sicut concursus generalis, quem Deus præstat, vt causa prima, non facit eum causam, vel authorem peccati: quia non est concursus moralis, sed physicus subordinatus nostræ voluntati quoad exercitium; sic etiã concursus particularis subsistentiæ non faceret Verbum peccatorem: quia, prout à Verbo, non præstaretur in genere moris, sed vt physicè accessorius ad actiones humanitatis, & subordinatus ipsi humanitati quòad exercitium.

*Concursus autem specialis moralis*, qui requiritur ex parte ipsius Verbi, in hoc cõsistit, quòd Verbũ velit actiones morales humanitatis sibi imputari, vt cẽseatur operari ipsum Verbum per humanitatem, quam sibi propriam fecit. Discursus iste noster colligitur ex *Sancto Cyrillo* ad Valerianum, vbi inquit: *Quia Verbum propriæ carnis perpessiones; quasi proprias in se transtulit, sibiquè vendicauit, eius mortem omnium vitæ præponderasse, asserimus*.

28 *Ratio huius est*. Quia cum Verbum sit realiter distinctum ab humanitate, & habeat voluntatem, qua operari potest: actiones humanitatis nequeunt ipsi imputari, nisi per voluntatẽm, vel interpretatiuè, vel actualiter eas faciat suas. Ita motus nostri in-

inordinati non imputantur voluntati, quando eos non facit suos, interpretatiuè, vel actualiter consentiendo. Vndè si Verbum nollet actiones bonas humanitatis, tanquàm à se factas, nō essent maioris valoris, quàm actiones alterius, qui cum gratia creata æquali cum gratia Christi operaretur. Nec diceretur Deus formaliter satisfacere per istas actiones; quia cum in genere moris non influeret suppositum per propriam voluntatem, actiones nō denominarent ipsum, nec ipsi imputarentur in genere moris, non obstante cōmunicatione physica idiomatū, qua diceretur Deus tùm operari, pati, sitire, esurire, &c.

*Ad propositum* igitur hoc applicando. Concludo, quòd in casu, quo natura assumpta peccaret, adhùc Deus non deberet dici peccare, nec peccator; quia non acceptaret, nec vellet actiones peccaminosas humanitatis, tanquàm à se factas, aut sibi adscribi; & cōsequenter estò illæ actiones, vt sunt formæ physicę denominarēt ipsum: quia ad hoc sufficit physica vnio; tamen vt sunt formæ morales, non darent ipsi vllam denominationem moralem: quia ad hanc habendā nō sufficit vnio sinè influxu morali illius, cui attribuitur illa denominatio moralis.

29 *Dices*, Verbum non posse non velle actiones humanitatis sibi vnitæ, tanquàm suas: quia per vnionem facit naturam sibi propriam: ergo non potuit operari natura assumpta, nisi tanquàm propria subdita Verbo: quæ autem sic operatur, debent necessariò imputari Verbo, tanquàm ab eo facta; hinc enim sequitur; Verbum obligari ad rectam gubernationem naturæ assumptæ, sicut voluntas obligatur ad rectam gubernationem appetituū sensitiuorum residentium in eodem homine; sicut vir, pater, & Dominus tenentur ad gubernationem vxoris, filiorum, & seruorum: ergo sicut voluntas (& idem est de viro, patre, & Domino respectù vxoris, filiorum, & seruorum) tenetur dirigere appetitus sensitiuos, & non permittere in eis aliquid inordinatum; & si permittat aliquid tale, hoc illi adscribi debet; sic similiter, &c.

*Contra*. Etsi per vnionem natura sit Verbo propria; ex hoc tamen non nascitur ei vlla noua obligatio dirigendi operationes humanas: aliàs si assumeret naturam aquæ, vel ignis, obligaretur non permittere eas suffocare, vel comburere saltem innocentes, aut vllum aliud damnū facere, quod tamen est incredibile.

30 **Exempla adducta nil faciunt ad propositum: quamuis enim Dominus, & pater in creatis teneantur impedire culpas seruorum suorum, aut filiorum; Deus tamen non tenetur impedire** cul-

culpas seruorum suorum, aut filiorum: quia leges, & regulæ rectæ rationis, quę obligant homines, non obligant Deum. Cur ergo Verbum nō posset permittere, si ei placeret, lapsum humanitatis assūptæ? *Deinde*. Verbum ratione vnionis præcisè nō habet aliquam nouam potestatem in actiones humanitatis, sicut homo, si vniretur hypostaticè cum natura Leonis, non posset magis cohibere Leonem, quàm si non esset vnitus: Pater autem, vir, & dominus habent potestatem in operationes filiorum, vxoris, & seruorum, & ratione eius habent obligationem eas gubernandi. Et si Verbum haberet talem potestatem, adhuc non obligaret ipsum, sicut obligat in creaturis, nam etiam dependentia filij à patre, vxoris à marito, & serui à domino fundat obligationem in creatis; & tamen talis, vel maior dependētia creaturarum à Deo non ponit in ipso obligationem eas dirigendi. Ideo etiam voluntas tenetur regere appetitum sensitiuum, & alias potentias inferiores, quia earum operationes essent ipsi voluntati malæ, & culpabiles propter periculum consentiendi; si enim nullum esset tale periculum, nulla fortè esset obligatio in voluntate cohibendi motus inordinatos appetitus secūdùm plures Doctores, quos refert *Salas tom.2.&c.*

31 *Et si voluntas teneatur* cohibere illos motus, etiā seclusio omni periculo consentiendi, ideò esset, quia aliàs deficeret à regula rectæ rationis, non quod illi motus essēt culpabiles ipsis potentijs inferioribus, quæ secundùm se præcisè considerata, sūt culpæ incapaces; sed quia recta gubernatio dictat, subditos non solùm à culpa coercere, sed etiā earum actiones ita dirigere, vt ei inseruiant in ordine ad finem principalem totius. Vnde Dominus obligaretur impedire, si facilè posset continuum otium, vel clamores serui amentis, quia licèt illud otium seruo nō esset tunc culpabile; tamen culpabile esset domino habere seruum otiosum, vel vociferantem, si facilè vitare posset.

*Sed ex nullo* horum capitum sequitur, Verbum esse necessariò obligatum ad gubernandas actiones naturæ assumptæ: Non ex primo, quia in actibus inordinatis humanitatis nullū oriretur in Verbo periculum cōsentiendi. Non ex secundo, nàm multi ex Aduersarijs fatentur, potuisse de potētia absoluta reperiri in humanitate assumpta motus indeliberatos, & etiam inordinatos in appetitu, imò & in voluntate, si essent inculpabiles: ergo leges rectæ gubernationis, quæ obligant voluntatem erga appetitum, non arguunt in Verbo similem obligationem erga naturam assumptam.

32 *Replicabis*, quòd si natura assump.

ſumpta peccaret, Verbum ſecũdùm ſuam entitatem eſſet odibile: ſed hoc eſt abſurdum:ergo &c.maior patet;quia Deus odio habet totum peccatorem; licet enim ſolum peccatum ſit ratio formalis illius odij, tamen reddit totum odibilem: ſicut gratia reddit hominem totum, & ſecundùm omnes ſuas partes amabilem.

*Contra*, Peccatum reddit totum hominem odibilem ſecundùm omnes partes, quia alicui ex illis non repugnat odium; at in caſu noſtro Verbo Diuino repugnat odium: quippè ratione ſuæ intrinſecæ,& infinitæ ſanctitudinis foret dignum amore infinito. *Exemplum ſit* de natura humana vnita hypoſtaticè (per poſſibile, vel impoſſibile) cum Angelo,& offendente Angelum, tunc Angelus poſſet odio habere hominem, non quidem completè, prout includit etiam ſuppoſitum; quia non haberet odio ſuam ſubſiſtentiam, ſed ſolùm naturam humanam. Ita Deus in illo caſu poſſet amare Angelem benè operãtem, & odio habere hominem peruersè agentẽ, vel peccantem;non tamen ſecũdùm omnes partes, quas includerent. Cur igitur non poſſet odio habere humanitatẽ Chriſti peccantem, & amare ſuppoſitũ Chriſti omni amore dignum?

## *Alter modus dicendi.*

DIcunt alij impeccabilitatem Chriſti ex eo cõcludi, quòd Verbum aſſumens humanitatem tenetur ex intrinſeca ſua bonitate, & rectitudine humanitatem regere, & gubernare.

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Hic dicendi modus diſtat à veritate.*

33 PRimò, quia falsò ſupponitur ea obligatio in Verbo,vt patet ex dictis propoſitione antecedenti.Eſt enim res difficilis creditu: quòd ſi verbum aſſumpſiſſet, vel aſſumeret naturam equinam, teneretur impedire illius calcitrationem; & ſi aſſumeret naturam ignis, non teneretur impedire eundem, nè combureret domum pauperis. Quando Angelus aſſumeret hypoſtaticè humanitatem, tunc Angelus ex præciſo conceptu illius

lius assumptionis minimè teneretur impedire peccatum humanitatis: quinimò Angelo obseruante legem, posset humanitas transgredi legem, & ita humanitas esset in peccatis, & Angelus in gratia.

*Sit tale argumentum*. Si homo vniretur per subsistētiam fluuio, teneretur nè homo impedire fluuij inundationem in domos? certè non: ergò vnio hypostatica, quà talis, nō concludit obligationem directionis in Verbo assumente. *Item*. Si verbum est impeccabile, est etiam impassibile: at ab attributo impassibilitatis non fuit Verbum necessitatum ad impediendam passionē in natura assumpta: ergò ab attributo impeccabilitatis non obligatur Verbum ad impediēdum peccatum.

34 *Ad illud* de obligatione directionis, quod solet adduci in parentibus respectù filiorum, in dominis respectù seruorum &c. Dico, eo in loco habere veritatem; quia parentes, quà tales, habent authoritatem, & superioritatem in filios, Domini in seruos, mariti in vxores; hinc ratione talis nouæ authoritatis, & superioritatis tenentur impedire, nè labantur in peccata: at Verbum Diuinū ex præciso cōceptu vnionis hypostaticę nullū ius nouum habet in naturam assumptam: ergo ex vi vnionis hypostaticę non tenetur eam dirigere dispoticè; impediendo, & corrigendo humanitatem, nè peccet. *Item* dato gratis, quòd ex vnione hypostatica resultaret in Verbo aliquod nouum ius in humanitatem; non inde sequitur, Verbum necessitari ad taliter regēdam humanitatem, vt non permittat humanitatem peccare. Paritas parentum respectù filiorum, & dominorum respectù seruorum non facit ad propositum. Ratio est: quia isti non sunt supremi domini, & ita faciliter intendimus illos obligatos: at Deus est supremus dominus, qui cùm, vt prima causa, non teneatur hominum impedire peccata dispoticè, non videtur necessitari ad impedienda peccata in humanitate assumpta. *Adde*, quòd cùm Deus sciat de malis facere bona: qua ratione dixi in Tractatu de Prædestinatione, *permissionē peccati esse effectū ū p̄destinationis*: ita dico, Deū permittere potuisse lapsum humanitatis, vt indè redderetur clarior humanitatis fragilitas, & debilitas. *Defacto autem* nunquam peccauit illa sanctissima humanitas; quia semper fuit beata: & beatitudo (saltem de communi lege) non admittit vmbram peccati.

35 *Nota*, quòd nulla coniunctio inducit obligationem regiminis, nisi illa, quæ subordinat vnum alteri: at per vnionem hypostaticam Verbum Diuinum non sibi subordinat humanitatem, seù nō acquirit ius nouum

supra

supra humanitatem: ergo &c. maior patet: etenim pater tenetur filios regere, & Dominus seruos, quia filij sunt sub potestate Patris, & serui sub potestate dominorum: hinc postquam filius est emancipatus, seù est sui iuris, aut ampliùs non est sub potestate Patris, Pater non tenetur regere filium &c. *Quòd ratione assumptionis hypostaticæ* Verbum non acquirat nouum ius, patet; quippè si Petrus assumeret ad propriam subsistentiam Leonem; non tamen Leo esset sub potestate Petri, nec ad libitum Petri essent impediti impetus Leonis &c. *Itē* Deus ex multis honestis finibus posset permittere peccatum talis humanitatis. *Primò* ad ostendendam naturæ assumptæ veritatē, & eiusdem voluntatis arbitrium. *Secundò* ad laudem diuinæ gratiæ, qua Deus deinde tolleret peccatum. *Item* ad gloriam humanitatis, quæ cum potuerit transgredi, non est transgressa. *Item* Deus, cùm sit supremus dominus, nullis tenetur legibus.

*Dices*, Deum non teneri lege sibi extrinseca, quia non habet superiorem, tamen teneretur determinatione facta à sua propria voluntate. *Contra*: quia hoc tantùm valet defacto, non verò de possibili &c.

## *Alter modus Aduersariorum.*

Dixerunt alij, naturam dicendam impeccabilem: quia vi vnionis hypostaticæ illi erat debita beatitudo, & cum ipsa nequit stare peccatum.

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## *Non est admittendus hic discursus.*

36 Primò, quia, vt doctè probat *Scotus in 3. dist. 2. q. 2. §. ad quæstionem F.* non includit contradictionem, humanitatem vnitam verbo non frui.

*Pro pleniori intelligentia* notandum, quòd illud, quod est posterius, ita se habet ad suū prius (si realiter distinguātur) vt prius absque contradictione possit esse sine suo posteriori, si inter ea aliundè non detur necessaria connexio; si verò detur, nequit esse prius sine posteriori. Hoc in

tribus

tribus præcipuè casibus declarari potest. *Primò* quando prius, & posterius realiter sunt idem, vt genus cum sua specie, & species cum suo indiuiduo. *Secundò*, quando prius, & posterius, etsi realiter distinguantur, sunt tamen correlatiua, quæ in ratione relatiuorum nequeunt ad inuicem separari, vt pater, & filius. *Tertiò*, quando prius etiam si realiter distinguatur à posteriori, est tamen causa illius intrinseca necessariò requisita ad esse, & conseruari posterioris, & in ea includitur, tamquam pars. Hinc partes physicæ essentiales simul vnitæ, quamuis sint priores toto, non possunt esse sine illo simul vnitæ: his ergo casibus prius non potest esse sine suo posteriori propter necessariam cõnexionem vnius cum alio.

37 *Moneo secundò*, visionem essentiæ Diuinæ, & fruitionem eiusdem, quibus creatura rationalis beatificatur, esse duas operationes immanentes absolutas realiter distinctas; quatenus prima est in intellectu, secunda in voluntate: ergo cùm intellectus sit prior in operando voluntate: ita visio est prior fruitione, cum discrimine tamen; nam actus harum potentiarum nõ solùm dicunt ordinem prioritatis inter se, verùm etiam distinctionis realis: quem ordinem non dicunt potentiæ inter se, cùm formaliter tãtùm distinguantur. *Est ergo disputandum* pro veritate nostræ impugnationis contra ipsũ vltimum modum dicendi aduersariorum: *Vtrùm visio beatifica, aut fruitio talem connexionem habeant cum vnione hypostatica, vt hac posita in aliqua natura, talis natura necessariò videat Diuinam essentiam, & illâ fruatur.*

38 *Partem affirmantem tenet Henricus quolib. 5. q. 6.* vbi consequenter affirmat, naturam irrationalem incapacem visionis, & fruitionis non posse vniri hypostaticè Verbo Diuino. Fauet *Picus Mirandulanus in sua Apologia q. 4.* nec desunt aliqui ex Recentioribus, qui cum illis sentiant; præcipuè *Suarez tertia par. tom. 1. disput. 34.* nàm licèt alibi teneat contra Henricum, Verbum Diuinum potuisse assumere naturam irrationalem, & consequẽter vnionem hypostaticam non includere visionem beatificam; nihilominùs *loco citato* tenet, de potentia Dei absoluta non posse fieri, quòd natura rationalis vnita hypostaticè Verbo Diuino peccet.

*Consequenter* ad hanc doctrinam fateri tenetur *Suarez*, implicare contradictionem, quòd natura rationalis vnita sit Verbo, & non beatificetur per visionem, & fruitionem: quippè illud solum est negandum omnipotentię Dei, quod implicat cõtradictionem: ergo si contradictionem implicat, quòd natura rationalis vnita Verbo peccet; etiam implicat, quòd sit vnita, & non

& non fruatur. Consequentia est clara: quia natura, quæ non videt essentiam Diuinam, nec fruitur illa, eius intellectus, & voluntas nullatenùs rapiuntur ab essentia, quam non videt: potest ergo se diuertere ad obiectum dissonũ rationi, & peccare. Si ergo *Suarez* asserit, illi naturæ implicare peccatum etiam de potentia absoluta: tenetur consequenter asserere, implicationē esse, quòd illa natura sit hypostaticè vnita, & quòd nõ habeat visionem, & fruitionem essentiæ Diuinæ. *Concludo ergo*, quòd in *Suarez* opinione vnionē hypostaticam necessariò sequitur visio beatifica. Moneo tamen, quòd licèt *Suarez* conueniat cũ *Henrico* in hac opinione, tamen in modo defendendi differunt: ille namque vnionem hypostaticam nudè sumptam, & absque alio dono, asserit, esse sufficientem ad beatitudinē animæ; Ille verò non nudè accipit vnionem hypostaticam, sed simul cum alijs donis coniunctam; & dicũt, ita coniunctam esse gratiam, & gloriam cum vnione hypostatica, vt implicet, talem vnionē poni in aliqua natura rationali sine eo, quòd illā sequatur gratia, visio, & fruitio *Dei*.

39 *Probatur tamen veritas* impugnationis primò ratione Scoti. Esse personale, & hypostaticum cuiuscumq; naturæ creatæ præcedit operationes eiusdem naturæ: ergo fieri potest de potentia Dei absoluta, quòd aliqua natura habeat esse hypostaticũ absque eo, quòd operetur: sed natura beatificatur per operationem: ergo quantumuis personetur in Verbo, potest non beatificari. Antecedens est planum; consequentia probatur: illud, quod est prius, potest esse sinè posteriori realiter distincto, quãdo nulla cõnexio necessaria datur inter illa: sed sic se habet suppositũ Verbi Diuini respectù operationis beatificæ in natura rationali: ergo &c. Maior quoad primam partem nequit negari; quoad secundam verò necessariò concedenda est ab omnibus, qui asserũt, posse Verbum Diuinum hypostaticè terminare naturam irrationalem, quæ nullo modo beatificetur: ergo ea terminatio non habet intrinsecam, & essentialem cõnexionem cum visione, & fruitione beatifica.

40 *Dices ex Henrico*, quòd licèt in natura irrationali separabilis sit vnio hypostatica à beatifica, cuius incapax est: non tamen hoc fieri potest in natura rationali, quæ capax est: quia cùm ista natura intellectum, & volũtatem habeat, implicat, esse istas potentias intrinsecè vnitas Verbo Diuino illis præsẽti; & quòd tales potentiæ non immutentur per visionem, & fruitionem ipsius Verbi.

*Contra*; nam omnis actio Dei ad extra est omninò contingens & voluntaria; ergo quantumuis

Deus

Deus sit præsens intellectui, & voluntati humanæ, non immutabit istas potentias necessariò per operationes beatitudinis, quas Deus suspendere potest in illa natura terminata, saltem de potentia absoluta.

*Item*. Nec intellectus videt obiectum beatificum, nec voluntas fruitur ipso ex proprijs viribus naturalibus: ergo si necessariò debet videre tale obiectum, & frui; necesse est, quòd ponatur in istis potentijs aliquid, per quod reddantur potentes ad videndum, & fruendum; at hoc nō ponitur præcisè per vnionē hypostaticam: ergo &c. Minor probatur: nam per talem vnionem tantùm terminatur dependentia humanitatis in ratione subsistentis ad esse subsistens: ergo ex vi præcisa illius nihil ponitur, quo potentiæ necessitentur ad operationes beatificas.

41 *Dices*. Superfluum esse habitū supernaturalem ad immutādas potentias illius naturæ assumptæ per operationes beatificas; nàm habitus ponitur propter duo. Primum, vt repræsentet obiectum; Secundum, vt facilitet potentiam ad operandum: at hæc duo sufficienter præstantur ex vi præcisa vnionis hypostaticæ: ergo &c. Minor probatur: nàm ex vi pręcisa illius vnionis, intimè præsens est Deus illis potentijs, & illæ sunt eleuatæ ad esse supernaturale: ergo ex vi talis vnionis pręstatur quidquid requiritur ad fruitionem Dei.

*Contra*. In primis falsam doctrinam assumit in eo, quod dicit, habitum poni ad repræsentandum obiectum; habitus namq; se tenet ex parte potentiæ, species verò ex parte obiecti, hinc ista est similitudo repræsentatiua obiecti, ille verò non. *Quoad secundam partem* etiā impugnatur; quia cum ex puris naturalibus nequeat creatura elicere actū meritorium, necesse est ponere in ea habitum charitatis, adhoc, vt talem actum eliciat, & cum multò minùs sit in potestate creaturæ fruitio, aut visio intuitiua Dei; quàm charitas: non possunt elicere actus istos absq; habitibus. Hoc valdè receptū est apud omnes Theologos; qui quamuis ponant in potentijs habitus naturales ad faciliùs posse; supernaturales verò ponunt ad simpliciter posse: Cum tamē ex vi vnionis hypostaticæ, præcisè habeat natura terminari, & personari; non tamen actualiter operari. Potest ergo Deus vnum ab altero separare.

*Vrgeo difficultatem*. Si natura rationalis ex vi præcisa vnionis hypostaticæ videret intuitiuè Deum, & ipso frueretur; defacto in Christo Domino haberet eādem vim; ergo superfluum esset addere aliquid aliud præter ipsam vnionem ad videndum, & fruendum: at omnes Theologi ponunt in Christo Domino ha-

bitus supernaturales ad hæc munera: ergo nullatenus haberi possūt ex vi præcisa vnionis hypostaticę.

42 *Dices*, quòd etsi certum sit, ex vi præcisa vnionis hypostaticæ naturam rationalem non frui Deo, & esse omninò necessariū, adhoc vt fruatur, vt ei superaddantur dona, auxilia, & habitus, vt requisita; tamē eo ipso, quòd Deus terminaret aliquam naturam rationalem, ita necessariò teneri in ea ponere prædictos habitus, & auxilia, vt implicet omninò contrarium facere. *Doctrinam istam* iam impugnaui in antecedenti propositione.

*Impugnatur etiam hoc fundamentum Suarez*, & fundatur veritas nostræ propositionis ab inconuenienti: Nàm adhoc, vt illa natura, prout terminatur, ita esset impeccabilis, vt implicaret illi peccatum, & de potentia absoluta, non est necesse, quòd Deus, supposita illa terminatione, necessitetur ad ponendos in ea habitus supernaturales, & denique ad concurrendum defacto ad actum visionis, & fruitionis: ergo ad euitandum illud inconueniens, superfluè ponuntur tales habitus, & actus: ac per consequens, quamuis illi naturæ implicaret peccatum, adhuc poterat non frui essentia Diuina. Probatur antecedens: nam adhoc, vt illa natura sit omninò impeccabilis, prout sic terminata, sufficit ponere in Deo necessitatem non concurrendi cum ipsa ad operationes prauas, rationi, ac legi Diuinæ dissonas: ergo, vt talis natura impeccabilis sit, superfluit ponere in ea prædictos habitus, & actus; ac per consequens, absolutè loquēdo, poterit Deus terminare naturam rationalem, sine eo quòd fruatur ipso.

43 *Ex hac doctrina collige*, nō implicare de potentia absoluta, quòd natura humana à Verbo Diuino assumpta videat intuitiuè Diuinam essentiam, & non fruatur ipsa. Veritas huius corrollarij fit clara eisdem rationibus, quibus supra; quia, cùm visio antecedat fruitionem, & sit actus diuersę potentiæ, nulla apparet ratio, quare tantam connexionem, & coexigentiam dicat, vt non possit à Deo separari. *Præterea*. Omnis actio Dei ad extra est absolutè libera, & contingens: ergo posita actione, vel concursu, quem præstat ad causandam visionem beatificam, & ipsam conseruandā, potest Deus liberè non præstare concursum ad fruitionem. Antecedens patet; cōsequentia probatur: nàm, cùm isti effectus sint realiter distincti, & habeant in se ordinem posterioris, & prioris, poterit Deus liberè concurrere ad primum, non concurrendo ad secundum.

*Restat ergo* benè fundata nostra impugnatio contra istum vltimum modum probandi impli-

plicantiam intrinsecam ad peccandum in humanitate assumpta. *Adde*, quòd etsi peccatum actuale repugnet cum actuali beatitudine, cum hac tamen nō repugnat peccatum habituale: probabile quippè est, peccatum habituale posse simul stare cum beatitudine. Sic docent multi grauissimi, & doctissimi Magistri.

# DISPVTATIO DVODECIMA.

## *De Sanctitate Christi.*

## *Præmittuntur nonnulla de Sanctitate in communi, prout sub se comprehendit Sanctitatem Dei, & Creaturarum.*

1 SAnctitas in communi definitur à *Dionysio* cap. 12. *de Diuinis nominibus*, hoc modo: *Sanctitas est ab omni scelere libera, & omninò perfecta, & ex omni parte immaculata puritas.* Ita refert Pater Lertius de perfectionibus, moribusquè Diuinis *lib.8, cap.1, num.3.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Sanctitas præcisè sumpta non consistit in sola negatione peccati.*

PRobatur: quia aliàs homines in pura natura creati fuissent Sancti. *Accedat ratio*. Esse sapientem dicit positiuam perfectionem: ergo, & esse sanctum: nam si perfecta puritas ab omni errore, & defectu intellectuali importat vltra negationem aliquod positiuum, idem debet dici de perfecta puritate ab omni labe voluntatis. *Hinc collige*, quòd si Deus per solam condonationem extrinsecam peccatorū iustificaret aliquem, talis minimè foret perfectè Sanctus, donec Deus illi conferret id positiuum, quod est ipsa sanctitas in se.

PRO-

# PROPOSITIO SECVNDA.

*Positiuum, quod dicit Sanctitas, consistit in physica, & positiua coniunctione cum Deo per affectum.*

2 DEclaratur. Sicut impuritas nascitur ex contactu Inferiorum; vt cùm facies, aut vestis luctu aspergitur, vel cùm anima per affectum inhæret appetitui sensitiuo; ita sanctitas, quæ est puritas, oritur ex contactu Superiorum, cùm affectus ad sublimiora, & nobiliora assurgit. Discursus patet: nam vnum oppositum benè declaratur per aliud oppositum; vndè dico, puritatem, quā præsefert sanctitas collocandam esse in coniunctione cum Deo per affectum. *Item.* Puritas ab omni errore, vel defectu intellectus posita est in côiûctione, & rectitudine intellectus circa supremum intelligibile: ergo puritas ab omni defectu volûtatis, vel peccato consistit in côiunctione, & adhæsione per affectum cum Deo honestissimo fine.

3 (*Monitos* volo Lectores, quòd cum rectitudo affectus circa Deum sit duplex, in actu primo vna, in actu secundo altera, ita duplex est sãctitas formalis; quædam in actu primo, & alia in actu secundo; Sanctitas formalis in actu secundo est in Deo actus amoris ipsius Dei, quo infinitè amat seipsum, seù vnitur per affectum sibi ipsi; sanctitas in actu primo côsistit in claritate, quam dari in Deo, demptis omnibus imperfectionibus, suppono ex infra dicendis. Nota, quòd prædicata ista: *Esse gratum Deo, esse acceptabilem, habere ius ad æternam vitam, esse participem Diuinæ naturæ, esse filium Dei adoptiuum*; ista, inquam, prædicata non sunt de primo conceptu sanctitatis; quippè sanctitas in quantùm talis solùm habet ratificare affectum, seù facere, quòd voluntas coniungatur per affectum nobilissimo, & honestissimo fini, qualis est Deus: ergo reliqua prædicata se habent per accidens ad sanctitatem vt sic. Scito etiam, quòd hominem esse consortem Diuinæ naturæ, nil aliud est, quã esse eleuatum ad quoddam esse supremum, ratione cuius habeat ius ad visionem claram Dei, & eiusdem fruitionem. Esse filium adoptiuum Dei, & hæredem gloriæ Dei, idem sonat, ac esse constitutum in quodam esse supremo, ratione cuius homo habeat ius ad æternam hæreditatem, seù claram visionem Dei, & eiusdem fruitionem. Esse gratum, seù amicum Dei consistit in eo, quòd homo sit eleuatus ad tantam dignitatem, vt aliquo

quo iure ei debeatur ratione talis dignitatis, vt à Deo ametur, non qualicumque amore, sed amore illo, qui est proprius iustorum, seù eorum, quibus sit volita æterna fœlicitas.

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Sanctitas creata non consistit in aliqua relatione.*

NOn vocamus in litem relationes rationis; quippè sanctitas est aliquod reale. Difficultas ergo est de relationibus Diuinis; *vtrùm illæ secundùm quod distinguuntur ab essentia Diuina, sint sanctitates?*

4 Nostra propositio est, quòd: *Relationes Diuinæ precisè sumptæ non sunt sanctitates.* Ita dicendum in doctrina Scoti, qui docet *quolibeto* 5. relationes illas non dicere perfectionem. Hinc, cùm sanctitas sit maxima perfectio, deducitur, relationes illas non esse sanctitates. Monitos volo Lectores, propositionem nostram etiã defendi debere à multis, qui nõ sunt de Nostratibus, scilicet à docentibus, humanitatẽ assumptam à Verbo Diuino reddi sanctam tantùm per naturam Diuinam, minimè verò per subsistentiam Verbi.

*Accedat probatio*. Sanctitas in communi, si positiuè sumatur, consistit in rectitudine affectus circa Deum, seù in reali, & physica coniunctione cum honestissimo fine, qualis est Deus, vt vidimus, agendo de sanctitate in communi: at coniunctio talis est quid absolutum: ergo conceptus sanctitatis non conuenit relationibus Diuinis, &c. *Item*. Mundities ab omni errore, & defectu intellectuali non potest competere relationibus (aliàs relatio foret formaliter sapientia): ergo similiter munditics, & puritas ab omni labe peccati nequit conuenire relationibus. *Item*. Relatio Diuina nõ est forma sanctificatiua ex eo, quòd sit relatio: nam aliàs relatio omnis, etiam creata, foret sanctitas; cùm conceptus relationis in communi participetur à relationibus creatis etiam. *Nec est sanctitas* ratione infinitatis. *Primò*, quia in rei veritate relatio Diuina non est infinita. *Secundò*, quia aliàs omne infinitum foret sanctitas: hinc, cùm attributa sint infinita in virtute, seù in perfectione, cuncta attributa forent sanctitates.

5 *Argumenta*. Quæ pugnant cõtra nostram doctrinam accipe. *Primum*. Quod est purum, pulchrum, & mundum, congruumquè obiectum dilectionis Dei, est sanctitas; talis est personalitas Diuinà: ergo Diuina personalitas

tas est sanctitas.

*Vt respondeamus* moneo, quòd aliud sit esse sanctum, purum, &c. & aliud esse sanctitatem, & puritatem. *Clariùs.* Aliud est esse formam sanctificantem; aliud esse sanctum; sicut aliud est esse album, *ut quod*, aliud esse albedinem, seù esse rationem *qua*, res est alba. *Ad punctum* dico, tantùm sequi, quòd personalitas sit sancta, pura, munda, &c. non tamen concluditur, esse sanctitatem, vel rationem, qua res dicitur sancta: nam sapientia Diuina est formaliter sancta, pura, munda, &c. non tamen est ratio, qua res dicitur sancta; aliàs cuncta de Deo dicta, forent in Deo formæ sanctificantes, quod dicet nemo.

*Secunda responsio.* Personalitas formaliter sumpta nec est sācta, nec non sancta, nec pura, nec nō pura; sicut de illis, asserimus, nec infinitate, nec finitate formaliter esse condecoratas. *Tertia responsio.* Accidentale est sanctitati in se, quòd constituat subiectum diligibile, & habens ius ad gloriam: etenim de per se dicit esse coniunctionem per affectum cum nobilissimo, & perfectissimo fine, cuiusmodi est Deus. *Quarta responsio.* Et si pertineret ad rationem sanctitatis reddere subiectum congruum, & aptum speciali dilectioni Diuinæ; tamen non sequitur, quòd relatio sit sanctitas; quippè, etsi reddat subiectū diligibile à Deo; non tamen ea dilectione speciali, quæ est propria iustorum, sed generali quadam ratione, qua scilicet Deus diligit id, in quo apparet aliqua perfectio; hac ratione Deus amore prosequitur hominem post peccatum, in quantum in eo durant habitus fidei, & spei; hoc etiam pacto diligit rationabiliter iuxta id: *nihil odisti eorum, quæ fecisti, &c. vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Tandem ad argumentum dico, indè deduci immensitatem, & æternitatem Dei fore sanctitates, vnde Deus foret sanctus immensitate, iustitia, æternitate, &c.

6 *Secundum.* Filiatio Diuina constituit filium Dei: ergo filiatio est sanctitas: nam esse naturalem filium Dei, & non esse sanctum, repugnat. *Concedimus*, Verbum Diuinum esse sanctum, negamus tamen esse sanctum filiatione; dicitur ergo Verbum sanctum, quia ex vi suæ processionis communicatur illi natura Diuina, communicantur cunctæ perfectiones Diuinæ, ac proindè illi communicatur sanctitas Dei, & ab ista Verbum appellatur sanctum.

*Tertium.* Tertia persona, in quantùm talis, est Spiritus sanctus: ergo est quid sanctum: ergo constituitur per sanctitatem; at constituitur per spirationem passiuam: ergo talis relatio est sanctitas: ergo, &c. *Pro responsione,*

*sione*, primò retorqueo argumẽtum hoc modo. Sapientia genita est persona Verbi: ergo est sapiens: ergo constituitur formaliter per sapientiam; at constituitur per filiationem: ergo filiatio est formaliter sapiẽtia; quod dicet nemo; cũ sapientia sit conceptus absolutus, & filiatio sit forma relatiua. Hinc sicut Verbum dicitur sapientia, seù notitia genita, non quia ratio constitutiua ipsius sit sapientia, seù notitia, sed quia ex vi processionis communicatur Verbo notitia essentialis declaratiua totius intelligibilis; ita à pari tertia persona dicitur Spiritus sanctus, non quia eius cõstitutiuum personale sit sanctitas, sed quia, cùm producatur per voluntatem, communicatur illi personæ amor essentialis Dei, quem amorem, dicam infra in fine n. 9. esse sanctitatem Dei. *Alia argumenta vide n. 27. vsque ad trigesimum inclusiuè.*

*Ex his accipe*, non esse possibilem relationem creatam, quæ de se sit sanctificatiua: quippè si id denegaretur relationibus Diuinis, irrationabiliter concedetur relationibus creatis. *Moneo* tamen, quòd, accedente Dei fauore extrinseco, posset relatio creata sanctificare aliquo modo: etenim posset Deus ad positionem talis relationis condonare peccata, amare illum hominem, vel illi gloriam tribuere, &c. *Memento* tamen ex supradictis, quòd talis sanctitas non foret perfecta sanctitas; huius ratio est: quia deficeret interior renouatio per susceptionem formæ sanctificantis animam, seù facientem animam physicè; & realiter vniri per affectum nobilissimo fini.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Singula attributa non sunt sanctitates, nec sanctificant Deum formaliter.*

9 Probatur. Singula attributa non tribuunt Deo formaliter esse sapientem: ergo nec esse sanctum. Consequentia probatur: nam sicuti sapientia est puritas ab omni defectu intellectus; ita sanctitas est puritas ab omni defectu voluntatis iuxta *Dionysium*, & communem doctrinam, & sicut purificare intellectum non pertinet ad singula attributa, ita neque emundare voluntatem: quis enim Deum incapacem erroris in intellectu,

& peccati in voluntate ex eo quod est æternus, immensus, subsistens, &c. dicet? *Item*. Sanctitas primò, & per se importat rectitudinem affectus; sed rectitudo affectus non competit formaliter sapientiæ, aut omnipotentiæ, verbi gratia: ergo singula attributa non sunt formaliter sanctitates.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Datur in Deo speciale attributum Sanctitatis.*

8 Moneo istud speciale attributum immediatè cadere, seù afficere, non essentiam Deitatis, sed potētias eius, & non omnes, nec aliam præter voluntatem Diuinam. Dari in Deo voluntatem distinctam ab essentia Diuina formaliter, & ab actuali operatione volitiua, *docui in primo*. Peculiare attributum sanctitatis Diuinæ non esse hanc formalitatem potentię volūtatis mediam inter Essentiam, & actualem operationem volitiuam, suppono; quippè potentia voluntatis vt sic non est sanctitas; tum quia puritas ab omni peccato non importat formalitatem potentiæ, vt sic, sed potiùs perfectionem superuenientem, & afficientem potentiam. Est modò difficultas, *quanam sit ista perfectio superueniens voluntati Diuina, à qua Deus dicitur formaliter sanctus?*

*Suppono*, in Deo dari perfectionem amoris charitatiui, sui, & creaturarum; in Deo esse perfectionem amoris Diuini negabit nemo; in Deo reperiri proprijssimè, & perfectissimè virtutem voluntatis, quæ est charitas (excludo tamen accidentalitatem, & reliquas imperfectiones) docet *Scotus*. Videatur *Suarez tom. 2. met. disp. 30. sessione 16*.

9 *Aduerte*, virtutem charitatis in nobis accipi dupliciter. Primò, prout est actus primus. Secundò, prout est actuale exercitium. Rursùs charitas in actu primo accipitur dupliciter. Primò, prout abstrahit ab imperfectione, & importat præcisè proximam quamdam perfectionem ad diligendum Deum propter se, & alia propter Deum. Ista acceptio aliena est ab omni vmbra imperfectionis, diciturquè perfectionem simpliciter cadentem suprà potentiam voluntatis, & priorem omni actu dilectionis. Secundò charitas in actu primo accipitur pro ipsa determinata inclinatione per modum accidentis, qualitatis, & habitus, &c. igitur in Deo proprijssimè datur charitas in actu primo abstra-

stracta ab omni imperfectione accidentis, & prout est præcisè quædam perfectio simpliciter. Hoc in sensu *cum Scoto tribuimus charitatem Deo*. Probatur: nam si potentia, & operatio denudātur ab imperfectionibus, & sic attribuuntur Deo; cur non dicemus idem prorsùs de habitu charitatis? *Supposito igitur*, quòd in Deo est constituenda charitas tàm in actu primo, quàm in actu secundo; non erit difficile declarare, in quo consistat sanctitas formalis, quæ est speciale attributum Dei afficiens, & veluti cadens supra formalitatem potentiæ voluntatis Diuinæ. Hinc

Dico: *quòd hoc attributum est Charitas, & amor Dei, quo seipsum amat*. Probatur: nam si sanctitas formalissima consistit in omnimoda puritate affectus, quæ positiuè est adhæsio, & coniunctio cum vltimo fine honesto, infertur manifestè, quòd amor ille, quo Deus amat se, sit formaliter sanctitas, cùm sit firmissima adhæsio, seù coniunctio cum vltimo fine diligibili. *Rursùs*. Amor ille, cùm sit attributum Dei, sequitur, quòd speciale attributum Diuinæ sanctitatis positum sit in prædicto amore.

10 Insuper dico: *quòd hoc attributum speciale non est sola Charitas in actu primo, nec sola in actu secundo, sed vtraque*.

Probatur. In Deo datur verè charitas in actu primo, vt supposui; ista etiam charitas est rectitudo voluntatis Diuinæ, & veluti vis adhærendi, & coniungendi se cum vltimo fine honesto; & cùm ea charitas sit infinita in suo genere, erit rectitudo, & vis adhæsiua vltimo fini; erit ergo infinita sanctitas. Probatur: nam sanctitas vt sic cōsistit in ea rectitudine, & adhæsione, & coniunctione cum Deo. *Item*. Si sanctitas importat necessariò impeccantiam, seù expulsionem culpæ; quæ alia forma meliùs tribuit Deo sanctitatem, quàm ipsa rectitudo in actu primo, relegans, & procul expellens omnem impuritatem peccati? *Quòd actus amoris, quo Deus diligit se, sit attributum sanctitatis*. Probatur: quoniam huiusmodi actus est formalis rectitudo; & coniunctio cum vltimo fine, ex qua positiua ratione non minùs sequitur expulsio omnis culpæ, quàm ex simili ratione positiua reperta in charitate, veluti habituali, quam etiam tribuimus Deo: ergo prædictus amor est sanctitas formalis Dei, non minùs, quàm charitas. *Tota assertio* probatur ex D. Dionysio: sanctitas Dei formalis conuenit amori Diuino, quo Deus amat se, & iuxta doctrinam suppositam; & amor iste Diuinus est duplex; vnus quasi qualitas habitualis, & alius quasi qualitas operatio, & non est maior ratio, cur sanctitas cadens supra voluntatem Dei sit amor ille

positiuus, quàm ille, cùm vterque sit rectitudo infinita,& coniunctio cum honestissimo fine. Istæ duæ sanctitates tales sunt, quòd si per impossibile vna separaretur ab alia; adhùc illa altera remanens cōstitueret Deū sanctum.

## PROPOSITIO SEXTA:

### *Deitas, prout præscindit ab omni attributo, non est Sanctitas.*

11 Probatur. Sanctitas ad aures *D. Dionysij* est puritas, & mundities ab omni labe peccati: sed Deitas, estò omninò sit mundissima, & purissima ab omni labe, non tamen est puritas, & mundities, *vt quo*, ergo non est forma sanctificatiua Dei. *Confirmatur*: nam etiamsi Deitas sit purissima, & libera ab omni defectu intellectus, *vt quod*; ipsa tamen secundùm se non est puritas, & mundities *vt quo* à tali defectu: ergo quamuis Deitas sit purissima ab omni defectu voluntatis; tamen in se non est puritas *vt quo* à tali peccato. *Item*. Si sapientia, & puritas intellectus est coniunctio cum summo intelligibili, ita sanctitas est puritas, & coniunctio per affectum cum vltimo fine honesto: ergo sicut Deitas non est rectitudo, & coniunctio cum summo intelligibili, & ita non est puritas ab omni errore, & defectu intellectus; ita etiam, cùm Deitas non sit formalis coniunctio,& adhæsio per affectum cum honestissimo fine, concluditur, quòd Deitas in se non sit formaliter sanctitas sanctificans Deum.

## PROPOSITIO SEPTIMA.

### *Si vnio hypostatica esset in se sanctitas formalis, sanctificaret naturam creatam hypostaticè vnitam in genere causæ formalis.*

12 Probatur. Forma vnita subiecto proprio, necessariò tribuit illi effectum formalem positiuum primarium, qualis

lis est esse positiuè sanctum, scilicet esse contrarium omni maculæ peccati. Vndè cùm vnio sit forma intrinsecè afficiens, & realiter inhærens naturæ humanæ vnitæ, necessariò, & formaliter sanctificabit ex suppositione, quòd talis vnio sit vera, & formalis sanctitas in seipsa. *De facto autem*

13 Dicendum est: *Quòd vnio hypostatica non sanctificat formaliter naturam humanam assumptam.*

*Probatur primò*, quia talis vnio non est ex natura sua forma sanctificans, probatur hoc: non est ex natura sua expulsiua peccati: ergo nec sanctificatiua; consequētia patet; quia esse sanctum, ex communi voce, negat peccatum. Antecedens ita ostendo. Expulsiuum peccati debet ex natura rei habere repugnātiam cum peccato; talem repugnantiam non habet vnio cum peccato: ergo vnio non facit propriè, & intrinsecè sanctum. Minor probatur: ea tantùm propriè habent physicam, & realem repugnantiam inter se, quæ sunt formæ, vel quasi formæ sibi; inuicem oppositæ; quatenùs scilicet vna earum in suo præciso, & adæquato cōceptu negat aliam, vel quatenùs vna aliam expellit ab eod ē subiecto, in quo recipitur; sicut calor, & frigus sese expellunt: at vnio hypostatica cōparata ad peccatum ita non se habet: ergo, &c. Minor probatur primò quoad primum modum repugnantiæ. Vnio hypostatica præcisè dicit solummodò nudam terminationem humanitatis in ratione subsistentis: at hoc formaliter non importat negationem peccati: ergo, &c. *Item*, quòd vnio non sit negatio peccati, sicut lux est negatio tenebrarum, patet: quia aliàs vbi non esset peccatum, foret vnio hypostatica, sicuti vbi non sunt tenebræ, adest lux: at multi sunt homines sinè peccato, in quibus tamen minimè reperitur vnio hypostatica: ergo, &c. Vnionem, & peccatum non se expellere ab eodem subiecto, sicut calor, & frigus, suadetur ex eo, quòd vnio habet pro subiecto humanitatem, peccatum verò voluntatem, quæ duo in schola Thomistica realiter, in Scotica formaliter distinguuntur. *Item*. Opposita spectant ad idem genus: etenim opposita ea sunt, quæ sub eodem genere maximè distant: at vnio est generis supernaturalis; peccatum non ita, quinimò est generis moralis: ergo, &c.

14 *Probatur secundò*. Oppositio ex natura rei in doctrina Philosophi est quadruplex; contraria, relatiua, contradictoria, & priuatiua: at vnio nullo ex assignatis modis opponitur peccato: ergo, &c. Minor probatur. *Primò*, non opponitur contrariè, vtpotè talis oppositio expostulat, vtrumque extremum esse positiuum reale, & peccatum est pri-

natio. *Secundò*, non opponitur relatiuè: quia talis oppositio dicit, extrema esse relatiua: at vnio in Schola, quam impugnamus, est modus substantialis; in Schola autem Scoti, licèt vnio sit relatio, tamen peccatum est priuatio, & non relatio: ergo peccatum, & vnio hypostatica non opponuntur relatiuè. *Tertiò*, non datur inter illa oppositio contradictoria; vtpotè hæc est inter extrema, quorum vnum sit entitas positiua, & aliud negatio: at vnio non est negatio, nec peccatum est negatio vnionis, sed est priuatio rectitudinis oppositæ, &c. *Quartò*, non opponuntur ista duo priuatiuè: etenim peccatum non est priuatio vnionis, sed rectitudinis debitæ in esse: ergo nulla datur oppositio inter vnionem, & peccatum: ergo vnio non est formaliter sanctitas.

15 *Probatur tertiò*. Si vnio hypostatica redderet humanitatem sanctam ex propria ratione vnionis; sequeretur, Deum non posse velle destruere illam humanitatem, nisi primò destrueret vnionem hypostaticā, quod tamen esse falsum, ex eo patet, quòd nulla apparet repugnantia in eo, quòd dicamus, Deum posse æquè primò destruere vnionem, & humanitatem. Sequelam ita probo. Si vnio hypostatica redderet hominem sanctum ex propria natura: ergo Deus necessariò diligeret humanitatem, habentem illam vnionem; consequentiam concedunt aduersarij. Nunc ita argumentor. Nequit Deus velle destruere humanitatem, quam necessariò diligit (implicat, me absolutè velle alicui simpliciter benè esse, & simul velle, cum non esse): ergo si Deus necessariò amat humanitatem habentem vnionem, ea necessitate vult Deus illi humanitati benè esse: ergo non poterit velle non esse, quod tamen est falsum: vtpotè Deus liberè cōseruat humanitatem, & vnionem.

16 *Dices*, Deum posse de potentia absoluta eleuare vnionem hypostaticam ad sanctificādum: ergo verisimile est, Deum de facto ita fecisse. *Negatur*, quod assumitur; quia, cùm in Christo sit gratia habitualis, ab ista sanctificabitur humanitas: nulla ergo est necessitas recurrendi ad eleuationem vnionis hypostaticæ. *Dices* ex Cardinali de Lugo, Christum sanctificari per gratiam habitualem, & etiam per vnionem, vel aliud Diuinū; vndè Christus erit sanctus duplici sanctitate. *Contra*; quia nulla est necessitas illius duplicis sanctitatis.

*Dices*. Non potest intelligi vnio hypostatica in humanitate, quin humanitas reddatur sancta: ergo vnio hypostatica est forma sanctificans. Antecedens probatur: statim ac intelligitur vnio in humanitate, statim

tim scimus, Deum illi communicasse aliquod infinitè gratum Deo: ergo signum est, humanitatem esse redditam sanctam per vnionem hypostaticam. *Negato antecedente*, ad probationem conceditur, quod ibi assumitur, negatur tamen consequentia: nam etiam Deus manutenet in peccatore fidem, & spem, quæ sunt dona supernaturalia; cùm tamen inde non sit licitum inferre: ergo Deus diligit peccatorem amore illo, qui dat ius ad vitam æternam, & facit filium Dei adoptiuum: Amor ergo ille est alterius rationis ab amore debito filijs adoptiuis Dei.

17 *Dices*. Gratia habitualis reddit hominem sanctum ex eo, quia est participatio Diuinæ naturæ: at vnio hypostatica plus accedit ad Diuinam naturam: ergo, &c. *Respondeo*, gratiam non sanctificare ex propria natura, sed tantùm moraliter, scilicet ex ordinatione Diuina, quam Diuinam ordinationem non legimus de vnione hypostatica.

*Dices*, esse congruentiam, ex qua debemus colligere, Christū esse sanctificatum per vnionem, & consequenter vnionem esse eleuatam ad dignitatem formæ sanctificantis. Probatur hoc. Primò, quia Christus sanctificaretur à forma digniori. *Adde*, quòd hoc facit ad maiorem honorem Christi. *Respondeo*, nos habere congruentiam efficaciorem ad dicendum, quòd vnio hypostatica minimè sit eleuata ad dignitatem formæ sanctificantis. Congruentia nostra est; quia homines, qui sunt membra Christi, fiunt sancti per gratiam habitualem: ergo cùm congruū sit, caput influere membris influxum, quem in se habet; si homines sanctificātur per gratiam habitualem, idem est dicendum de Christo. Discursus fundatur in illo celebri dicto D. Ioannis apud Euangeliorum caput primum n. 16. *de plenitudine eius nos omnes accepimus*.

*Tale sit argumentum*. Quod accipitur de plenitudine alicuius fontis, debet esse eiusdem rationis quoad entitatem cum eo, quod replet fontem. Hinc aqua deriuans in riuulum à fonte, est eiusdem rationis cum aqua fontis: at Christus est fons nostræ iustificationis; hinc ille dicitur *nostra iustificatio, nostra redemptio. &c.* ergo nostra iustificatio est eiusdem entitatis cum sanctitate Christi; subinfero: at nos sumus sancti, & iusti per gratiam habitualem: ergo idem dicendum de Christo. *De hoc, scilicet, quòd vnio hypostatica non sanctificet naturā humanā assumptā*, vide n. 24. & sequentibus, vbi iterùm probatur, &c.

PRO-

# PROPOSITIO OCTAVA.

## Si Deitas in se foret sanctitas respectu Dei, non posset tamen reddere sanctam naturam creatam assumptam.

18 PRima pars probatur. Diuinitas nulla ratione potest esse forma sanctificans humanitatem: ergo humanitas hęc non potest sanctificari formaliter per Deitatem: nam tunc Diuinitas informaret animam; quod Diuinitatem posse facere, dicet nemo. *Vrgetur difficultas*: nam si implicat, naturam humanã cõstitui formaliter Deum, aut Diuinam per Deitatem, repugnabit etiam, quòd constituatur formaliter sapiens, omnipotens per sapientiam, omnipotentiam, &c. & à simili implicabit, eam constitui formaliter sanctam per Deitatem, aut per hoc aliud, aut per aliquod aliud, quod sit realiter Deus. *Sit tale argumentum.* Omnia attributa tãtam simplicitatem, & identitatem habent inter se realiter, & cum natura Diuina, vt implicet, quòd cui vnum verè, & realiter communicatur, non communicentur reliqua omnia; sicut implicaret, vnionem realem fieri in natura, & non in attributis, aut in vno attributo, & non in alio: ergo si humanitati communicatur, vt forma, Deitas, aut attributum sanctitatis, idem dicam de attributis sapientiæ, omnipotentiæ, &c. ac proindè natura creata erit formaliter sapiens, & omnipotens, sicut esset formaliter sancta. Idem etiam sequeretur, si daremus, vnum attributum posse realiter communicari sinè altero: nam tunc cur non diceretur natura creata sapiens, vel omnipotens, sicut modò conceditur sancta per cõmunicationem specialis attributi sanctitatis?

19 *Respondent*, hunc modum sanctificationis, prout deriuatur in humanitatem à Deitatis forma, vel ab attributo speciali Diuinæ sanctitatis, esse effectum non physicum, sed moralem, & consistere in respectu quodam extrinseco. *Ita Vasquez 3. par. disp. 41. cap. 4. numero 24.* vndè, cùm sanctificatio causata in humanitate ex vi vnionis non sit physica, & realis, sed moralis dumtaxat, & extrinseca, sinè inconuenienti potest tribui Diuinitati, vel attributo sanctitatis, tanquàm formæ. *Lorca* multis rationi-

tionibus insurgit contra. *Primò*, quia sanctificatio moralis inaudita est Theologis, nec potest concipi, aut explicari. *Secundò*, videtur contraria Concilio Tridentino, & Patribus Ecclesiæ docentibus, sanctificationem consistere in interiori hominis renouatione. *Tertiò*, quoniam sanctificatio moralis, & extrinseca non potest non esse relatio rationis, vel determinatio extrinseca, ac proindè erit inferior ad sanctificationem, qua de lege communi sanctificantur homines, & consequenter sanctificatio Christi esset inferior ad nostram sanctificationem: sanctificamur enim nos per sanctificationem, quæ est forma realiter, & physicè, & nobis inhærens intrinsecè, & meliùs est esse sanctū per sanctitatem intrinsecam, & realem, quàm per denominationem extrinsecam. *Tandem*, aliàs forma sanctificans humanitatem assumptam non esset Deitas, vel attributum Dei, sed potiùs relatio rationis, aut denominatio extrinsèca. *Adde*, quòd si humanitas esset formaliter sācta moraliter, & extrinsecè in sensu explicato ex vi vnionis, sequeretur, idem posse dici de sapientia, omnipotentia, &c.

20 *Turrianus opusculo 6. disp. 10.* dicit: sensum illius propositionis, scilicet, *Diuinitas moraliter sanctificat humanitatem per denominationem, aut respectum extrinsecum*, significare, quòd Diuinitas non sit forma accidentalis; reuera tamen humanitas sanctificatur ex vi vnionis, non à forma extrinseca, sed ex natura rei à realitate verè, realiter, & intrinsecè vnita, licèt non sit forma informans.

*Ista doctrina* mihi non probatur: nam quamuis concedatur in doctrina Scoti, quòd de potentia Dei absoluta possit homo iustificari sola denominatione morali proueniente ex extrinseca acceptatione voluntatis Diuinæ; nihilominus sanctitas illa isto in casu diceretur sanctitas imperfecta, quæ tantùm consisteret in exclusione culpæ sinè positiua puritate, & munditia, & contrarietate cum macula peccati. Nos autem putamus, Christum esse sanctum per positiuam sanctitatem, & munditiam cōtrariam maculæ peccati. *Sit tale argumentum*. Secundùm Turrianum humanitas est verè, & intrinsecè sancta per Deitatem taliter, quòd ipsa Deitas realiter vnita humanitati sit eius formalis sanctitas: ergo idem possemus dicere de denominatione reali sapientis, omnipotentis, æterni, &c. & consequenter sicut humanitas est intrinsecè sancta à sanctitate sibi realiter vnita, erit etiam intrinsecè æterna, sapiens, omnipotens, &c. ab æternitate, omnipotentia, sapientia, &c. quæ sunt realiter coniuncta.

21 *Dices*; humanitas verè deificatur;

catur; sed deificatur à Deitate, tanquàm à forma: ergo ab eadem formaliter sanctificatur. *Respondetur*; deificationem non esse sanctificationem formalem, si rigorosè loquamur. *Præterea*, si deificatio est sanctificatio, potiùs concedere debent, quòd humanitas deificetur ab vnione hypostatica, tanquàm à forma, & à Deitate, tanquàm à termino. *Dices*. Anima nostra est iusta, quia habet sibi coniunctam sanctitatem; sicut paries dicitur albus, quia habet sibi inexistentem albedinem: ergo, cùm anima Christi habeat sibi physicè vnitam sanctitatem, ab illa sanctitate dicetur humanitas sancta. *Vrgeo difficultatem*: Deus est sanctus per Deitatem: ergo, cùm Deitas sit vnita humanitati, poterit humanitas dici sancta à Deitate. *Respondetur primò*, nos in propositione sexta iam probasse, Deitatem in se non esse formaliter sanctitatem Dei. *Secundò*. Nè sanctitas Christi sit inferior ad sanctitatem nostram, debet esse aliquod intrinsecum; non enim potest cõmunicari illi sanctitas à Deitate; etiamsi Deitas foret sanctitas.

# PROPOSITIO NONA.

## *Si relatio personalis esset sanctitas formalis, non posset constituere formaliter sanctam, humanitatem.*

31 PRobatur. Deitas, vel attributum sanctitatis non potest physicè, & realiter sanctificare humanitatem assumptam, vt concedit *Pater Lorca*, & probatum est superiori propositione: ergo, si relatio personalis foret in se sanctitas, per istam minimè sanctificaretur humanitas. Consequentia probatur: nam sicut Deitas, aut attributum nõ inhæret humanitati, neque vnitur, tanquàm forma; ita neque relatio. *Item*. Si relatio sine informatione posset vniri humanitati, idem dicerem de Deitate, & quocumque altero attributo. *Adde*, quòd illa, quæ sunt realiter identificata, ita se habẽt inter se, quòd cui communicatur realiter vnum, communicatur etiam realiter aliud: ergo qua ratione vniretur relatio, eadem ratione vniretur Deitas, &c.

*Dices*, non valere paritatem de relatione personalitatis, & de Deitate, vel attributo sanctitatis:

tatis: nam personalitas vnitur realiter, & immediatè; Deitas verò, vel attributum solùm vniuntur mediatè. *Contra*: nam in opinione *Lorcæ*, & *Thomistarum* relatio, & Deitas sunt omninò idem realiter, & solùm per intellectum nostrum distinguuntur: ergo mediatio Deitatis ad humanitatem, cui vnitur ipsa humanitas solùm est per nostrã considerationem, & reipsa non minùs vnitur Deitas, quàm relatio. *Secundò*; quantumuis Deitas reipsa vniatur mediatè, tamen realiter est vnita humanæ naturæ; hoc autem sufficit ad sanctificandam hanc humanam naturam. Hoc sic probo

23 *Suppositum* Verbi in sententia *Lorcæ* potest sanctificare potentiam animæ, & mundare à peccato voluntatem, si antecedenter ad assumptionem præfuisset peccatum in humanitate; & tamen suppositum vnitur voluntati tantùm mediatè: ergo Diuinitas, vel attributum sanctitatis potest habere effectum formalem in humanitate, quamuis isti non vniatur immediatè; solùm, quia intercedit realis vnio Diuinitatis, vel attributi ad humanitatem: dicendum igitur est idem prorsùs, ac de Diuinitate respectu humanitatis, ac de personalitate respectu eiusdem. Hinc (meo iudicio) inter varios modos, quibus Authores nobis contrarij explicant sanctificationem humanitatis ex vi vnionis ad Verbum, probabilior est modus ille dicendi Recentiorum affirmãtium, naturam vnitam naturæ Diuinæ sanctificari formaliter solo modo vnionis. *Ratio est*: quia Diuinitas, personalitas, attributum, vel persona Dei non possunt vniri per modũ formæ intrinsecè humanitati assumptæ, secùs autem relatio vnionis. Et sic probabilius est dicere, relationem istam esse sanctitatem humanitatis, quàm Diuinitatem, vel aliud Diuinum.

24 *Vnionem de facto non sanctificare humanitatem assumptam*; probaui supra n. 13. & sequentib. varijs rationibus. *Illis adde*. Si natura creata esset formaliter sancta ex vi vnionis ad personam Diuinam, id esset ex eo, quòd Deitas, personalitas, aut persona ipsa, attributum sanctitatis, aut vnio creata sanctificarent illam naturam: sed ista enumerata nõ sunt sanctitates formales, vt statuimus in propositionibus antecedentibus; & quamuis essent sanctitates formales, non possent sanctificare, vt forma naturam creatam; & attributum, licèt sit sanctitas formalis, repugnat, quòd vniatur naturæ creatæ, tãquàm forma, vt supra, &c. ergo, &c. *Adde*, quòd sanctitas consistit secundùm *Dionysium* in cõiunctione per affectum cum vltimo fine summè diligibili: vnio autem non est coniunctio per affectum; sed solùm facit, quòd na-

natura humana subsistat per subsistentiam Verbi: ergo vnio hypostatica non esset sanctificãs humanitatem.

25 *Dices*. Vnio hypostatica, etiã ratione sui, est donum excellentius, quàm gratia habitualis: sed gratia habitualis sanctificat: ergo etiam vnio hypostatica est forma sanctificans. *Respondetur*, gratiam non habere facere sanctum ex eo, quòd sit plus, minusuè perfecta: nam in Schola Scoti, gratia sanctificat ex Diuina ordinatione; vndè maior, vel minor perfectio non faciunt ad rem præsentem. *Replicabis*: est multorum opinio, quòd humanitas, vt præcisè includit vnionem hypostaticam, reddatur in se adorabilis propter sublimem excellentiam vnionis: ergo si vnio hypostatica potest reddere humanitatem adorabilem, valebit & etiam reddere illam sanctam. *Respondetur*, adorationem non probare efficaciter sanctitatem illam, quæ dat ius ad æternam fœlicitatem, & vt constitutiua filiorum adoptiuorum Dei: etenim Crux adoratur; nec tamen Crux est sancta sanctitate illa, qua sunt sancti filij Dei adoptiui, sed solùm dicitur sancta sanctitate extrinseca, illa scilicet, quæ facit subiectum dignũ cultu, & honore.

26 *Dices*. Id nos sanctificat, per quod efficimur consortes Diuinæ naturæ: at per vnionem hypostaticam humanitas efficitur consors Diuinæ naturæ: ergo per vnionem hypostaticam humanitas sanctificatur. *Vrgeo argumentum*: gratia sanctificat pro quanto est inexistens subiecto, illi affert fauorem Dei, & acceptationẽ in amicitia: sed vnio hypostatica affert realiter Deũ ipsum, quod est plus: ergo vnio hypostatica sanctificat.

*Pro responsione moneo*, quòd esse consortem Diuinæ naturæ facit duplicem sensum. Sumitur primò pro consortio, quo iusti per gratiam efficiuntur consortes Dei. *Secundò* sumitur pro posse recipere per communicationem idiomatum prædicata Diuinæ naturæ. *Ad argumentum nunc dico*, quòd per vnionem hypostaticam non efficitur humanitas particeps Diuinæ naturæ ea participatione, quæ est propria iustorum: Etenim posset Deus assumere naturam Luciferi, quo in casu natura illa diceretur filia Dei, non filiatione, quæ est propria iustorum (non enim illi foret debita Beatitudo): sed diceretur filia Dei, quia per communicationem idiomatum reciperet prædicata naturæ Diuinæ. Hac doctrina sit satis ad argumentum.

27 *Dices*. saltem personalitas Verbi poterit sanctificare humanitatem: est enim sanctitas; & sanctitas ex *D. Dionysio lib. de Diuinis nominibus cap.* 12. ita definitur: *sanctitas est ab omni scelere libera, perfectaquè, ac ex omni parte*

te

*te incontaminata puritas*: at nemo dicet, personalitatem Verbi non esse ab omni scelere liberam, & omni ex parte incontaminatam puritatem. *Huic argumento* iam fuit à nobis responsum supra, vbi notabamus, quòd personalitas Verbi, secundùm quod erat formaliter cōtradistincta ab omni alio prædicato Dei, nec erat incontaminata puritas, nec contaminata. *Fundo* istam responsionem in Scoto; *qui in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 7. loquens de spiratione actiua, ait: *illam formaliter consideratam nec esse necesse esse, nec non necesse esse*, sicut *quolib.* 5. asserit, *personalitates formaliter consideratas nec esse infinitas, nec finitas*. Scoti motiuum inter reliqua vnum tale est, scilicet, quòd nequeant dari tria infinita realiter distincta, quod tamen sequeretur, si personalitates forent infinitæ. Eodem discursu vtor & ego in casu præsenti: nequeunt dari tria infinita realiter distincta: ergo personalitas Verbi nō est formaliter sanctitas.

28 *Explico argumentum*: sanctitas dicit perfectionem, in Deo nulla finitas reperiri potest: ergo si personalitates in Diuinis sunt sanctæ, dicunt perfectionem non finitam: ergo cùm personalitas Patris, personalitas Verbi, & personalitas Spiritus sancti distinguantur realiter, darentur tria infinita realiter distincta. Hinc dico, quòd sicut personalitas Verbi in nostra Schola, nec est finita, nec infinita, nec necesse esse, nec non necesse esse, seù contingens; ita personalitas Verbi formaliter cōsiderata nec est contaminata, nec incontaminata, nec sancta, nec non sancta, sed de se præscindit ab ambobus, sicut de se præscindit à necesse esse, & ab esse contingenti, ab infinitate, & à finitate.

29 *Dices*, quòd talia prædicata sunt contradictoria: ergo vnum eorum debet conuenire personalitati. *Respondeo*, nullam hìc dari contradictionem: nam talis expostulat capacitatem in subiecto; personalitas autem sicut in se non est capax formaliter finitudinis, nec infinitudinis, ita nec est in se formaliter capax contaminationis, vel incontaminationis. *Dices*, Illud est sanctum, quod ex se petit adorationem Latriæ; personalitas est talis, vt patet in præfatione Missæ de Sanctissima Trinitate, in qua vniuersalis Ecclesia tribuit adorationem Latriæ ipsis personalitatibus, seù proprietatibus: ergo. *Respondetur primò*, personalitates fortè adorari propter realem identitatem, quam habent in Diuina essentia. *Secundò dico* nō valere argumentum ab adoratione ad sanctitatem: nam crux Christi est adoranda: Corpus Christi separatum in triduo ab anima, erat adorandum; neutrum tamen ex istis erat sāctum ea sanctitate, quæ dat ius ad æternam felicitatem, & quæ cō-

stituit

stituit filios Dei; de qua procedit nostra difficultas.

30 *Replicabis.* Quidquid intrinsecè, & formaliter est Diuina entitas, illud est sanctitas: personalitas Diuina est Diuina entitas: ergo personalitas Diuina est sanctitas. *Pro responsione* videantur, quæ diximus n. 11. vbi demonstrauimus, Deitatem non esse in se formaliter sãctitatem; vndè non valet arguere à conceptu Diuinæ entitatis in se ad sanctitatem in se. *Adde*, quòd personalitates in se spectatæ nec sunt Deus, nec sunt non Deus: sunt ergo tantùm personalitates personarum Diuinarum. Hinc formaliter consideratæ non debent dici Diuina entitas; sicut nec dicuntur finitæ, vel infinitæ; necesse esse, vel non necesse esse. *Nota curiosè*, quòd, si personalitates forent realitèr distinctæ à natura Diuina, non eleuarent ad esse Diuinum; quòd ergo eleuent ad esse Diuinum, habent ob realem identitatem cum natura Diuina.

*Replicabis*: personalitas Verbi constituit hominem filium Dei: ergo est sanctitas: quippè forma constituens filium Dei non potest non esse sanctitas. *Respondetur*, duplicem esse filiationem Dei; vna est filiatio iustorum, quæ dat ius ad Beatitudinem; & de hac sanctitate loquitur nostra propositio; altera est, quæ dicitur facere filium pro quanto facit ratione communicationis idiomatum, talis natura recipit prædicationes Dei; hæc non est sanctitas, de qua difficultamus: nam hæc posset esse in Dœmone: cum in sententia probabiliori Deus posset assumere naturam Dœmonis. Patet ergo, argumentum nullius esse valoris contra nostram propositionem.

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Humanitas Christi fuit sanctificata sanctitate substantiali per ipsam vnionem hypostaticam, & subsistentiam Verbi.*

31 PRobatur primò ex Patribus. *Nazianzenus oratione 2. de Paschate. Perfectus autem fuit* (inquit) *non modò propter Diuinitatem, qua nil est perfectius, sed etiam propter humanitatem Diuini-*

*sanitate delibutam; itemque affectam quoad id, quo peruncta est.* Damascenus lib.3.cap.3. *Ipse enim,* inquit, *seipsum vnxit, vngens quidem vt Deus, vnctus autem vt homo: nam ipse est hoc, & illud; siquidem est vnctio humanitatis.* Idem autem est, humanitatem esse delibutam, & vnctam Deitate, ac esse sanctam substantialiter ipsa Deitate.

32 *Accedat ratio.* Nil aliud est esse formaliter sanctum sanctitate substantiali, quàm habere vnionem substantialem ad ipsam sãctitatem infinitam Dei; sicut nil aliud est humanitatem subsistere substantialiter in Verbo, & esse deificatam, quàm vniri substantialiter Verbo, & Deitati: ergo quandoquidem vniatur sic sanctitati substantiali, erit humanitas sancta substantialiter.

*Dices primò.* Si vnio substantialis redderet naturam substantialiter sanctam, hoc præstaret etiam naturæ irrationali, si talis assumeretur: sed hoc videtur absurdum: quia sic natura irrationalis esset sancta. *Respondetur,* concedendo sequelam maioris; nec aliquid absurdi sequitur ex eo, quòd natura irrationalis esset sancta substantialiter; imò de facto corpus fuit sic sanctum in triduo mortis, in quo tamen triduo non fuit natura rationalis. Nec hoc mirum videri debet: nam sicut vasa sacra, calices, & aliæ res creatæ Deo consecratæ dicuntur sanctæ propter coniunctionem, quam cum Deo habent; ita natura substantialiter vnita Deo debet dici substantialiter sancta propter talem coniunctionem substantialem.

33 *Dices secundò:* Alia attributa vniuntur humanitati, vt intellectio, volitio, immensitas, omnipotentia, &c. quæ tamen non communicãt illi effectum suum formalem: ergo ex eo quòd sanctitas Diuina vniatur ipsi, non sequitur, quòd sit sancta substãtialiter. *Respondetur,* negando consequentiam: nam, vt dicatur sancta, sufficit talis vnio, sicut sufficit, vt dicatur deificata, & subsistens; vt autem diceretur intelligens, aut volens intellectione, & volitione Diuina, requireretur, vltrà vnionem hypostaticam, quòd intellectio, & volitio Diuina communicarentur intellectui, & voluntati animæ Christi alio speciali modo, quo mediante posset per illas formas intelligere, quod fieri nequit: si etiã diceretur immensa, & omnipotens, deberet ipsa esse vbique, & posse facere quodcumque, quod non repugnat. *Confirmatur* hæc responsio: nam quemadmodùm coniunctio accidentalis, & moralis Dei cum rebus creatis, etiam inanimatis, sufficit, vt tales res dicantur sacræ, & sanctæ accidentaliter; ita vnio substantialis Dei cum creatura potest sufficere, vt creatura


ra

ra illa dicatur substantialiter sancta, quamuis non sufficiat, vt dicatur immensa; & omnipotens.

## PROPOSITIO VNDECIMA.

### *Subsistentia Diuina respectu naturæ humanæ debet dici gratia.*

34 HAnc subsistentiam inter gratias enumerãdam, & verè dici debere gratiam, ipsius gratiæ definitio docet, quæ aliud non est, *quàm donum, seù beneficium alteri concessum sinè vllo merito*; quod autem maius beneficium, quod excellentius donum potest Deus conferre homini, quàm subsistentiam soli Christo homini concessam? Hæc gratia non est qualitas, aut aliquod aliud accidens, imò nec res creata; propriè enim est ipse Deus vnitus hypostaticè, & se substantialiter exhibens homini Christo à se assumpto. Scimus autem *ex 4 sententiarum*, esse quãdam gratiam substãtialem, quæ est ipse Deus, & Christus Saluator noster. Hinc colligunt Theologici, Eucharistiæ Sacramentum alijs Sacramentis præcellere; quòd Eucharistia possidet substantialem gratiam, Christum videlicet Deum; alia verò Sacramenta, accidẽtalem dumtaxat; si substantialis est gratia hæc, non potest esse inhærens, cùm inhærentia sit accidenti soli propria; non est quoque informans, quia nulla est in Christo compositio ex vi humanitatis cum Diuinitate, quæ tamen compositio esset necessariò admittenda, si hæc vnio fieret per informationem.



PRO-

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Habuit Christus gratiam iustificantem accidentalem inhærentem, & informantem, ex ipso primo instanti suæ conceptionis, posterius tamen natura, quàm facta sit vnio.*

35 SI vera esset eorum sententia, qui putant, gratiam vnionis in Christo fuisse gratiã sanctificantem non solùm effectiuè, sed etiam formaliter, nulla suppeteret ratio, qua roboramus, præter gratiam vnionis, esse in Christo aliam gratiam gratum facientem, quæ esset accidens inhærens animæ Christi; sed quia nobis non probatur illa sententia, cogimur locum dare huic gratiæ acccidentali, quã propterea statuimus, vt habeat causa suum effectum; similes efficiuntur iusti Christo: sumus autem iusti per gratiam inhærentem: ergo nè claudicet similitudo nostra cum Christo, debet ille iustus esse iustitia, & gratia inhærente, & informante. Illud indicant omnes textus Sacræ Paginæ, quibus docemur, de plenitudine gratiæ Christi nos omnes accipere. *Item.* Nos esse cohæredes Christi, & Dei filios; imò si omnis perfectio supernaturalis, nullam inuoluens imperfectionem, est admittenda in Christo, nè minùs aliquid videatur habere, quàm nos; cùm gratia inhærens sit magna perfectio in anima, debuit anima Christi tali perfici accidentali gratia; pro primo enim instanti tẽporis, quo cõceptus est Christus, & vnitus cum Verbo Diuino, hanc gratiam accepit, eamquè vsque ad mortem seruauit, seruatquè adhùc. Si non potuit causa esse sinè suo effectu, eodem instanti temporis debuit esse vnio, & gratia hæc accidentalis, nequè vlla ratio fingi, aut excogitari potest, qua huiusmodi gratia debuit differri in aliud tempus; imò, cùm in ipso conceptionis puncto fuerit filius Dei, debuit ex tunc eam habere. De prioritate naturæ est aliqua controuersia: *an videlicet ordine natura prior fuerit vnio, quàm gratia inhærens; vel an præcesserit gratia vnionem?* Sed apud nos iam iudicata est res, prout suprà ostendimus. Et quidem si rem oportet priùs esse secundùm omnem essendi modum, qui ei

competit, antequàm aliquod suscipiat accidens, & Christus homo non subsistat, nisi per vnionem, quia non subsistit in se, sed in Verbo, non potuit Christus aduentitiam suscipere gratiam, priusquàm vniretur.

# PROPOSITIO TERTIADECIMA.

## *Gratia Christi fuit eiusdem speciei cum gratia iustorum quòad Essentiam gratiæ, licèt posset dici alterius quòad modum habendi.*

36 PRobatur primò, quia nulla est ratio, cur gratiam Christi ponamus alterius speciei; nam Scripturæ, quæ gratiam fuisse in Christo significãt, solummodò de ea loquuntur, quo modo loquuntur de gratia iustorum; neque constat nobis, aliquem effectum habuisse sic Christi gratiam, quem non possimus referre in gratiam eiusdem rationis cum nostra: ergo, &c. *Secundò* Apostolus Rom. 8. vult, gratiam iustorum cæterorum esse conformem alicui dono Christi, quod non congruè intelligeretur, si gratia huius nõ esset eiusdem speciei; ait enim nu. 30. *quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui*. *Accedat ratio*: nam Beatitudo, & cætera dona Christi fuerunt eiusdem speciei cum alijs aliorum iustorum: ergo & gratia.

*Secunda pars conclusionis* etiam patet: nam in Christo fuit ista gratia, tãquàm in subiecto adæquato: nam fuit in illo secundùm totam suam latitudinem propriæ speciei: sicut calor verbi gratia in igne, & humiditas in aqua; in cæteris autem iustis est, tanquàm in subiecto inadæquato, scilicet, non secundùm totam latitudinem, vt calor nó est secundùm totã latitudinem in alio subiecto ab igne. *Ad pleniorem intelligentiam sit.*

PRO

# PROPOSITIO QVARTADECIMA.

## *Gratia sanctificans est summa in Christo.*

37 THeologi faciliter se huic veritati subscribunt, si de potentia ordinaria Dei sit sermo; non ita tamen si propositio intelligatur de potentia Dei absoluta: Noster Scotus plus deferens Christo, quàm cæteris, audacter affirmat in 3. *dist.* 13. *q.* 4. §. *quantum ad* 2. *quæstionem*, ita dicens: *In commendando enim Christum malo excedere, quàm deficere à laude sibi debita: si propter ignorantiam oporteat in alterum incidere.* Quidquid alij sentiant, fatetur Scotus, Christi gratiam plures habuisse intensionis gradus, atque adeò maiorem, & perfectiorem fuisse quacumque gratia vlli alteri creaturæ concessa; fatetur etiam ibidem, tantam fuisse Christi gratiam, quantam Deus creare, aut efficere potest: Nos ergo libenter subscribimus Scoto, & maximè liberales erga Christum, dicimus, Deum tãtam gratiam habitualẽ dedisse Christo, quantam de potentia absoluta dare poterat; credibile enim est, Christo filio non denegasse omnem gratiam possibilem.

38 *Accedant rationes.* Prima sit ex dignitate Christi, qui, cum esset vtriusque Ecclesiæ caput, indigebat summa gratia, vt ex eius redundantia, & plenitudine vnusquisque portionem suam sumeret. *Altera* sumitur ex fine gratiæ, quam Deus creaturæ propterea dat, vt suo Creatori copulari, & coniungi valeat; vnio autem omnium nobilissima, & summa possibilis de potentia Dei absoluta, nempè vnio hypostatica cum Verbo concessa est Christo: ergo debuit pari modo recipere gratiam summã possibilem de potentia Dei absoluta; ita tamen, vt nolimus, hãc gratiam deseruisse Christo, vt fieret capax vnionis, essetquè gratia dispositio ad vnionem hypostaticam; cum hæc præcesserit gratiam, ac proindè non ad attingendã huiusmodi vnionem, sed ad illam exornandam, & sanctificandam necessaria fuit gratia habitualis.

39 *Altera ratio* desumitur ex coniunctione, seù maiori approximatione Christi ad Deum; certum namque est, quò magis distat effectus à sua causa, eò remissiorem esse; quò autem propinquior, eò intensiorem, & perfectiorem: sed Deus est causa gratiæ, & Christus est proximior Deo; imò ita propè est, vt

propiùs accedere non possit: ergo summam gratiam accepit possibilem. *Notandum* tamen est, hanc Christi gratiam esse summam dumtaxat negatiuè, non autem positiuè: nam, si esset summa positiuè, non posset producere aliam gratiam æqualem huic, quod de Deo nullus affirmabit. Propter hanc summam gratiam, Christus solus verè, & propriè dicitur plenus gratia. Hoc quidem de alijs quibusdã dicitur, sed longè diuerso modo: nam alij sancti dicuntur gratia pleni ob vnicam tantùm rationem, quia videlicet tantam habent gratiam, quantam exiget eorum vocatio. Hinc D. Stephanus est gratia plenus; quia omnem gratiam habuit ad conatum requisitum ad intrepidè nuntiandum Christi nomen, & ad viriliter subeundum martyrium. Virgo Mater dicitur gratia plena, & magis plena, quàm Stephanus censeri debet, quia vocata erat ad maiorem gradũ perfectionis, nempè ad dignitatem Matris filij Dei, & ad sessionem à dextris filij sui; Christus ad maiora vocatus, debet maiorem habere gratiam, quam cum habuerit, debet dici gratia plenus.

## PROPOSITIO QVINTADECIMA.

### *Gratia Christo concessa non fuit infinita.*

40 VT pleniùs clarescat veritas nostrę propositionis. *Moneo*, quòd infinitum cõmunissimè sũptum est duplex; vnum extra genus; aliud in genere. Primum vocari etiam solet infinitum in entitate, vtpotè quod intelligitur, & describitur per ens ipsum, primariò, & immediatè per infinitatem contractum, cuiusmodi est solus Deus. Hinc obiter moneo, infinitum istud non benè explicari à Patre nostro Aretino per hoc scilicet, quòd secundùm se, & quodlibet sui est infinitum: nam si intelligantur, per *ly* quodlibet sui, partes realiter cõponentes Deũ; erroneũ, & impiũ imaginatur in Deo: si verò rationes formales Diuinæ Essentiæ identificatæ, non sunt omnes infinitæ, præsertim in via Scoti: nam relationes Diuinæ non habent formaliter infinitatem ex principijs Doctoris *quolib.* 5. aliæ autem rationes attributales non faciunt infinitũ extrà genus, sed potiùs in genere, siue particulare, vt loquitur noster *Canonicus* 3. *physicorum quæst.* 3. nam eorum infinitas non immediatè

affi-

afficit ipsum ens; sed aliquam rationem inferiorem ente, verbi gratia, bonitatem, sapientiam, iustitiam, &c. non enim dicitur simpliciter, quòd bonitas Diuina sit infinitum ens, sed infinita bonitas, & sic philosophandum de cæteris attributis.

41 *Hinc patet explicatio secundi membri*; nempè, quòd infinitum in genere sit illud, cuius infinitas non immediatè, & primariò contrahit ipsum ens cōmunissimè sumptum, sed aliquam rationem inferiorem ente, aut saltem ipsum ens secundariò, vt videre licet in exemplis positis. Hoc autem infinitum triplex est: nam quoddam est negatiuum, scilicet, quod non habet, nec aptum est habere terminum, siue quod non est aptum natum pertrāsiri, de quo loquitur exēplificatiuè Philosophus, cùm dicit, quòd punctus est infinitus negatiuè, sicut vox est inuisibilis. Aliud est infinitū priuatiuè, quod non habet terminum actualem, quem tamen potest habere; vt si Deus priuaret lineam punctis terminantibus, ipsa in tali casu esset infinita priuatiuè per carentiam scilicet actualem terminorum cum aptitudine terminandi derelicta. Tertio modo infinitum sumitur contrariè, scilicet positiuè, & hoc est duplex; vnum syncategorematicū, scilicet, quod partim est in actu, & partim in potentia; aliud categorematicum, quod secundùm omnes partes est in actu totaliter.

42 *Hinc obseruandum*, non benè Patrem nostrum Aretinum primaria diuisione diuisisse in hæc membra, & sub categorematico comprehendisse infinitum extra genus: nam categorematicum, & syncategorematicum requirunt partes, vel diuisiuè, vel collectiuè in actu; infinitum autem extra genus non est capax partium, vt patet in Deo, in quo reperitur omnimoda simplicitas naturæ excludens omnem partialitatem; syncategorematicum verò, quod noster Canonicus vocat quantitatiuū, scilicet, vel quantum formaliter, vel participatiuè, ab ipso ponitur tripliciter. Primum sumitur extensiuè, quod declarat ex suppositione, quòd Deus faceret lineam extensam infinitè. Secundum intensiuè, quod etiam declarat ex suppositione, quòd faceret albedinem habentem infinitas perfectiones. Tertium distinctiuè, seù distributiuè, quod Recentiores vocant infinitum discretè, seù in multitudine numerica, vt contingeret, si Deus faceret sub aliqua specie infinitam indiuiduorum multitudinem.

43 *Moneo secundò*, quòd definitio infiniti tradita secundùm propriam mentem à Philosopho 3. physicorum textu 53. *infinitum est, cuius quantitatem accipientibus semper restat aliquid accipere; da-*

tur

tur de isto infinito syncategorematico, seù in potentia: modò accipitur hìc illa quantitas non præcisè pro quantitate molis, sed etiam pro quãtitate virtutis diuisibili in partes actuales, & potentiales, aut certè pro quantitate abstrahente à formali, & participatiua: nam, vt ferè communiter intelligunt Interpretes, loquitur hìc Philosophus de infinito successiuo, cuius scilicet partes non existunt omnes simul, sed partìm in potentia, partìm in actu. Nullam verò à Philosopho traditam esse definitionem infiniti categorematici; probo ex eo, quòd Philosophus illud putauerit esse impossibile, ac proindè nec ipsum esse definibile, nec aliquid abstrahens ab illo, & syncategorematico: nam enti vero, & possibili nihil est per se vnum commune cum ente impossibili; ac per consequens nec definitio aliqua poterit illis conuenire.

44 *Imò ipse Philosophus*, vt notat *Albertinus*, reijcit definitionem antiquorum, quæ videtur applicari infinito categorematico, scilicet: *infinitum est, cuius nihil est extra accipere*: nam partium talis infiniti non restarent aliquæ accipiẽdæ, sed omnes essent actualiter acceptæ, & in tali casu, vt Scotus declarat *quolib.* 5. haberemus infinitam quantitatem in actu: quia tanta esset in actu, quanta esset in potentia, & sic illud infinitum in actu verè esset totum, & verè perfectum totũ; quia nihil sibi deesset, imò nihil posset secundùm rationem quãtitatis sibi addi, quia tunc posset excedi, & hinc aduertit Scotus paulò supra explicans definitionem syncategorematici infiniti, quòd tale infinitum, sicùt habet esse in fieri, & in potentia, ita non habet rationem totius; quia totum est, cuius nihil est extra, sed semper restat aliqua pars accipienda extra illud infinitum, cuius omnes partes nondùm sunt acceptæ; sed semper remanent aliquæ accipiendæ, nec tale infinitum est perfectum; quia perfectum est, cui nihil perfectionis deest: sed isti semper aliquid deest: ergo, &c.

45 *Hinc etiam* consequenter debemus dicere, quòd duæ alię descriptiones, quas Scotus in citato quolibeto tradit, non conueniunt infinito categorematico, sed infinito simpliciter extra genus, vel alicui abstrahenti ab infinito extra genus, & infinito simpliciter in genere: nam, vt diximus, infinitum categorematicum includit distinctionem partium; videtur autem potiùs intelligendæ de infinito simpliciter extra genus: nam ipse loquitur de entitate, & infinitate præscindente à rationibus attributalibus, bonitatis, sapientiæ, &c. Nec ad propositam difficultatem fuit necessarium loqui de infinito in genere, prout competit attributis Diuinis: nam si ali-

quam

quā rationem infinitatis posset participare paternitas, de qua ibi disputat ex professo, nō esset, nisi ratio infiniti extra genus, cū distinguatur realiter à cæteris relationibus Diuinis. Quod etiā insuper colligitur ex modo dicendi: nam illud infinitum, de quo agit, vocat infinitum in entitate, quod primò sic describit: infinitum est, cui nihil entitatis deest eo modo, quo possibile est illud haberi in aliquo vno, & hoc pro tanto additur (dicit ipse,) quia non potest in se realiter, & formaliter omnem entitatē habere. Secūdò sic: ens infinitū est, quod excedit quodcūq; ens finitū, nō secūdū aliquā determinatā proportionem, sed vltra aliquam determinatam proportionem, vel determinabilem.

46 *Pro cuius* determinationis intelligentia distinguit duplicem proportionem, vnā mathematicam, qua excessum realiter cōtinetur in excedente aliquid aliud continente, qualis est proportio quaternarij ad binarium: nam verè, & realiter, licèt non formaliter (vt aliqui putant) cōtinetur binarium in quaternario, & ipsum quaternarium cōtinet alias duas vnitates, quæ nō continētur in binario: Aliam entitatiuam, seu virtutis, vel perfectionis, secundùm quam dicimus, vnum gradum, vel vnam speciem excedere aliā, sicut secundus primum, & albedo nigredinem, anima humana animas brutorum; & Angelus animas humanas excedit; nō quia entitas excessa contineatur realiter in excedente; sed quia virtus entitatis excedentis est nobilior, ac perfectior virtute excessi. Sed tamen exempla ista habent determinatam proportionem, ac proinde excedentia nō sunt infinita. Excessus enim sequitur rationem excedētis. Vnde quando excedens fuerit limitatum, sequitur quòd in limitata, & determinata proportione alterū excedat; secùs est de infinito, q̄ excedit finitū in ētitate vltrà omnē ꝓportionē assignabilē.

47 *Ex istis confirmatur* magis assignata à nobis descriptio infiniti in entitate: nam si per istas duas Scotus ipse nihil explicaret, non possemus dicere, nec discernere, de quo infinito loqueretur, quamuis certum sit, illum non loqui de infinito categorematico in sensu vulgari; & magis vsitato his temporibus: nam illud dicitur habere partes. Docet autem Scotus, quòd estò [illegible]le infinitum secundùm omnes partes esset in actu (vt ipse ex suppositione facta in quantitate exemplificat) tamen quia quælibet pars esset extra aliam, ipsum non esset totum perfectum; quia ex imperfectis cōstaret; infinitū autē, de quo loquitur Scotus, sic est ꝑfectū, q̄ nec sibi, nec alicui eius deest aliquid: ergo &c.

48 *Tertiam definitionē* addit Pater noster Canonicus, scilicet: *infini-*

*finitum est, quo nihil est maius*, vbi admonet, definitionem istam, & alias duas Scoti, quas ipse etiam affert, desumi per oppositionem ad infinitum in potentia, siue syncategorematicum, de quo loquitur Philosophus. Moneo, nos dixisse notanter, has infiniti explicationes esse descriptiones: nam enumerantes proprietates infiniti, de quo agit Philosophus, & Canonicus, & post ipsū Pater Aretinus, primã enumerant per ipsam definitionem Philosophi, scilicet: infinitum est, cuius &c. secundam, quòd non habeat rationem totius, sed partis; tertiàm, quòd habeat rationem incompleti, & imperfecti; quartam, quòd non contineat, sed contineatur, quæ videntur sequi ex secunda: nam pars est, quæ habet imperfecti, & contenti rationem; nec non etiã quintam, scilicet, quòd sit ignotum: quia pars, quæ sumitur, est in actu, & semper est aliqua pars sumenda, illa vtique, quæ est in potentia, imò ipsa pars actualis, cùm semper tendat ad animã, quæ est in potentia, semper dicit potentiam, quod autem caret actu, est ignotum: quia intellectus semper actuat; & finit illud, quod intelligit.

49 *Alias quatuor* proprietates enumerat *Albertinus disp. 4. de infinito quantitatiuo, difficult. 2.* admiror autem, cur ipse dicat, eas colligi ex definitione Philosophi, nisi forsan intelligat cõtrariè eo modõ, quo superiùs dixit *Pater Canonicus*, desumi definitiones infiniti in actu à definitione infiniti in potentia: nam, vt cęteras omittam, certè tertia, scilicet, infinitum habere infinitas partes æquales vni certę, & determinatæ, ponitur in definitione infiniti categorematici tradita à *Conimbricensibus*, videlicet, quòd actù cõtineãt infinitas partes ęquales vni certę; quã æqualitatem explicãtes, aduertunt; in qualibet magnitudine contineri plures partes proportionales, quæ vel nõ sunt æquales, vel saltem non æquales vni certæ, & determinatæ, Quarta sc. quòd nullis claudatur terminis, neq; intrinsecis neq; extrinsecis õnino cõuenit infinito categorematico, quod ideo Philosophus negat; quia quidquid ręperitur, vel reperiri potest in rerũ natura, cõtinetur, vel intra ambitũ vniuersi, vel certè, si est quantum, clauditur punctis terminãtibus; & hæc ipsa implicatio potest inferri contra alias duas priores.

50 *Nos autẽ* colligere facilè possumus conditiones infiniti oppositi syncategorematico, quod per me licet vocari categorematicum, dummodò non in sẽsu, quo à Iunioribus explicatur: nam istum sẽsum impugnamus non vocabulum, quia cum Diuo Augustino putamus, non demorari in vocabulis, dummodò res ipsa constet. *Prima* itaque con-

conditio sit, quòd tale infinitum nullas habeat partes, sed sit totalitas actualis. *Secunda*, quòd sit perfectio simpliciter iuxta sẽsum Diui Anselmi, ita quòd melior sit ipsa, quàm non ipsa. *Tertia* sequitur ex secunda, quòd sit compossibilis alteri simpliciter perfecto, siue (vt loquitur Scotus) sit melior ipsa, quàm non ipsa in supposito absolutè sumpto, & nõ quatenùs est huius, vel illius naturæ: sic enim intelligitur excessus illius perfectionis, quòd superat suũ incõpossibile, quod intelligẽdũ, notat Scotus, de incõpossibili cõtrariè, & positiuè, nõ autẽ cõtradictoriè sũpto: nam quodlibet positiuum melius est, quàm sua negatio; debet ergo eo modo intelligi, quo dicimus; albedinem esse meliorem, quàm nigredinem.

51 *Hinc sequuntur* aliæ conditiones, quòd tali infinito nulla possit fieri additio, nec ex illo aliquid detrahi: aut in tali ratione produci aliquid æquale, aut excedens; quæ conditiones fusiùs declarabuntur in applicatione earum ad conclusiones, in quibus apparebit, conditiones istas non posse conuenire alicui medio inter syncategorematicum, & categorematicum conuertibile cum infinito in entitate, siue in actualitate totali; & adæquatè opposito syncategorematico; ac per cõsequẽs nullũ tale medium dari. *His positis.*

*Noto subsequentes propositiones* de infinito.

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Extrà Deum, nullum datur in rerum natura, nec Philosophus dari posse existimauit, nisi infinitum in potentia, vel syncategorematicum.*

Veritatem nostræ poposítionis docet Aristoteles contra Anaxagoram; & hanc esse mentem Philosophi, docet *Sanctus Thomas 1. par. qu. 2. quolib. 9. art. 1. Doctor Seraphicus in 1. dist. 43. quæst. 1. Scotus in 2. dist. 1. quæst. 3.* videatur noster *Canonicus in 3. physicorum quæst. 3.* sustinens in propositione secunda, quòd infinitum, de quo loquitur, consistit formaliter in successione. Ex quo sic confici potest argumentum.

52 *Nullum aliud* infinitum extrà Deum datur de facto in rerum natura, nec Philosophus dari existimauit, nisi illud, quod formaliter consistit in successione: sed tale solùm est infinitum in

potentia: ergo illud solùm datur in rerũ natura, nec aliud dari posse agnouit Philosophus. Probatur maior quoad primam partem; quia, si aliud aliquod infinitum daretur in rerum natura, aut dari posset naturaliter; vel esset, aut esse posset infrà Cęlum, aut extrà. *Si primo modo*, cùm contineatur ab illo, quod est finitum in actu, non potest ipsum esse infinitum in actu, sed tantùm in potentia; ac per consequens in successione. *Si secundo modo*, Philosophus, præsertìm naturalis, putabit, illud esse chimæricum, quia nec extrà Cœlum dari locum aliquem, aut aliquid conseruari posse, existimat. Probatur secunda pars: quia definitiones, & conditiones assignatæ ex mente Philosophi tantùm conueniunt infinito successiuo: nam omnes illæ notificant aliquid, quod partìm est in potentia, partìm in actu: sed illud, quod est huiusmodi, est formaliter successiuum: ergo Philosophus aliud nõ agnouit: quia, si illud agnouisset, definiret, vel describeret ipsum, vel saltem diminutè procederet. quod non est dicendum in re, quam tractat ex professo.

53 *Confirmatur*: quia Philosophus improbans opinionem *Melissi*, qui affirmabat, totum vniuersum esse infinitũ, & approbãs sẽtentiam *Parmenidis*, qui illud potiùs finitum esse docebat, & concludi terminis; resoluit, non posse infinitum connecti cum toto, sicut lignum cum ligno, vel locum cum loco; quo prouerbio vtebãtur Veteres, quando innuebant, aliqua inter se esse incompossibilia: sed, si daretur aliquod infinitum præter syncategorematicum, illud esset totum coagulatum ex partibus: ergo in sententia Aristotelis nullum tale dari potest: nam ex hac impugnatione Antiquorum occasionem sumpsit assignandi cõditiones infiniti sui, nempè quòd non sit totum, nec perfectum, nec continens. Et nè longiùs progrediamur, tàm clara est in hac parte mens Philosophi, & tàm vniuersaliter loquitur, vt Conimbricenses non vereantur asserere, ipsum alibi non rectè, & cõsequenter aliud genus infiniti in rebus materialibus cõcessisse, idquè adeò factum, vt sententiam suam de immortalitate animæ disputationum ambage disputaret, & quasi alter *Xeuptis* Agamemnonem pallio obuolueret. Verùm, vt iuxta exemplum, & præscriptum modestissimi nostri Scoti, nihil Antiquis attribuamus absurdius, quàm ipsi dicant, vel ex eorum dictis manifestè sequatur, & rationabiliorem, quem licet ex eorum dictis, colligamus sensum, liberare visum est ab hac calumnia Aristotelem.

PRO-

# PROPOSITIO SECVNDA.

*Per nullam potentiam dari potest infinitum categorematicum in sensu à Iunioribus vsitato, ac per consequens extrà Deum, solùm datur infinitum syncategorematicum.*

54 PRobatur. Si daretur tale infinitum, esset medium inter infinitum syncategorematicum, & infinitum (vt ita loquar) Diuinum: sed per nullam potentiam produci potest tale medium: ergo neque infinitum categorematicum in sensu à Iunioribus vsitato. Maior est certa: nam cùm ipsi explicent tale categorematicum infinitum per illud, cuius sunt omnes partes in actu, non poterit esse Deus: cùm ille nullas partes habeat; neque infinitum syncategorematicum, cùm istud non habeat omnes actù: ergo restat, vt sit medium inter ista duo. Probatur minor: quia illud medium, vel esset actus purus, vel pura potentia, vel actus permixtus cum potentia: non pùra potentia secundùm ipsos, qui ponunt illud totaliter in actu; si autem fuerit actus purus, non erit extra Deum; si actus permixtus potentiæ non erit extrà infinitum syncategorematicum: ergo nullatenus tale medium erit, ac per consequens neque dari poterit.

55 *Confirmatur hoc ipsum, ac declaratur.* Nihil extrà Deum dari potest, quod non constet ex potentia positiua, vel priuatiua: nam ista vltima ponitur in ipsis etiam Angelis: ergo nihil extra Deum dari poterit, cuius aliqua pars non restet accipienda: sed hæc est definitio infiniti syncategorematici: ergo, præter Deum, non datur aliud, ac per consequens nec illud categorematicum, quod per ipsos constat ex partibus. *Præterea* tale infinitum necessariò haberet rationem partis, & contenti, saltem metaphysicè, & posset excedi: nam contineretur sub aliquo genere, vel specie, ac per consequens posset illi fieri additio, & in illa specie produci aliud ipso perfectius: nam species illa adhùc remaneret in potentia ad aliud infinitum eiusdem rationis, quæ duo infinita simul sumpta excederent quodlibet eorum seorsìm sumptum; quæ omnes sunt conditiones infiniti syncatego-

rematici; & oppositæ conditiones soli Deo conueniunt: ergo nullum potest dari infinitum ab vtroque distinctum.

56 *Probationes* istæ vniuersales applicari poterunt in speciali omnibus illis, de quibus dubitari aliquo modo posset, an constituant huiusmodi categorematicum; huiusmodi sunt magnitudo, siue quantitas continua, multitudo, siue quantitas discreta, aut numerica, siue rerum spiritualium, siue materialium, corpus naturale, qualitas etiam, vel spiritualis, vel corporalis. Patet enim, quòd in his omnibus datur actus permixtus potentiæ, siue positiuæ, siue priuatiuæ, quòdque illis potest fieri additio, & detractio in magnitudine secundùm partes dimensiuas; in multitudine verò secūdùm discretas; in qualitate autem secundùm partes, vel gradus perfectionis. Patet etiam, quòd in omnibus reperitur ratio partium metaphysicarum generis scilicet, & differentiæ, speciei, & indiuidui; infinitas autem actualis, & partibilitas contradicunt, vt constat ex dictis, & optimè infert noster *Aureolus in 1. dist.* 44. ferè per totam: quia infinitum partibile est quoddam ens successiuum, cuius partes diuisibiliter, & in diuersis temporibus acquiri possunt; quare patet; nullum ex istis excedere rationem infiniti syncategorematici. Nè autem ex ista negatiua, scilicet, præter Deum, nullum dari infinitum, nisi syncategorematicum, existimetur sequi, quòd omne aliud extrà Deum sit infinitum syncategorematicum; Ponatur



PRO-

# PROPOSITIO TERTIA.

*Qualitas secundùm intensionem non est infinitum syncategorematicum; quod ipsum videtur dicendum de formis substantialibus completè, vel incompletè subsistentibus; benè tamen secundùm extensionem, præsertìm discretam; quantitas verò omni modo extensionis est infinitum syncategorematicum.*

57 NOstra hæc propositio videbitur singularis: nam probationes præcipuæ solùm negant, vel affirmant infinitatem actualem apud authores. Prima pars tamen est satis conformis doctrinæ *Scoti in 3. dist. 13. quæst. 2.* ponentis statum in gratia Christi. Probatur itaque prima pars. Qualitas habet terminos suæ intensionis, vltrà quos non potest intendi: ergo secundùm intensionem non est infinita syncategorematicè. Probatur sequela: quia infinito, quatenus est tale, repugnat omnis terminatio, & hoc designat modus loquendi Scoti dicētis, gratiam Christi esse infinitam negatiuè, alludens ad illud Philosophi de puncto, & voce inuisibili: quia sicut repugnat, vocem videri, ita gratia Christi eo ipso; quòd sit in vltimo intensionis, vt supponit Scotus, non potest illi fieri aliqua additio vlterior ipsam intensiuè terminans, aut intēdens: quia sequeretur, quòd haberet vltimum gradum, vt supponimus, & non haberet vltimum gradum, si posset illi fieri additio vlterioris. Cùm hoc tamen stat, quòd possit illi fieri additio secundùm extensionem: quia possent coniungi alij gradus eiusdem proportionis, & perfectionis numericè in infinitum; quæ distinctio est aduertenda cōtra multos non penetrantes adæquatè subtilitatem Scoticam, idipsum, quod Scotus negat de intensione, indistinctè confundunt cum extensione, & sic videntur imponere Scoto errorem *Vuiclef*, qui audebat præfigere Deo certum numerum animarum, vltrà quem infinita potentia non posset se extendere, vt refertur in Concilio Constantiensi. Patet autem ex hac distin-

stinctione sensus, in quo Hæretici sunt condemnati; nempè quia determinabant Deo certum numerum extensionis, extra quem, nullam animam creare posset; & de hac Scotus non loquitur; imò Hæreticos impugnat Scotus, expresse docens, satisfactionem Christi esse infinitam extensiuè, quia sufficiens pro infinitate hominum possibilium creari; negat autem satisfactionem Christi esse infinitā intensiuè, nec aliud negat de infinitate gratiæ.

58 *Accedat secunda* probatio. Ideò quantitas est infinitum syncategorematicum, quia quælibet pars dicit proportionem cum altera, & cum ipso toto; totum enim, & partes sunt eiusdem rationis, & perfectionis: sed partes, vel gradus intensionis in qualitate, aut alia forma non sunt eiusdem rationis, sed vna perfectior altera: ergo qualitas secundùm intensionem non poterit esse infinitum syncategorematicum; aliàs enim nulla esset differentia inter intensionem, & extensionem. *Confirmatur.* Quia in quantitate nō datur infinitas secūdùm illam rationem, in qua vna pars intelligitur inæqualis alteri, & nō habere omninò eādem rationem cum illa: nam propter hoc negamus infinitum categorematicum, siue actuale in quantitate: quia, verbi gratia, excedens, cui sunt quatuor vnitates in actu, habet duas vnitates non proportionatas secundùm actum cum excesso, quod tantùm duas habet in actu; datur autem ibi infinitum in potentia: quia potentia est æqualis in vtroque, excedente scilicet, & excesso; nam etiam illę duę partes excedentes sunt eiusdem rationis, & proportionis cum partibus excessis: ergo à contrario: quia quilibet gradus intensionis est alteri inæqualis secundùm actum, & non habet eandem rationem potentiæ, quam habet alter; quia est diuersæ proportionis ab altero, si foret aliquod infinitum, illud esset categorematicum: quarè cùm hoc, vt patet ex præcedentibus, repugnet; repugnat etiam, quòd faciat infinitum syncategorematicum.

59 *Confirmatur* noster discursus cum sua probatione cum fundamento *Scoti in 3. loco citato.* Supponatur aliqua qualitas determinata infima, verbi gratia A; tunc quæratur, si in ascensu à tali gradu qualitatis detur status ad aliquem supremum gradum, vltrà quem non possit fieri aliqua additio intensionis; & tunc habetur propositum, scilicet talem qualitatem non fore infinitam; quia habet terminum non solùm in actu, sed etiam in potentia; aliàs enim posset fieri aliqua additio contra suppositum: si verò non datur aliquis status, sed vltrà quemcumque assignatum, vel assignabilem gradum, potest vlteriùs intendi per

per additionem vlterioris gradus; tunc sequitur primò, quòd paulatim transcendendo omnes species, & genera, excedet illa secundùm proportionem entitatiuam; & sic tandem deueniet ad esse infinitum extra genus, vel saltem compossibilem tali infinito, sicut dicuntur esse attributa Diuina, & hoc est vltimatum inconueniens, scilicet quòd sequeretur participatio infinita ex accessu infinito in gradibus intensionis.

60 *Sequitur secundò*, & hæc est sequela Scoti loco citato, quòd cùm tale infinitum videatur à Deo, sic vnum creabile poterit creari vnica creatione, & ita daretur infinitum in actu. Probatur prima sequela: quia si excedens secundùm intensionem excederet tantùm in proportione mathematica, sequeretur, præsertim in qualitatibus, & formis spiritualibus, quòd intensio non distingueretur à numerica extensione illarum; & ita Scotus assignans statum intensionis, protraheretur ad impietatem *Vuiclef*, *& Husitarum*, & sibi contradiceret per resolutionem de satisfactione Christi, quam concedit esse infinitam extensiuè, non intensiuè; debet ergo concedi, quòd excessus intensionis est secundùm proportionem entitatiuam, & virtutis: sed repugnat excessum entitatiuum, & virtutis infinitum contineri ab aliqua specie, aut genere: quia, cùm quælibet species habeat determinatam perfectionem, & limitatam, ac finitam (aliàs enim vna non excederetur ab alia), infinitum, & illimitatum contineretur à finito, & limitato (qua ratione probauimus supra, repugnare naturaliter infinitum in actu; quia contineretur à Cœlo, quod est finitum): ergo istud infinitum excederet omnem rationem specificam, & genericam, & sic foret extrà genus; vel saltem tale, qualia, dicimus, esse attributa Diuina. Sequela Scoti probatur; quia, vt ipse dicit, processus secundùm intensionem non fundatur in possibilitate ad fieri, sed aliquo in facto esse, nempè ad supremum gradum virtualiter, siue in perfectione continentem, & excedentem omnes gradus inferiores: sed supremus gradus videtur à Deo, tanquàm vnum creabile (aliàs enim esset increabile, & sic vel alius Deus, vel idem cum Deo, vt deduximus in probatione primæ sequelę nostræ): ergo illud creabile poterit produci vnica productione, ac per consequens omnes gradus inferiores; ideò est probanda ista vltima consequentia, & accomodanda certis authoritatibus Philosophi, & Commentatoris.

61 *Scotus* est satis diffusus, ac proindè vix apparet pondus collectionis, vt contingit in omni dispersione; quarè procedendo con-

conformiter, breuiter sic colligimus probationem Scoti: omnes alij gradus inferiores ordinantur ad illum supremum, vt sunt cum illo vnibiles: ergo poterunt creari eadem creatione, qua ipse supremus gradus: sed supremus est creabilis vnica creatione: ergo & omnes gradus inferiores simul cum illo. Antecedens primum patet in omnium opinione: nullus enim imaginatur, intensiones fieri per gradus separatos. Declaratur consequētia per authoritatem Philosophi, quam allegat Scotus *ex 3. Physicorum, &c.* scilicet *quantum contingit esse in potentia, tantum contingit esse in actu*, in qua authoritate docet tandem resolutè Scotus, significari commensurationem [potentiæ quantitatis;] itaut nihil ampliùs contingat esse in potentia, nisi quod existit in actu: quia secundùm Philosophum, agens naturale, sinè cuius actione nihil potest fieri nouum, non potest aliquod quantum accrescere, nisi auferendo ab alio quanto particulas, quas alteri apponit. Vndè in sententia Philosophi magnitudo non potest augeri in infinitum; quia non potest augeri, nisi per partes actù præexistentes, quas constat esse finitas: sed in sententia Catholica, vt Scotus notat ibidem, Deus potest maiorare aliud quantum, non apponendo ibi partes ablatas ab alio quanto, sed de nouo creatas; ac proindè magnitudo habet infinitatem syncategorematicam, & potest augeri in infinitum.

62 *Verùm* ex hac authoritate Philosophi non habetur formalis probatio consequentiæ, etiamsi extendatur à quantitate molis, de qua solùm tractat ibi Philosophus, ad quantitatem virtutis, nisi vlteriùs transferatur ad illa quanta permanentia, in quibus, sicut potest aliquid inferius esse vnum factibile vnica factione; ita & quodlibet infinitorum, si esset factibile, vnica actione esset factibile, & ita posset fieri summum, & tamen esset infinitum, si esset processus in infinitum. Ita concludit Scotus adducens pro isto sensu *Commentatorem Commento 69.* dicentem, *quòd omnes potentiæ, quæ sunt in maioratione, sunt vnius potentiæ demonstratæ & determinatæ*; hoc est (vt explicat Scotus ibidem) *est vna potentia ad supremum actum, in quo continentur omnes actus, ad quos sunt illæ multæ potentiæ, quarum vna reducitur ad actum post aliam*.

63 *Hanc ipsam explicationem* admittit, & sequitur noster *Aureolus* vbi supra; ac proindè magis peripateticè, & Auerroisticè, quàm Scoticè, & Catholicè negat infinitatem syncategorematicam in magnitudine, licèt illam concedat in multitudine. Sed quidquid sit de hoc; videtur adhùc desiderari formalis probatio consequentiæ; neque enim po-

potest videri in quantitate aliquis gradus supremus cōtinens alios, nisi secundùm proportionem mathematicam, & per diuersas vniones partiales; ac proindè, naturaliter loquendo, talis actus nō potest esse, nisi per multas actiones: supernaturaliter autem nunquàm propter infinitatem potentiæ, cui repugnat reduci totaliter ad actum vltimū; imò nullatenùs videntur, posse nobis fauere Philosophus, & Commentator loco citato; quia ipsi sustinent, quantitatem esse omninò ingenerabilem, & incorruptibilem; quid ergo? nunquid putabimus, frustra Scotum defatigatum in tàm prolixa declaratione prædictarum authoritatum? minimè; quare, vt propositum Scoti aliqualiter assequamur.

*Notandum est*, non veritatem præmissarum, aut principiorum Philosophi, & sui Commentatoris, sed consequentias considerare; quas illi concederent, si vera principia cognoscerent; aut negarent, si sua principia esse falsa cognoscerēt; falsa enim sūt, quæ ipsi docent, & contra fidem, scilicet, nullā quantitatem nouā, aut materiā creari posse; verùm concederent, ista creabilia esse per possibile, vel impossibile, concederent etiam, eadem actione, qua creatur materia, creari etiam quantitatem sibi correspondentem quoad omnes suas partes, propter proportionem quantitatis cum materia, non mathematicam, sed entitatiuam: nàm substantia qualibet excedit perfectione entitatiua quodcumque accidens; nec ideò negant, magnitudinem augeri posse in infinitum; quia non possent omnes partes præexistentes inuicem vniri, & illis adiungi aliæ partes de nouo productæ, sed quia non putant, alias posse de nouo produci, aut aliquam vnam formam dari cōtinentem virtualiter omnes formas naturales, & adæquatem potentiam materiæ, aut ipsam materiam posse existere sinè aliqua forma, aut quantitatem conseruari separatam: nam, si hæc concederent, non negarent, indè sequi magnitudinem infinitam actù, vel potentia; nunc autem cùm ipsi, & præsertim Commentator, sustineant, solam determinationem quantitatis fieri de nouo, & istam prouenire à forma; tenētur dicere cōsequēter, quòd eadem actione, qua producitur forma, comproducitur etiam determinatio quantitatis: nam, vt fatetur, & docet *Aureolus*, vbicumque se offert occasio, accidentia terminata, quæ sunt in materia, & in composito habent suas terminationes à forma secundùm Commentatorem in *Tractatu de substantia Orbis cap. 1.* forma vero habet à se naturaliter, quod sic determinet.

65 *Quando ergo* dicit Commentator, quòd in magnitudine

omnes potentiæ sunt vnius potentiæ demonstratæ, & determinatæ per potentiam demonstratam, intelligit compositum substantiale, quod demonstratur per accidentia sensibus; nõ enim substantia sensibilis per se, sed per sua accidentia; & in hoc fundatur declaratio nostri *Aureoli in 4.* quòd demonstratur per pronomen, *hoc*, in forma consecrationis: accidentia autem ista determinantur à forma; vndè per potentiam determinatam intelligit accidentia, & præcipuè quantitatem; ita quòd in illa authoritate significat processum à potentijs, siue dimensionibus interminatis ad dimensionem terminatam, & à dimensionibus terminatis ad formam, à qua dimanat terminatio; & hunc processum non obscurè insinuat Commentator ipse docens, *in magnitudine esse processum ad formam, in multitudine ad materiam.*

66 *Ex quibus* (pro nunc omissis alijs quampluribus, quæ prolixam expostulãt declarationem) colligitur, quòd quale iudicium sit de productione formæ, & cõpositi; tale debet fieri de productione omnium partium quantitatis, si essent producibiles vnica actione: ergo & omnes partes quantitatis illi correspondentes, saltem per potentiam Diuinam: quia actualitas formæ, & compositi continet eminenter omnes actus, ad quos sunt omnes potentiæ partium quantitatis, & hoc solùm propter excessum entitatiuum, in quo fundatur ratio Scoti; & probatur illa consequentia. Vndè dicit Scotus in principio, quod de sua ratione accipiebant euidentiam rationes Philosophi, & Commentatoris, quæ aliàs peterent principium.

67 *Dices* contra istam declarationem, indè sequi, quòd tota extensio quantitatis, & qualitatis possit produci vna simplici actione: quia eadem actione producitur quæcumque pars, aut compositum substantiale: nam quæcumque pars, aut compositum substantiale continet eminenter secundùm proportionem entitatiuam omnia genera quãtitatis, & qualitatis, & absolutè omnia accidentia. *Respondetur*, negando sequelam: ad probationem dicimus, quòd licèt proportio actionis, saltem respectù Dei, in ordine ad cuius potentiam absolutam loquimur, colligatur ex proportione entitatiua; requiritur tamen aliud, scilicet, quòd excessum sit proportionatè vnibile cum excedente: quarè cùm tota extensio quantitatis, aut qualitatis nõ sit proportionatè vnibilis, nisi cum tota extensione partis, aut compositi substantialis; & ista totalis extensio substantiæ nunquàm possit produci, nec vnica, nec pluribus actionibus, cùm sit infinita; sequitur, quòd nec etiam tota extensio qualitatis, aut quan-

quantitatis vnquàm possit produci; cùm etiam sit proportionaliter nfinita syncategorematicè. *Ex dictis sint*

# *Hæc Corollaria.*

68 P*Rimum Corollarium*. Nullum infinitum, quatenùs formale tale est magis, aut minùs alio infinito, siue (vt alij dicunt): nullum infinitum aliud excedit, vel ab alio exceditur. Quidam Scotista mihi familiaris putat, nostrum corollarium limitandum esse ad infinita, quæ ipse vocat eiusdem rationis; verùm ratio illius probat illa vniuersaliter, scilicet, quia si daretur excessus in infinitis, necessariò aliud esset finitum simpliciter, nempè illud; quod excederetur: nam in tali casu daretur status, ac terminatio vltima, vltrà quam illud excessum non posset egredi; nec enim propter aliam rationem negamus cum Scoto infinitatem qualitati secundùm intensionem.

69 *Item*, quia per infinita, quæ non sunt eiusdem rationis, vel intelligit illa, quæ non conueniunt in ratione infinitatis absolutè sumptæ; & sic certum est alterum fore finitum, nempè illud, quod non participat rationem infinitatis absolutè sumptæ, vel intelligit illa, quæ non conueniunt in ratione talis infinitatis, verbi gratia, infinitatis in potentia, vel in actu: & tunc vel comparantur duo infinita in potentia inter se; & sic dico, quod vnum non excedit aliud: quia tanta est potentia extensionis, & multiplicationis numericæ in specie quanta, & in parte quanta, in toto, & in substantia, quanta in accidente; quia in nullo ex illis est dabilis status quoad potẽtiam: si autem comparetur infinitum in potentia cum infinito in actu; tunc infinitum in potentia intelligetur finitum simpliciter: quia infinitum in actu solùm est simpliciter infinitum nullam admittens rationem potentiæ, ac per consequẽs nec cõparationes cũ infinito in potentia: omnis comparatio debet in aliquo vniuoco esse; infinito autem simpliciter, & secundùm quid solùm conceditur vniuocum esse ens, prout præscindit à finitate, & infinitate; vndè sicut per infinitum contrahitur ad esse Dei; ita per finitatem ad esse creaturæ; & sic respectù Dei omne aliud extra ipsum erit finitum: sed de ista comparatione non loquitur Scotista hic familiaris mih, sed de comparatione duorum infinitorum in potẽtia, vt patet in suis exemplis: comparat enim substãtiam cum quantitate, & dicit, quantitatem quantumuis infinitam

excedi à substantia; verùm constat ex dictis, non excedi quantitatem à substantia in potentia extensionis, aut multiplicationis numericæ, sed in perfectione entitatiua, in qua nec substātia, neque qualitas est infinita in actu, aut potentia, vt probauimus latè supra: quarè corollarium vniuersaliter est substinendum.

70 *Secundum Corollarium*. Deus cognoscit omnem multitudinem possibilium clarè, & distinctè, quæ licèt in ordine ad existentiam realem sint infinita syncategorematica; non tamen quatenùs subiacent cognitioni Diuinæ, & intelliguntur participare aliquod esse, tametsi diminutum, & ab ea distinctum. Et hæc est vera mens Scoti, nonquam illi imponit *Hurtadus disp.* 13. *Physicorum*, vbi ait: aliqui affirmant, Deum non cognoscere infinitā multitudinem rerum possibilium, sed eas, quas cognoscit esse simpliciter numero finitas; ita expresè sentit Scotus de gratia actuali, & cæteris qualitatibus. Sed (ò bone Hurtade) vbi apud Scotum aliqua exceptio possibilium à cognitione Diuina non perceptorum? cùm Scotus substineat, possibilitatem omnem prouenire à cognitione Diuina, & illud esse diminutum, seù cognitum esse ipsum esse possibile craturarum; vbi, inquam, quæso, illa limitatio, aut finitas in numero expressa loco citato, vbi solùm agit de finitate intensionis secūdùm gradus perfectionales? aut ita expresè hoc Scoto imputas, quia inter extensionem numericam, & perfectionem entitatiuam intensionis nullum inueniebas discrimen; aut quia parùm sincerè Scotum Doctorem purissimum, suspicione impuritatis aspergere cupiebas. Sed hunc dimittamus: nè par pari referendo, ipsi pares videamur.

71 *Succedant ergo* probationes nostri corollarij. Prima pars illius admittitur ab omnibus, & præcipuè docetur à Scoto, qui, vt diximus, esse possibile creaturarum vocat esse cognitum, tanquàm acceptum à cognitione Diuina: nam si præsupponeretur cognitioni Diuinæ, daretur aliquod esse creaturarum independens, quod repugnat. Quo supposito pro sententia Scoti, sic absolutè probatur prima pars: quia aliàs sequitur limitatio aliqua, aut successio in limitatione Diuina, si aliquod ab ipso cognoscibile cognosceretur per prius, & posterius. *Probatur secunda pars*, quia illud esse possibile, quatenùs subiacet cognitioni Diuinæ, accipit aliquod esse actuale, estò diminutū, à tali cognitione, nempè esse cognitum actualiter: sed repugnat, aliquod creatum esse infinitum in actu: ergo illud esse actuale creaturæ erit finitum, quatenùs concipitur sub illo actu: at quatenùs

nis comparatur ad actualem existentiam realem, est infinitum in potentia, quia nunquàm terminatur totaliter talis potentia: cùm semper restet aliquid, quod possit transire in actum existentiæ.

72 *Nec in hoc* philosophandi modo errauit Aristoteles, vt illũ improperat *Hurtadus*: sed in alijs principijs, in quibus aduertimus, non esse immorandum, sed in modo deducendi consequentias; neque est incõueniens, vnum, & idem respectũ diuersarum rationum poni finitum, & Infinitum, imò necessarium: nam omnes concedunt, quantitatem esse infinitam in potentia, & finitam in actu; & nos diximus, qualitatem esse finitam secundùm intensionem; & infinitam secundùm extensionem; & pari ratione dicendum de generibus, & speciebus in ratione talium, esse finita; nec posse per Diuinam potentiã multiplicari in infinitũ: quia multiplicatio per gradus perfectionis est iuxtà proportionem entitatiuam, in qua necessariò datur status, per consequens non potest dari infinitas; & tamen genera, & species sunt Infinita secundùm numerum, quia in illo nullam habent determinationem, ac statum: ergo similiter de possibilibus poterit dici, quòd in ordine ad actualem existentiam realem, quam nunquàm simul, neque terminabiliter participare possunt, esse infinita in potentia; in ordine autem ad existentiam rationis, seù illud esse diminutum, quod accipiunt à cognitione Diuina, esse finita, & terminata; hoc est actualiter, & totaliter cognita; non quia cognitio Diuina sit finita, sed quia res possibiles participare non possunt, nisi actum finitum.

73 *Tertium corollarium*. Non datur minimum, aut maximum naturale per se existens in substantijs homogeneis, quo non possit dari aliud minus, aut maius per se existens. Petit istud corollarium (de quo sunt videndi *Faber*, & *Tataretus*) explicationem illorum terminorum, *maximum*, & *minimum quod sic*, & *quod non*. Hinc breuiter notandum, quòd *maximum*, & *minimum quod sic*; vocantur termini intrinseci; quia sub illis potest conseruari substantia, vel augeri; & *maximum & minimum quod non*, vocantur termini extrinseci; quia sub illis non potest conseruari, aut augeri, vel minui substantia; verbi gratia si supponatur, quòd forma ignis maximi possit conseruari, & augeri sub quantitate mõtis Vesuuij, & ita totam illam substentaret, vt non possit illi fieri additio alicuius particulæ ignis, per quam se possit extendere ad sustentandam quantitatem vnius grani milij, vocaretur quantitas montis Vesuuij *maximum quod sic* respectũ ignis maximi naturalis;

& si

& si ignis posset conseruari, & restringi sub quantitate grani ordei, ita quòd sub minori non posset subsistere; tale granum ordei esset *minimum quod sic* respectù ignis minimi naturalis; & ex alia parte, quodcumq; aliud maius monte Vesuuio esset *maximum quod non*; & aliud minus grano ordei esset *minimum quod non* respectù ignis.

74 *Accedat probatio* nostri corollarij. Minimum, & maximum in quantitate, & extensione est proportionatè vnibile cum subiecto: ergo sicut non datur in quantitate aliquod maius, aut minus, quo aliud non possit dari maius, aut minus; ita etiam neque in substantia homogenea: quia ista substantia consistit in extensione, & diuisibilitate, ac proindè non illi repugnat magis, quàm quantitati, diuisibilitas in semper diuisibilia; repugnat autem quantitati dari modum, quo non possit vniri.

## *Quæ pugnant contra nostra asserta proponuntur, & soluuntur.*

75 PRimò. Philosophus ipse docet *in 3. physicorum*: finitum, & infinitum competere quantitati: ergo sicut non repugnat illi finitas, ita neque infinitas; ac per consequens, sicut nō datur quantitas finita in actu, ita etiam poterit dari infinita in actu. Primum consequens deducitur ex multorum expositione dicentium, finitum, & infinitum esse differentias, vel proprias passiones quantitatis. *Respondetur cum Scoto*, Philosophū intelligendum de finito, & infinito in potentia, quæ quantitati propriè conueniunt, & alijs propter similitudinem extensionis attribuuntur: nam, vt notauimus, in sola extensione datur infinitas syncategorematica, & alia nō potest dari extra Deum; & sic intelligendum est primum consequens, nempè infinitatem in potentia esse passionem quantitatis, & inueniri in alijs propter similem modum extensionis. Negatur tertium consequens: nam absolutè neque quantitas, neque aliquid aliud potest esse infinitum in actu.

76 *Sit altera* argumentatio desumpta ex Aristotele statuente mundi æternitatem, dari infinitatem animarum, & generationum. Vndè Theologi solent dicere, cogitationes Beatorum, ac damnatorum esse numerò infinitas; nec refert, ista simul non extitisse: sufficit enim successiuè præterijsse: nam præteritum reputatur pro præsenti; quia similiter

liter, sicut præsens excludit potentiam; quarè eo ipso, quòd cōcedunt infinitum præteritum, statuunt infinitum categorematicum, & negant esse syncategorematicum,& per consequens falsa nostra propositio tam in se, quàm ex mente Aristotelis. *Multi* propter hoc argumētum arbitrantur, Aristotelem non posse excusari à lapsu implicatorio contradictionis; sed vt sæpè obseruandum notauimus; quidquid sit de veritate illarum præmissarum,& certitudine,qua Aristoteles asseruerit, vel negauerit mundi æternitatem, aut animarum immortalitatem, nō ex istarum admissione sequitur, sicut neq; ex interminabili multitudine cogitationum Beatorum, vel damnatorum, nisi infinitas syncategorematica: semper enim remanet pars accipienda, & de nouo producenda, scilicet anima aliqua, aut cogitatio, aut generatio, ac proindè nulla multitudo, quamùis magna, & innumerabilis præteritorum excedit finitatem actualem, nec auferre potest infinitatem in potentia, sicut neque ipsam potētiā ad vlteriores actus.

77 *Et ex hac ipsa doctrina* respondendum est ad illud, quod objiciunt de infinitate diuisibilium in continuo, quæ vocant partes proportionales, scilicet esse infinitas in potentia tantùm, ac proindè vocari proportionales propter æqualem proportionem potentiæ, quam participant; nō enim placet illa vulgaris distinctio de actu existendi, & subsistendi: nam in quocumque actu quantumuis diminuto, etiam rationis, vt vidimus ex mente Scoti in corollario, repugnat infinitum;vt omittam ex doctrina Tatareti, sequi, quòd attributa Diuina non haberent infinitatem actualem propriam: nam certum est, non habere actum subsistendi proprium distinctum à subsistentia Deitatis, & personarum: & tamen conceditur, habere infinitatem actualem propriam; ita aduertite quamcumque partem, quantumùis minimam, quatenus consideratur sub quocumque actu esse certam, & determinatam;& quamcumque partem, quantumùis magnam, quatenus consideratur in potentia ad vlteriorem compartem, esse partem proportionalem:nam propter hanc inaduertentiam, & inconsiderationem partis proportionalis multi confunduntur; & tamen si negaretur, non posset dari infinitum syncategorematicum in diuisione, vel augmento quantitatis:nam hoc negato, daretur excessus, & determinatio, ac status in quantitate, quæ tollerent ab illa omnem infinitatem.

78 *Contra secundam* propositionem, & reliqua dicta objicitur primò. Datur in Deo infinita potentia in actu, non solùm ad in-

intra, sed etiam ad extra: ergo similiter ad extra debet illi correspondere terminus infinitus; ac per consequens extrà Deum dabitur infinitum in actu, quod sit categorematicũ in sensu vsitato à Iunioribus: nam solus ipse Deus admittitur ab omnibus esse infinitum extrà genus. *Confirmatur*; quia, vt benè aduertunt Conimbricenses, non minoris valoris est Diuina voluntas, & potentia libera Dei, quam intellectus Diuinus, ac potentia Dei naturalis: sed intellectus Diuinus producit in actu cognito infinitam multitudinem possibilium; & si Deus ageret naturaliter, scilicet secundùm vltimum suæ potentiæ, produceret infinitum in actu correspondens suæ potentiæ, quæ est infinita in actu: ergo voluntas, ac potentia Dei libera poterunt idipsum præstare, & similiter producere infinita in esse volito, & existentiæ.

79 *Respondetur* concedendo primum antecedens de potentia Dei vniuersaliter, quantùm ad esse eius absolutum, relinquendo Theologis examinandum, *an ita debeat concedi de illius esse respectiuo*. Distinguimus autem cum nostro Canonico primum consequens, scilicet debere correspondere potentię infinitę terminum infinitum secũdùm proportionem non repugnantiæ; non autem secundùm proporportionem perfectionis; hoc est (vt loquamur vsitatiùs) infinitum in potentia ad actum, nõ verò infinitum in actu excludente potentiam, aut illam determinante vltimatè; & sic negamus alia duo consequentia, & infinitum categorematicum medium inter syncategorematicum, & Diuinum, quod vt cõseruet, repugnante natura, Albertinus, destruit ipsum, dicens, illud requirere aliud præter actualitatem partium: cùm certè nihil aliud inueniri possit, nisi negatio partium, ac per cõsequens talis infiniti categorematici medij destructio. *Ad confirmationem* negamus, multitudinem possibilium sub actu diminuto, & extrinseco cognitionis esse infinitam, quinimò est finita; ac per consequens indè nihil contra nos concluditur; restat autem illis, qui talem imaginãtur infinitatem, dissoluenda illa disparitas, quæ tangitur in confirmatione.

80 *Reliqua* nostra dicta impugnantur apud Conimbricenses: quia infinitas syncategorematica nullam inuoluit repugnantiam, nec ex parte Diuinæ potentiæ, cùm sit infinita; nec ex parte effectus: quia per talia incrementa non perueniretur ad aliquam creaturam actu infinitam: ergo absolutè in nulla creatura repugnat dari, ac proindè neque in aliqua qualitate secundùm intensionem, neque in forma, aut quacumque specie. *Negatur antecedens*, & assigna-

gnatur repugnantia ex parte effectus propter determinationem necessariam in quolibet indiuiduo, specie, & genere secundùm perfectionem, & proportionem entitatiuam, vltrà quam si excederet, indiuiduum transiret in aliam speciem, & esset species extrà genus, donec perueniret ad ipsum Deum iuxtà explicata superiùs.

*Altera ratio*; quia sequitur, quòd quantitas possit augeri, & crescere ad esse infinitum in actu; & indè vlteriùs, cùm necessariò deberet illi dari subiectum proportionatum, sequitur, quòd etiam daretur substantia infinita, & virtutis infinitæ, & sic moueret in instāti; mutaretur de vno loco in alium sinè transitu per medium corpus, & constitueret illud in duobus locis; imò dimidia pars istius infiniti idipsum præstaret, quia similiter esset infinita: nam infinitum nō coalescit, nisi ex infinitis; & sic pars esset tanta, quanta totum; quibus inconuenientibus impugnatur etiam primum corollarium.

81 *Respondetur* ad hæc omnia negādo suppositū, & primā sequelā, quæ ex falsa, aut certè parùm Catholica prędictarum authoritatum intelligētia colliguntur: nam, vt ex prolixa earum expositione constat, non procedunt, nec habent euidentiam, nisi ex proportione duplici proportionis, & vnibilitatis, quarè repugnat, substantiam totam secundùm infinitam extensionem, quam habet in potentia, poni in actu; ita & quantitatem, & qualitatem. *Nobilis Scotista* mihi familiaris confundit intensionem cum extensione; quòd si aliud Philosophus, aut eius Commentator voluerint, negandi sunt cum suis falsis principijs; & cōsequenter omnia inconuenientia, quæ indè deducuntur; nam pręsupponunt infinitum in actu, quod nec Philosophus posuit; vndè nec etiam infinitum in potentia; neque si hoc vltimum poneret, cogeretur illud aliud concedere; sicut neque nos lumine fidei obiectum omnipotentiæ cognoscimus esse infinitum non repugnantiæ, vt loquitur noster Canonicus, vel in potentia, aut syncategorematicū, vt Recentiores.

*Notatis his principijs vniuersalibus* de finito, & infinito, descendamus ad gratiam Christi, de qua fuit nostrum principale intentum n. 40.

# PROPOSITIO VNICA.

## *Gratia Christi non est, nec potuit esse infinita in esse entis, seù qualitatis.*

82 TEnet *D.Thomas 3. parte, quaest. 7. art. 11. Scotus in 3. dist. 13. quaest. 4.* quem sequuntur *Vasquez disp. 46. cap. 3. Suarez disp. 22. sectione 1.* & Theologi communiter contra *Almainum, Mayronem, Vuadingum disp. 5 de Incarnatione dubio 8.* & contra nonnullos Recentiores. Horum fundamentum est: non repugnare gratiam infinitam; si autem non repugnat, concedenda est Christo, cui gratia non ad mensuram data est *Ioannis 3.*

*Vasquez* probat nostram propositionem: quia nullus potest reddi ita Deo gratus per gratiã adoptionis, quin possit per bona opera mereri maiorem, & maiorem: ergo hæc gratia non habet terminum sui accrementi, & cõsequenter non est infinita actù.

83 *Verùm*. Hac ratione non sufficienter fulcitur nostra propositio. Probatur. Quia quãdo aliqua forma est in termino, quantumcumque applicetur causa alias productiua eius, non augetur ampliùs: sed, si gratia esset infinita, foret in termino: ergo nõ posset augeri, etiamsi applicaretur aliquã causa, per quam aliàs augeretur. Secundùm Vasquez gratia Christi fuit de facto finita, & tamen non fuit aucta per opera bona eius: ergo multò minùs deberet augeri per talia opera, si esset infinita, etiam in termino. *Respondebis*, ideò de facto gratiam nõ fuisse auctam: quia Christus fuit infinitè gratus per vnionem. *Contra*: nam hæc ratio videtur destruere sententiam Vasquez: etenim si ex illa ratione sequatur, gratiam habitualem Christi non potuisse recipere augmentum, conuincitur etiam, nullam omninò esse necessitatem gratiæ habitualis in Christo.

84 *Probant alij*: quia si gratia esset infinita, fruitio esset infinita, & consequenter lumen gloriæ, & visio forent infinita: nam sinè visione infinita nequit dari fruitio infinita; si autem visio esset infinita, comprehenderet Deum, & sic ita perfectè videret Deum, sicut Deus seipsum videt, quod est falsum.

*Sed probatio hæc* non satis, ibi constat. Probatur. Aduersarij concederent totum, præter illud, quòd fruitio, & visio illa essent

essent comprehensiuæ, quod negarent: quia ad hoc, vt aliquis comprehendat Deum, requiritur intellectus, qui in se sit sic perfectus, qualiter est Deus in se; anima autem Christi quamuis haberet lumen infinitum, haberet tamen intellectum finitum, à quo, tanquàm à comprincipio, dependeret illud lumen in ordine ad suum effectum; & consequenter visio, quæ non solùm à tali lumine, sed etiam ab intellectu produceretur, sequeretur in sua perfectione, vel imperfectione ipsum intellectum finitum, & limitatum.

85 *Alij ita dicunt*: infinitum intensiuè de potentia ordinaria nequit dari: nam omnia in pondere, & mensura operatus est Deus.

*Neque hæc tandem ratio* subsistere potest, est namque facilis solutionis. Certum enim est, perfectionem naturæ assumptæ non mensurari per legem ordinariam: alioquìn subsisteret in seipso, sicut reliquæ naturæ in naturali supposito subsistunt; sicut ergo illa natura assumpta est ad summam perfectionem substantialem; ita etiam congruit, eam eleuari ad summam possibilem accidentalem, & consequenter ad infinitam gratiam, si hæc sit possibilis.

86 *Probatur* itaque nostrum assumptum hac ratione. Quia si posset dari gratia infinita in gradibus homogeneis, daretur aliquis gradus gratiæ infinitæ perfectionis intensiuæ: sed hoc est absurdum: ergo & illud, vndè sequitur. Minorem omnes concedere debent: quia propter eandem rationem negāt processum in infinitum in speciebus (loquor de speciebus inæqualis perfectionis: nam si dentur species æqualis perfectionis, hæc ratio nil facit contra infinitatem illarum, plusquàm contra infinitatem indiuiduorum): quia daretur aliqua species infinitæ perfectionis intensiuæ, & consequenter esset Deus. Maior probatur: quia quilibet gradus in tota illa collectione includeret aliquam perfectionem; sed daretur aliquis gradus, qui in infinitum excederet alios in perfectione: ergo aliquis gradus esset infinitæ perfectionis; maiorem suppono; minor patet; quia in gradibus heterogeneis secundus excedit primum, & tertius secundum, & quartus tertium, & sic in infinitum. Consequentia videtur clara: quia illa perfectio, quæ infinitiès excederet alias perfectiones, esset simplicitèr infinita.

87 *Supponit* nostra ista probatio; qualitatem intendi per gradus heterogeneos, sicut fuit à nobis probatum in libris de generatione, & corruptione: & hoc: quia in omnium opinione qualitas plus perficitur intrinsecè per intensionem, quàm extensionem: nam qualitas intensa

plus operatur, tàm expellendo contrarium, quàm vltimatè disponendo subiectum: sed non esset magis perfecta, nec actualior intrinsecè intensa, quàm extensa, si intensio fieret per additionem graduum similium: ergo necessariò fit per additionem graduum dissimilium.

88 *Confirmatur*: quia nulla alia præter illam potest excogitari, nisi vel diuersitas vnionis, vel contractio partium qualitatis in minori parte subiecti: sed diuersitas vnionis præexigit diuersitatem partium;& maior,vel minor contractio nullam ponit intrinsecam perfectionem in qualitate: sed tantummodò maiorem applicationem:ergo,supposita similitudine partium, tàm intrinsecè perficitur qualitas extensione, quàm intensione; ac per consequens,cæteris paribus, tàm perfecta esset extensa,quàm intensa. *Sequeretur* etiam, quòd agens remissum posset intendere subiectum intensius, quod tamen repugnat experientia. Probatur sequela: quia calidum vt vnum, si applicetur calido vt duo meliùs disposito,potest in illo producere nouum gradum caloris; ac per consequens faciet illud intensius, cũ superaddat illi vnum gradum similem alicui ex duobus præhabitis. Casus est possibilis, quia calidum vt vnum habet virtutem actiuã, & calidum vt duo passiuam meliùs dispositam. In Theologia argumentum habet maiorem vim; dicitur quippè ibi, quòd gratia habitualis augetur per actus remissos.

89 *Nec valet responsio* Aduersariorum dicentium, quòd in tali casu nulla actio foret: nam actio procedit à proportione maioris inæqualitatis, nisi explicetur ista inæqualitas iuxtà sensum nostræ conclusionis, facilè conteretur. Tùm propter instantiam Theologicã. Tum propter alias, quas adducit Hurtadus.

*Dices contra nos*. Eo ipso,quòd gradus, vel partes dispersæ in diuersis subiectis coniunguntur in vno,euadit forma magis perfecta tàm quoad esse, quàm quoad operari: ergo ista coniunctio sufficit ad intensionem, neque requiritur dissimilitudo graduum. Probatur antecedens: quia forma in tali casu haberet plures perfectiones indiuiduas, & per modum vnius; ac proindè perfectior, quàm quãdo erat dispersa in diuersis subiectis. *Confirmatur*; quia virtus vnita fortior est seipsa dispersa: ergo in eodem subiecto euadet perfectior forma, quàm in diuersis, ac proindè intensior: quia fortitudo agendi oritur ex perfectione, & perfectio infert intensionem.

90 *Respondetur* ad argumentum, & eius fundamentum, qualitatem in tali casu ex vi contractionis ad vnum subiectum non fore intrinsecè perfectiorem, sed tan-

tantùm per accidens eo modo, quo dicimus, quòd propter maiorem approximationem, vel applicationem agens potest vel minùs, vel magis agere: quia est magis, vel minùs impeditū; cùm tamen certum sit, nihil per talem approximationem, vel elongationem, virtutis ipsi addi, vel detrahi. Vndè isti diuoluuntur in opinione dicentium intēsionem fieri per ablationem contrarij: nam impedimenta contraria reputari debent. *Negatur* autem probatio principalis argumēti, quòd scilicet multiplicatio sola graduum indiuidualium faciat intensionem, nisi illi gradus sint dissimilis perfectionis. Confirmatio manet dissoluta ex dictis: quia augmētum virtutis vnitæ fit propter immunitatem ab impedimentis; quarè, cùm non sit intrinsecum augmentum, nihil facit ad intensionem intrinsecam, quamuis aliquo modo adiuuet operantem.

91 *Replicabis.* Inde sequitur, quòd necessariò præcedēs gradus corrumperetur, adueniente dissimili gradu perfectiori; consequens est præcipuè contra Scotum in 1. *dist.* 17. vbi contrarium sustinet aduersùs Godfredum. Sequela probatur: quia in tali casu primus gradus esset superfluus, cùm virtualiter contineretur in sequenti, & aliquid amplius. *Negatur* sequela; ad probationem autem dicimus, quòd licèt primus gradus videatur superfluus, scilicet non sit necessarius respectù intensionis; tamen est necessarius respectù aliarum conditionum. *Prima est* propter proportionem qualitatis materialis cum quantitate; nisi enim in qualitate forent plures gradus, qualitas illa non posset extendi, diuidi, & partiri ad extensionem, diuisionem, & partitionem quātitatis. *Secunda* conditio est virtus limitata agentis creati, quod primò producit imperfectum, deindè perfectius. *Adde,* quòd gratis concesso, qualitatem intēdi per gradus homogeneos, adhùc repugnat qualitas infinita: quia subiectum talis gratiæ esset infinitæ perfectionis, & capacitatis: sed nullum potest dari subiectum tale: ergo nec vlla forma talis. Probatur: quia quò magis intensa est forma, quæ recipitur, eò magis perficitur subiectum: ergo si gratia, vel vlla talis forma esset infinitè intensa, subiectum esset infinitè perfectum.

92 *Petes: an possit* saltem extrà subiectum dari gratia, vel vlla alia qualitas infinitè intensa? *Respondetur* negatiuè: quia nulla forma accidentalis potest dari, cui repugnet poni in subiecto; cùm omnis talis forma ordinetur ex natura sua ad subiectum. *Impugnant* ista a nobis dicta, argumenta, quæ subsequuntur. *Primum*: quantumcumque aliquis est Deo gratus, potest adhùc crescere in gratia per opera

sua

sua bona:ergo nulla dabilis gratia, cui repugnet vlteriùs intendi. Huic argumento longo sermone fuit supra satisfactum: cùm enim gratia peruenerit ad illum terminum vltimum, quo perfectior dari non possit, repugnat gratiam illam intendi, seù perfici per alterum gradum aduenientem; si enim posset alter gradus perfectior aduenire, indè sequeretur, qualitatem, seù gratiam minimè peruenisse ad vltimum gradũ. *Secũdum* argumentum. Non debet poni in anima Christi alia gratia, quã illa, quæ est necessaria ad eius Beatitudinem: sed hæc non est summa: ergo nec gratia. Minor probatur: quia Beatitudo commensuratur inclinationi naturali: sed hæc est perfectior in Angelo, quã in anima Christi: ergo Beatitudo Angeli potest esse maior, quàm sit Beatitudo animę Christi. *Respondetur*; transeat maior, & negatur minor. Ad probationem dico, Angelos, & animam esse pares in ordine ad supernaturalia, quantùm ad inclinationem passiuam; vndè argumentum cadit.

# DISPVTATIO TERTIADECIMA.

## *De Christi scientia. Vbi de lumine Gloriæ, & Visione, &c.*

COmpetit Christo, quatenùs Deus est, Diuina, & increata scientia: non enim amisit Verbum Diuinum in Incarnatione, quæ sibi ex Deitate insunt; cùm autem sit etiam homo, animam habens creatam, nec non intellectum creatum, in eo admittenda est creata cognitio, & humana scientia, quia non potest intellectus creatus priuari operatione, & actione sua vitali, quæ est cognitio, & scientia. De Diuina scientia Christi, quatenùs est Deus, diximus in primo; hìc de scientia Christi, quatenùs homo est, agere debemus. Cuius occasione plura dicemus de lumine gloriæ, & Visione Beata, &c.

PRO-

# PROPOSITIO PRIMA.

*Beatifica scientia fuit in Christo homine, non solùm post Ascensionem in Cœlum, sed ab instanti suæ conceptionis.*

1 PEr beatificam scientiam nihil aliud intelligimus, quàm cognitionem illam intuitiuam, seù visionem, qua Beati dicuntur in Cœlis videre Deum, in qua visione incipit eorum Beatitudo. Hanc visionem, & cognitionem Dei beatificam, nullus negare potest Christo existenti in Cœlo: cùm sit prædestinatorum, & Beatorum primus; nec potest Christianus dubitare: *an Christus eandem habuerit scientiam ab instanti suæ conceptionis?* cùm Ioannis primo n. 15. legatur. *vidimus, &c.* (supple Christum) *plenum gratiæ, & veritatis*; & ad Colossenses secundò nu. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; siquidem in plena possessione veritatis consistit visio, & scientia Dei, qui solus est prima, & vera veritas, & in thesauro scientiæ, & sapientiæ Dei, id, quod primum, & nobilissimum est, aliud esse non potest, quàm distincta, & clara cognitio Dei; non abstractiua, qualem nos ipsi habemus, sed intuitiua, quæ propriè dicitur visio.

2 *Impugnant nostram propositionem* nonnulla desumpta ex Sacra Scriptura: Lucæ 24. nu. 26. legitur: *oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam*: ergo Christus minimè fuit Beatus à primo instanti suæ conceptionis. *Respondetur*, hoc intelligi de gloria corporis, & de gloriosa sessione ad dexteram Dei Patris. Idem dicendum est ad illud Ioannis 17. nu. 5. *Clarifica me, tu Pater, apud temetipsum claritate, quam habui priùs quàm mundus esset.* Posset etiam dici, quòd hìc petat manifestationem gloriæ suæ apud alios, & in Ecclesia. *Ad illud* ad Hebræos 2. nu. 10. *decebat eum, &c. per passionem mortis consummare, &c.* Responderi potest eodem modo: quia non est Beatitudo consummata, nisi quando habetur gloria animæ, & corporis. Sed hic locus meliùs intelligitur de consummatione muneris Redemptoris. *Replicabis*: Scriptura in persona Christi apud ps. 15. num. 11. dicit: *Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, &c.* Item ibidem n. 10. *non derelinques animam meam in Infer-*

*Inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*: ergo Christus expectauit visionem animæ, sicut expectauit gloriam corporis. *Respondetur*, negando consequentiam, & licet hic locus posset multis modis explicari, sufficit tamen nobis, quòd possit intelligi commodissimè de Beatitudine accidentali, nempè lætitia, quam erat Christus ex gloria corporis, consortio sanctorum, & alijs capitibus recepturus. Alij obiectioni, qua dicitùr, quòd Christus tempore passionis habuit tristitiam, quæ nequit compati cum Beatitudine essentiali, cuius gaudium est plenum; satisfaciam infrà in proprio loco, disputatione de defectibus naturæ assumptæ.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Visio Beatifica Christi est clarior, & perfectior, quàm sit visio alterius hominis, aut Angeli. Et estò comprehensiua Diuinæ essentiæ non sit: est tamen summa possibilis.*

3 PRobatur prima pars, scilicet, quòd *visio Christi sit clarior, &c.* A primo instanti conceptionis Diuini Verbi essentia Diuina fuit intimiùs præsens, & perfectiùs coniuncta intellectui Christi, quàm Beatorum; ergò eandem, imò maiorem habuit homo Christus ab instanti suæ formationis de Deo Beatificam cognitionem. *Sit altera ratio*. Perfectior hæreditas danda est filio naturali, quàm adoptiuis; vndè ad Hebræos dicitur: *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit*: ergo &c.


4 Secunda pars, videlicet, quòd Christi beatifica visio non sit cõprehensiua, estò sit perfectior visione hominis, & Angeli. Probatur, (abstrahendo ab illis principijs, *an scilicet ratio comprehensoris consistat in commensuratione intellectus cum intelligibili; ità vt tanta sit intellectualitas potentiæ, quanta sit intelligibilitas obiecti*, vt placet nonnullis Scotistis; *&* *an hæc comprehẽsio sit perfectissima cognitio, quæ versari potest circa obiectum*, vt volunt quidam Nominales? Nam, si hæc principia sint vera, nulla est difficultas, quòd anima Christi non comprehendat, nec comprehendere possit Deum. Pro nunc abstineo

ab

ab examine horũ principiorũ.) Probatur inquam sic. Nulla res compræhenditur, quando non cognoscitur omni modo, quo cognoscibilis est: sed Deus non cognoscitur ab intellectu animæ Christi omni modo, quo cognoscibilis est: aliàs cognosceret infinita possibilia, omnia præsentia, præterita, & futura; nam omnipotentia Dei; intellectus Diuinus, & voluntas respiciunt hæc omnia actualiter, & consequẽter sunt cognoscibilia, prout dicunt talem respicientiam. *Hinc posset* fortè desumi argumentum ad probandum, nullã creaturam posse compræhendi ab altera creatura; quia quælibet creatura dicit infinitos ordines, vel actuales, vel habitudinales, & possibiles ad alias creaturas; qui ordines nequeunt cognosci formaliter, vt tales, quin cognoscantur eorum termini.

5 *Fauet* nostræ propositioni sacra scriptura multis in locis, in quibus Deus dicitur incompræhensibilis. Ieremiæ 32. n. 19. *Magnus consilio, & incompræhensibilis cogitatu*. Fauent Patres; Gregorius X. moralium capite 10. asserit, *quòd licèt Deum in claritate sua quandoq; conspiciamus, non tamen eius essentiam plenè contuemur*, & loquitur de statu gloriæ. Et lib. 18. capite 28. ait, *longè dispariliter videre creaturam Creatorem, quàm ipse se ipsũ videat: nam quãtùm ad immensitatem Dei, modus nobis præfigitur contemplationis, quia eo ipso pondere circumscribimur, quo creaturas scimus. Vltima pars* nostræ propositionis scilicet, *quòd visio beatifica Christi sit summa possibilis*, eisdem firmatur rationibus, quibus probatum est disp. 12. proposit. 14. animam Christi habere summam gratiã possibilem; est enim vtrobiq; eadem ratio.

6 Petes: *Vtrùm de facto Christus habeat visionẽ Diuinæ essentiæ, quæ talis sit perfectionis, vt nulla dari possit maior in hypothesi quòd Christus habeat influxum actiuum in illam visionem?* Apud Scotistas nõ est vnus modus respõdendi. *Noster Pater Felix capite 15. difficultate 2.* est opinatus, quòd negatiuè sit respondendum.



## PROPOSITIO TERTIA.

*Visio Diuinæ essentiæ in Christo tanta est perfectione condecorata etiamsi ad illam intellectus Christi præstet actiuum concursum, vt ea perfectior dari nequeat.*

7 PRobatur. Quia hoc facit ad maiorem Christi dignitatem, quam, teste Augustino, debemus semper extollere, nisi euidens ratio conuincat oppositum. Ratio nostra est, quia etsi dabilis sit intellectus perfectior intellectu Christi, atq; adeo maioris actiuitatis; tamen nullã videmus repugnantiam, quin Deus post collatũ sũmũ lumen gloriæ possibile, ipse Deus immediatè per proprium concursum suppleat defectum actiuitatis intellectus Christi, & agat cũ illo intellectu totum id, quod alter intellectus præstare valeret; & inde à Deo, & ab intellectu Christi produceretur visio tantæ perfectionis, vt alia nulla foret possibilis perfectior. *Dices*, Deũ posse post summum gloriæ lumẽ collatum intellectui Angelico, eodem concursu, seù concursu æquali concurrere cum intellectu Angelico; ergo est verum dicere, posse dari visionem perfectiorem ea, quam de facto habet Christus. *Respondemus*, negando, posse Deum æquali concursu concurrere cum Angelo, & posse producere visionem perfectiorem ea, qua supponimus condecoratum intellectũ Christi. Ratio est, quia cùm Deus concurrerit secundùm vltimum de potẽtia cum intellectu Christi, supplendo id, in quo superaretur ab intellectu perfectiori, visio tunc producta esset talis, quod nulla maior foret in se possibilis. Exemplum potest esse in gratia habituali Christi, quã, Scotistæ communiter dicunt, esse in eo gradu, vt ea maior dari nequeat, estò æqualis dari possit.

# PROPOSITIO QVARTA.

*Lumen gloriæ fuit necessarium in Christo. Quod tamen non est actualis visio, sed est aliquod operatiuum.*

8 PRobatur prima pars. Intellectus in ratione potẽtiæ elicitiuæ non est adæquatus, & cõpletus ad visionẽ Dei: ergo indiget principio eleuante, ipsumq; cõplente: at tale eleuans vocitatur lumen gloriæ; ergo necessarium est lumen gloriæ. *Vrgeo* discursum istum ex paritate aliorum actuum supernaturalium. Ad tales actus supernaturales requiruntur habitus infusi; vndè ad actum fidei censetur necessarius habitus fidei, ad actum spei, habitus spei; ad actum charitatis, habitus charitatis: ergo ad visionem est necessarius habitus luminis gloriæ. Item visio beatifica est supernaturalis quoad substantiam, vt notaui in tract. de Visione Dei: ergo principium elicitiuum eiusdem debet esse supernaturale: at intellectus de se non est supernaturalis; ergo dandum lumen gloriæ, per quod intellectus reddatur supernaturalis.

9 *Secunda pars*, nempè quòd sit aliquod operatiuum, conuincitur ex ipsa voce, *eleuatio*; eleuatio quippè non est operatio in se. Quòd lumen non sit ipsa visio, breuiter ostendo. Lumen eleuat potentiam ad visionem; ergo aliud visio, & aliud lumen: etenim, idem ad semetipsum eleuari, repugnantiam inuoluit: quippè eleuatio sẽper dicit aliquam prioritatem respectù illius, ad quod dicitur eleuatio. Tum etiam quia lumen corporeum censetur quid præuium ad visionem, & ab ea contradistinctum; ergo idem fatendum de lumine gloriæ, quod putamus, consistere in qualitate quadam supernaturali eleuante potentiã ad supernaturaliter videndum Deum.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Non est de fide, lumen gloriæ in Beatis esse habitum infusum à visione distinctum.*

10 PRopositio est contra *Capreolum in 4. dist. 49. quæstione 4. art. 3.* *Caietanum 1. parte circa articulum quintum quæst. 12. ad quartum Argumentum Scoti*, *Ferrariensem 4. contra gentes cap. 54.* & alios docentes, definitum esse in Concilio Viennensi, lumē gloriæ necessarium ad vidēdum Deum esse habitum, seu qualitatem à visione distinctam.

*Probatur tamen* nostra propositio, quia, vt notat *Vasquez disp. 42. cap. 2.* Concilium Viennense solum intendebat damnare errorem *Biguardorum, & Beguinarum* asserentium, Deum clarè videri posse ab intellectu creato naturaliter, & consequenter solùm definiuit, non posse id creatum intellectum naturali virtute; ac proinde indigere supernaturali auxilio, seu lumine eleuante. An verò hoc auxilium, vel lumen, sit habitus, aut qualitas, aut peculiaris Dei concursus, non curauit Concilium.

11 *Confirmatur* nostra propositio: quia in tali Clementina non dicitur hoc lumen, vel adiuuamen infundi Beatis, vt ex modo ipso loquendi (infusionis) possit colligi tale adiuuamen esse habitū ad eum modum, quo gratiam, & alias virtutes supernaturales, colligimus, esse habitus ex eò, quòd in *Tridentino sessione 6.* dicantur homini infundi in eius iustificatione. Nec ex illo Verbo *lumen* id potest apertè colligi: cum lumen in scriptura interdū sumatur pro auxilio, quomodò ab aliquibus Interpretibus exponitur illud Psalmi 4. n. 7. *signatum est super nos lumen vultus tui Domine &c.* sumpta metaphora à lumine manifestatiuo, quod auxilium Diuinum, sicut lumen gloriæ manifestat Deum efficiēdo id, in quo Deus manifestatur, & sinè illo manifestus esse nequeat.

*Dices* cum Aduersarijs, Concilium definisse controuersiam illā; quæ inter Scholasticos tùnc versabatur de habitu luminis gloriæ, & ita de fide tenendum esse, dari talem habitum in Beatis. *Confirmat Sotus ex eo*, quòd in eodem Concilio definita sit alia controuersia de infusione habitus gratię, & aliarum virtutum supernaturalium paruulis in Baptismo.

Te-

12 *Totum hoc*, quod assumitur est falsum, vt optimè *Vasqu. 1. parte disput. 42. capite 2. n. 5.* Quod clariùs constat ex illo, quod in confirmatione adducit Sotus: nam in *capite maiores de Baptismo, & eius effectu*, testatur Innocentius Tertius, adhuc esse controuersiã inter Scholasticos de illa re; & in *Clementina vnica de summa Trinitate, & fide Catholica*, solum refertur probabilior opinio: *quæ docet, paruulis in Baptismo infundi habitus*; ergo restat bene fundata veritas nostrę propositionis. *Adde ex nostro Patre Fabro*, quòd cõsuetudo sit Conciliorum, cum controuersias Scholasticorum dirimunt, Authores improbatarum assertionum recensere, imò & deceptionum causas: at Concilium Viennense solùm commemorat Beguardos, & Beguinos; ergo signum est, quòd eorum intentio minimè fuit finem imponere controuersiæ agitatæ inter Sholasticos Theologos. Hengrices ait, Verba Concilij non saluari, nisi dicamus definitum per Concilium, lumen glorię collocãdum esse in qualitate supernaturali intellectui superaddita. Dicit enim Concilium: *animam non indigere lumine gloriæ, ipsam eleuante ad vidẽdum Deum, eoque beatè fruẽdũ Error.* Ex verbis ergo Concilij euidenter conuincitur, dari discretionem realem inter formam eleuantem intellectum ad visionẽ, & visionem ipsam elicitam. *Vrgetur ratio.* Locutiones istæ forent ineptæ: *species est necessaria facultati cognoscenti ad visionem*; vel illa *equus est necessarius ad equitationem*, si species vsurparetur pro ipso actu cognoscendi, & equus pro equitatione. Ressellitur tamen hic Doctor, quippè non est abusiua, & impropria ea locutio, quæ pronunciaret, speciem expressam esse necessariã facultati apprehensiuæ ad cognoscẽdum; quinimò est locutio vsitatissima: cùm certo certius sit, speciem expressam non esse distinctam ab actu cognitionis, & communiter dicimus, visionem esse necessariam ad videndum Deum.

13 *Oppones nobis primò*. Non minus necessarium esse habitum luminis ad visionem, quàm habitum fidei ad assensum credendi, & habitum spei ad actum sperandi: sed dari habitum fidei, & spei infusos, est de fide, vt claret ex Concilio Tridentino, quod postquam *sessione 6.* egerat de actibus fidei, & spei, subdit *in capite 7. hanc dispositionem iustificatio ipsa consequitur*, in qua nimirùm, hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem. *Respondemus*, non curando pro nunc de infusione habituum fidei, spei, &c. quidquid sit de hac veritate, nihil habetur contra nostram propositionem: aliud quippè est, quod vi illationis infertur; aliud vero, quod decreto, & definitione Ec-

clesiæ

clesiæ firmatur. Damus ergo, nõ esse maiorem necessitatem habituum fidei, & spei, spectata tãtùm ratione cõprincipij actus supernaturalis. Quare nobis pro certo est, habitum luminis creatæ menti infundi; respuimus tamen, id esse dogma fidei, & quod expressè ex Ecclesiæ definitione nobis constet. *Posset etiam dici*, nõ valere discursum ab infusione habitus charitatis ad infusionem luminis gloriæ. Primò, quia Concilium Tridentinum sermonem faciens de habitu Charitatis, dicit, *infundi*, at Concilium Viennense loquens de lumine gloriæ, minimè vtitur hoc verbo, *infundi*, ergo iam habemus motiuum ad varia iudicia formanda de habitu Charitatis, & de lumine gloriæ: cum diuersis signis nobis manifestentur. *Secundò*; quia datur ratio, quæ probet peculiariter de charitate, quòd consistat in habitu infuso; estquè ista: quia charitas nedùm sit vnà cum voluntate comprincipium actus supernaturalis, verum etiam sit forma intrinsecè reddens animam iustam, & sanctam; secùs verò de lumine gloriæ: hoc quippè ea ratione datur; vt simul cum intellectu sit comprincipium visionis beatificæ.

14 *Concludo ergo*, probabilius esse asserere, lumen gloriæ esse qualitatem quandam supernaturalẽ infusã menti nostræ. Ita expressè *Scotus in 1. dist. 17. quæst. 3.* vbi ait: *& si arguitur, quod sine habitu informante potest esse visio perfecta, & fruitio perfectissima. Respondeo: nullus negat cõmuniter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu, & iste ex parte intellectus potest poni correspondere charitati ex parte voluntatis*. Hæc Scotus. Hic curiosè nota, subtilissimum Doctorem non solùm fateri infusionem habitus luminis, sed illam æquiparare videtur impressioni habitus charitatis, quę est de fide. Tu ergo speculare.

15 *Lumen gloriæ*, collocandũ esse in habitu, non obscurè etiam colligitur *ex Scoto quæst. 3. prologi §. sed dubium est &c.* vbi ait: *hic distinguẽdum est de Theologia in se, & vt est habitus perficiens intellectum creatum Beatum. Primo modo est de omnibus scibilibus: quia omnia alia nata sunt sciri virtute primi obiecti Theologici. Secundo modo, dico, quod possibile est, eam esse de quocumq; imo, & de omnibus scibilibus: quia scibilia non sunt infinita; de facto autem non habet limitationem, nisi ex voluntate Dei ostendentis aliquid in essentia sua; & ideo actualiter Theologia eorum est de tot, quot voluntariè Deus ostendit eis in essentia sua*. Hæc Scotus. Quod per habitum Theologicũ intelligat Scotus lumen gloriæ, nullo negotio colligitur ex ipsismet verbis Scoti, in quibus dicit, habitum Theologiæ elicere visionem creaturarum in essentia Diuina; quòcirca cum habitus producens intuitionem crea-

creaturarum non in se ipsis, sed in essentia Dei; alius habitus esse nequit, nisi habitus luminis gloriæ.

# PROPOSITIO SEXTA.

## *Visio beatifica non requirit dispositionem in intellectu, vt recipiatur.*

16 OPpositum docent Ricchardus, & alij. Est tamen Scoti *in 4. dist. 49. quæstione vndecima. & 3. dist. 14. quæstione 2.* Probatur primò: quia dispositiones deseruiunt ad expellendam formam contrariam; hinc, vt introducatur forma substantialis ignis in materia ligni, est necessariò præmittendus calor, per quem expellatur frigus: at visioni beatificæ nullum correspondet contrarium in intellectu, ergo, vt visio recipiatur in intellectu, minimè est necessariũ lumen, quo veluti per dispositionem disponatur intellectus. *Sit altera ratio.* Dispositio necessaria in subiecto ad receptionẽ alicuius formæ non remanet simul perseuerante cum ipsa forma: habet quippè se dispositio ad formam, sicut via ad terminum: at, consecuto termino, cessat via: ergo, recepta forma, in exilium vadit dispositio necessaria ad formæ introductionem: sed lumen gloriæ permanẽtiam habet cum visionẽ beatifica: ergo lumen minimè est dispositio necessaria, & dispositiua intellectus ad receptionem visionis.

17 *Accedat tertia ratio.* In visione beatifica non reperitur prædicatum aliquod, vel ratio formalis aliqua, ratione cuius intellectus indigeat disponi per lumen: ergo &c. Assumptum ostendo enumerando formalitates in visione repertas. Reperitur in primis vitalitas. Secundò, quod sit intellectio. Tertiò, quòd sit supernaturalis; & tandem; quòd sit actus secundus, seù actus vltimus potentiæ: at ex nullo horũ capitum licet colligere intellectũ necessitari dispositione prȩuia, vt valeat recipere visionem beatificam: ergo &c. *In primis,* Aduersarijs non fauet ratio vitalitatis: quippè omnis intellectio est vitalis; cùm tamen ad omnem intellectionem recipiẽdam minimè indigeat intellectus disponi per lumen. *Nec ratio* supernaturalitatis quidquã prodest; etenim ipsis Aduersarijs consentientibus, intellectus immediatè recipit lumen gloriæ, & natura assumpta à Verbo immediatè

immediatè

mediatè subiectauit vnionem hypostaticam, quæ tamen in substãtia supernaturalis est. *Tandem* nõ iuuat Aduersarijs, quòd visio sit actus secundus, & vltimus potentiæ: omnes quippè actus intellectus, & voluntatis sunt actus secundi, & vltimi, & tamen, vt recipiantur in intellectu, & voluntate, non requiritur aliqua dispositio.

18 *Dices* prouenire hoc ex eo, quòd sit vltimus actus supernaturalis. *Contra* quia hoc est dicere, repugnantiam prouenire, quia sunt supernaturales, quòd iam refutatum restat. *Vrgeo argumentum*. Si visio beatifica non foret supernaturalis, proculdubio immediatè reciperetur in intellectu: ergo ratio potissima, in qua fundari possunt Aduersarij, desumenda est ex conceptu supernaturalitatis: at supra vidimus, quòd lumen gloriæ, quãquã supernaturale, tamen immediatè recipitur in intellectu: ergò ratio supernaturalitatis nil fauet Aduersarijs. *Itẽ*. Actus charitatis, qui causatur ab auxilio Dei extrinseco, est actus vltimus supernaturalis, & tamen recipitur immediatè in voluntate denudata omni dispositione supernaturali.

19 *Dices secundò*; necessitatem non desumendam ex eo, quòd visio sit actus vltimus, aut quòd sit supernaturalis, sed ex vtroq; simul. *Contra* quia ex vtroque simul non resultat aliquod prædicatum, aut ratio formalis distincta ab eo, quòd actus ille sit supernaturalis, & vltimus: ergo, si ex parte aliorum prædicatorum non repugnat recipi in intellectu expoliato omni dispositione supernaturali immediatè, neq; repugnabit ex parte vtriusque simul.

*Dices tertiò*. Hoc prouenire, quia talis visio beatifica est perfectissima. *Contra*; nam vnio hypostatica est magis perfecta, & tamen immediatè recipitur: etenim iuxta probabiliorem sententiam in humanitate non fuit præsupposita gratia antecedenter ad vnionem hypostaticam. *Adde*, quòd saltem de possibili non repugnat, vnionem hypostaticam immediatè recipi in natura; ergo idem dicẽdum de visione.

*Quod si quispiam* pro Caietano 1. *parte quęst*. 12. respondeat: principiũ D. Thomæ *omne quod recipit formam supernaturalem, per aliam formam supernaturalem disponi oportet* tantùm intelligi debere de forma supernaturali, quæ generationis supernaturalis est vltimus, non verò de ea, quæ est via ad terminum, sicut est lumen comparatione visionis.

20 *Contra sic argumentor*: lumen gloriæ, & visio non se habent, vt via, & terminus supernaturalis generationis; ergo nulla responsio. Antecedens probatur: siquidem nullus habitus esse habet ratio-

rationem viæ comparatione actus, ad quem efficiendum adiuuat potentiam: cùm habitus, & actus ita comparentur potentiæ, vt actus suapte natura sit natus priùs recipi in potentia, quàm habitus, quia habitus generatur ex frequentatis actibus: at lumen gloriæ duobus modis spectari potest, scilicet sub ratione habitus in communi, & sub ratione talis habitus supernaturalis in particulari; si primo modo consideretur; tantùm de se habet exercere munus hoc, scilicet, inclinare potentiam, vt faciliùs operetur, vel eam adiuuare, vt operetur intensiùs, &c. si secundo modo consideretur habitus, illud idem præstat, quod præstare aptum est, inquantùm habitus in communi; cum hoc discrimine, quòd sub priori ratione inclinat, & adiuuat ad actus etiam in communi, siue naturales, siue supernaturales; sub posteriori tamen consideratione inclinat, & adiuuat determinatè ad actus supernaturales; ergo sinè firmo fundamento cõstituitur lumen in beatis, vt per illud disponatur intellectus ad receptionem visionis beatificæ.

21 *Ipse ergo intellectus* nudè sũptus, potest immediatè recipere visionem. Nam si non potest; vel necessitas talis dispositionis oritur ex parte intellectus præcisè: quia non est suapte natura subiectum idoneum ad visionem Dei recipiendam; vel præcisè ex parte ipsius visionis, quia sinè dispositione diù in intellectu cõseruari nequit. *Primum* dici non potest: aut enim intellectus non esset ex se immediatè capax visionis, quia supernaturalis est; & hoc non: quia hac ratione non esset capax immediatè receptionis luminis; nec alia ratio implicantiæ potest assignari: ergo nulla restat ratio pro necessitate luminis in ordine ad disponendum intellectum. *Item*. Visio non est superioris ordinis, & conditionis, quàm lumen gloriæ; qua ergo ratione valebit intellectus immediatè recipere lumen, & visionem? *Item*. Visio sufficienter conseruatur in genere causæ efficientis ab obiecto beatifico præsente, & ab intellectu solo in genere causæ materialis: ergo, &c. *Nec obijcias*: quantitatem præexigi in substãtia, vt recipiantur in ea, & conseruentur qualitates corporeæ. Ratio quippè est: quia qualitates corporeæ, cũ sint formæ extensæ, recipi nequeunt, nisi in subiecto extenso, vndè necessariò debet præire quantitas, vt per illam extendatur substantia. *Secundò*, quia subiectum proximum, & immediatum qualitatum corporearum est quãtitas, non substantia, sicùt patet in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo sola quantitas caret subiecto; visio verò minimè recipitur proximè in lumine gloriæ, vt dicam infrà n. 25. ergo

iam habemus sufficientem disparitatem.

22 *Petes. Cur ad introductionem formæ vltimæ substantialis requiritur dispositio, & non ad formam istam vltimam accidentalem, & susupernaturalem?*

*Respondetur*, quòd in naturalibus forma substantialis conseruatur proprijs dispositionibus, & sic, vt introducatur, indiget in subiecto dispositionibus medijs, quibus expellātur dispositiones contrariæ; hoc tamen non habet locum in casu nostro. *Dices*, gratiam habitualem sanctificantem requirere in voluntate supernatutalem dispositionem, motum scilicet Fidei, Spei, &c. ergo & in casu nostro. *Respondetur primò*, quòd ex hac instantia sequitur, dispositionem potiùs requiri ex parte intellectus ad recipiendum lumen, quod est habitus, quàm ad visionem, nam motus ille cōuersionis exigitur quidem ad recipiendam habitualem Charitatem; non verò actum meritorium sequentem. *Secundò dico*, quòd prædicta dispositio ad gratiam iustificantem non exigitur ex natura rei, vt scilicet voluntas illius fiat capax gratiæ, vel gratia in ea diù perseueret; cùm illa dispositio non maneat semper, dùm manet homo iustificatus. Requiritur ergo tantùm ex Diuina ordinatione, & id solùm in adultis, quippè sicut propria voluntate à Deo auersi erant; ita propria voluntate (auxiliante Deo) ad ipsum conuertuntur.

23 *Item* contra Caietanum dicentem; visionem esse vltimam formam in generatione supernaturali, & ideò opus illi esse dispositione præ alijs, sicut in ordine naturali forma substantialis, quæ est vltimus terminus generationis per se intentus, dispositiones præuias prærequiri, licèt ipsæ rursùs alias non supponant. *Contrà est*: quòd in generatione naturali non requiritur dispositio præuia titulo formæ vltimæ, seù per se intentæ; sed, vt expellantur contrariæ dispositiones, determineturque materia ad formam substantialem: etenim in conseruari forma, vbi nullum adest contrariū, à nulla dispositione antecedente dependet: cùm omnes dispositiones causentur ab ipsa forma, vt patet in aqua reducente se ad frigiditatem.

24 *Quòd si aliqua alia* dispositio præuia requiratur ad generationem substantialem, ideò est, vt inseruiat operationibus, quas elicitura est forma; ita organizatio disponit materiam formæ viuentium; ergo, cùm visio neutro titulo indigeat dispositione: cùm neque contrarium aliquod expellendum sit in homine decedente in gratia; nec à visione, cùm sit actus vltimus, & nullum habeat contrarium; dicendum est, quòd lumen minimè agat vices dispositionis. Et hoc maximè

ximè patet à paritate gratiæ paruulorum, quam nulla dispositio præcedit, licèt sit terminus generationis substantialis. *Item* falsò supponit Caietanus, lumen esse viam ad visionem ipsam, tanquàm ad vltimum terminum; etenim repugnat, physicum principium motus esse viam ad terminum motus: sed lumen gloriæ est verum physicum principium videndi Deum: ergo implicat, esse viam ad visioné ipsam. *Adde*, quòd nullus habitus est via ad actũ; quinimò est verum principium physicum actus: at lumen gloriæ, vt supra vidimus, est habitus à Deo infusus: ergo non est via ad visionem, imò potiùs physicum principium eius.

## PROPOSITIO SEPTIMA.

### *Lumen gloriæ non requiritur, tanquàm potentia receptiua ipsius visionis.*

25 ITa habet *Scotus in 3. dist.* 14. Probatur primò à paritate aliorum actuum supernaturalium, qui non recipiuntur in habitu supernaturali, à quo fiunt: nam contritio in Schola Thomistarum procedit ab habitu Charitatis, in quo tamen minimè recipitur: etenim, cùm præcedat habitum contritio, vt dispositio in genere causæ materialis, daretur mutua prioritas in eodẽ genere causæ, quod nunquàm admittunt Thomistæ, licèt eam in diuerso genere concedant. *Item*. Absolutum, quod est ratio recipiendi aliquam formam; si per se est, per se potest recipere illam, sicut superficies per se existens potest recipere colorem, ergo, & lumen gloriæ, si per se est receptiuum visionis, quando per se existeret, valeret illam recipere, & consequenter beatificaretur.

26 *Vrgeo argumentum*: Visio necessariò denominat potentiam illam vitalem, in qua recipitur, & à qua producitur: at secundùm Thomistas lumen est vitale: lumen est receptiuum visionis, & ex communi Theologorum, lumen est cõproductiuum visionis: ergo nulla est ratio, cur non dicamus, lumen beatificari, si lumen est receptiuum visionis. *Item*: tunc intellectus non plus reciperet per se visionem, quàm substantia albedinem, quam recipit media quantitate, & consequenter Beatus per accidens beatificaretur eo modo, quo

substantia dicitur per accidens colorata, in quantùm scilicet color primò recipitur in quantitate. *Item:* visio est forma vitalis: ergo connaturali modo recipi non potest, nisi in subiecto vitali immediatè, & per se: ergo lumen gloriæ non potest esse susceptiuum illius. Prima consequentia probatur: nam sicut actio vitalis connaturaliter exigit produci à principio vitali, ita & recipi: ergo non recipitur in lumine. *Item:* visio dicit necessariò respectum ad intellectum; ergo illum respicit, non solùm, vt principium actiuum, sed etiam vt passiuum: cùm actio immanens de communi lege maneat in potentia vitali, à qua producitur. *Item:* intellectus est sufficiens de se, vt recipiat visionem: nam solus intellectus recipit effectum formalem, & primarium visionis: ergo lumen non concurrit passiuè ad visionem. *Sed veritas nostræ Propositionis* magis patebit ex duabus sequentibus propositionibus.

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Visio non recipitur in toto composito integrato ex lumine, & intellectu.*

27 ITa habet *Scotus loco citato:* Est tamen contra Salmaticenses discalceatos referentes alios Thomistas censentes, munus luminis gloriæ non solùm esse adiuuare intellectum actiuè, sed etiam passiuè recipiendo visionem. *Probatur nostra propositio.* Visio in eo subiecto recipitur, cui præstat suum effectum primarium formalem, & per illum mutatur: at visio beata solùm intellectum reddit videntem Deum; ergo in solo intellectu subiectatur. *Adde*, quòd si Deus suo auxilio extrinseco suppleret vices luminis gloriæ, tunc tota visio reciperetur in solo intellectu: ergo signum est, quòd intellectus sit de se sufficiens ad recipiendam visionem: ergo sinè fundamento asseritur, intellectũ esse concausam materialem, & passiuam visionis. *Item.* Lumen, & intellectus distinguuntur realiter, & idem numero accidens nequit naturaliter esse in duobus subiectis realiter distinctis; ergo visio non recipitur æquè primò, & immediatè in lumine, & in intellectu. *Item.* Visio educitur de potentia materiæ: ergo cùm vnum accidens nequeat educi de potentia duplicis materiæ;

teriæ; sequitur, quòd lumen nõ sit materia visionis. *Item.* Visio est vnum ens per se, at verò constitutum illud est ens per accidens; vnum autem per accidens nequit esse subiectum illius, quod est vnum per se: ergo.

28 *Nec responderi potest*, quòd, sicut visio emanat in genere causæ efficientis à toto coniuncto ex intellectu, & lumine; ita in genere causæ materialis expostulat conseruari in toto coniuncto. *Etenim contra hoc est*: quia non currit paritas de visione comparata ad principium actiuum, & ad subiectum receptiuũ: non enim tantam vnitatem exigit forma in efficiente, quantam in subiecto recipiente, sicut patet inductione facta in omnibus: vnius enim effectus possunt esse plures causæ, dummodò tamen sint vna causa totalis vnitate ordinis, vt optimè notauit *Scotus dist. 3. primi, quæstione 7. sub litera N.* cæterùm subiectum expostulat per se vnum vnitate simplicis entitatis eiusdem generis; quarè, sicut visio est forma simpliciter indiuisibilis, & vna tantùm per se numero; ita præcisè afficit intellectum, quatenus est per se vnus numero, atque adeò, estò de facto visio supponat intellectum informatum lumine gloriæ; ipsa tamen minimè agnoscit lumen, vt sui causam materialem receptiuam.

# PROPOSITIO NONA.

## *Visio Beata immediatè recipitur in intellectu.*

29 ITa docet *Scotus in 4. dist. 49. quæst. 11. & in 3. dist. 14. quæst. 2.* Probatur primò nostra propositio rationibus, quibus fuerũt fundatæ suprapositæ propositiones. Illis adde, quòd visio est actus vitalis, connaturaliter petens tribuere suum effectum cognoscendi, & videndi subiecto capaci: sed nec lumen gloriæ, nec species impressa est capax effectus formalis cognoscendi, & videndi, sed solus intellectus: quia ipse est perceptiuus, vitalis, & cognoscitiuus; non verò lumen, nec species: ergo visio solùm exigit, vt subiectum receptiuum immediatùm, intellectum. *Confirmatur*: si Deus concurreret auxilio speciali ad visionem, supplendo lumen intrinsecum; visio non reciperetur in omnipotẽtia, vel auxilio supplente, sed in intellectu: ergo de facto in solo intellectu recipitur proximè, & non in lumine. Consequentia probatur: quia omnipotentia suppleret illud, quod

nunc

nunc præstat lumen respectu visionis: ergo, cùm non suppleat concursum passiuum, idem dicendum de lumine.

30 *Item*. Visio non petit recipi in subiecto supernaturali: ergo non est, cur non recipiatur proximè in intellectu, qui est principium vitale, & cognoscitiuum. Antecedens probatur: quia vel id peteret, quia est actus vitalis, vel quia supernaturalis. *Non primum*: quia, vt sic exigit subiectū vitale, cui effectum formalem actu videndi tribuere possit (omnis enim forma respicit ex natura sua subiectum capax sui effectus formalis) sed lumen gloriæ non est vitale, nec capax effectus formalis visionis: ergo, &c. *Non secundum*: tùm quia benè potest esse supernaturalis absq; eo, quòd petat subiectum supernaturale, vt patet ex supradictis. Tùm etiam, quia vnio hypostatica, licèt supernaturalis sit, immediatè est in humanitate. Tùm etiam, quia habitus supernaturales immediatè recipiuntur in anima, vel potentijs naturalibus; similiter gratia habitualis; & character: ergo supernaturalitas non petit subiectum supernaturale. Tandem: actus supernaturales, quibus peccator disponitur ad gratiam habitualem, in potentia naturali recipitur: cùm non sit habitus supernus illos eliciens.

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Intellectus, vt est potentia animæ, est principium actiuum.*

31 PRobatur primò ex *Augustino 9 de Trinitate*, ita dicente: *Liquidò tenendum est, quòd omnis res, quam cognoscimus, congeneret in nobis notitiam suam: ab vtroque enim paritur notitia, scilicet à cognoscente, & cognito*. Adde, quòd productio intellectionis dicitur actio, & non factio: ergo intellectio est actiuè ab intellectu. Consequentia probatur: illa productio dicitur factio, & non actio, quæ habet terminum, qui non recipitur in eo, à quo producitur: ergo cùm intellectio dicatur actio, recipiaturquè in intellectu, dicendum, quòd intellectus se habeat actiuè. Pro ista propositione legatur *Pater Faventinus in 3. dist. 32. cap. 2.* vbi multa loca Scoti ad hoc propositum. Legatur etiam *noster Pater Smising. tractatu 2. disput. 6. quæst. 9. numero 237.*

Ex

*Ex quo colligendum est*, quòd non implicat, Beatum actiuè concurrere ad visionem beatificam. Probatur ex eo, quòd nulla adsit implicantia. Item, quia cæteræ operationes intellectus fiunt ab intellectu: ergo, & visio beatifica ex natura sua est producibilis ab intellectu: quippè conuenit vniuocè in ratione intellectionis cum cæteris visionibus.

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## *Intellectus de facto concurrit ad Visionem beatam.*

32 PRobant nonnulli: quia visio beatifica ex natura sua est, actio vitalis, & immanens; de ratione autem actionis vitalis communiter asseritur esse, quòd à principio vitali habeat esse, sicut de ratione actionis immanentis est, quòd fit à principio, in quo recipitur; cùm ergo visio beatifica recipiatur in intellectu; ex sua intrinseca ratione habebit, vt actiuè ab intellectu producatur. *Ratio hæc* minimè demonstratiua est: quippè visio beatifica non consistit in actione, sed in qualitate. *Item*: si illa qualitas, seù visio à solo Deo produceretur, vniretur què intellectui; intellectus redderetur intelligens obiectum, & operans vitaliter circa illud per istã qualitatem receptam: ergo, si per conceptum intrinsecum non repugnat visioni beatificæ produci immediatè à Deo; clarescit, quòd ratio adducta minimè rem demonstrat.

33 *Probatur ergo nostra propositio* ex communi doctrina Theologorum, scilicet quòd anima in statu beatifico operetur modo sibi connaturali: est enim inconueniens, vt Deus in illo statu, miraculosè semper operetur. Hac ratione in illo statu ponimus habitum luminis gloriæ, & charitatis: quia quamuis actus possit fieri absque habitibus; nõ tamen connaturali modo. Hoc supposito; ita probo Conclusionem: Visio beatifica est actio vitalis, & immanens: vndè quamuìs de essentiali eius ratione minimè sit actù produci ab intellectu, hoc tamen est illi connaturale.

34 *Petes: vtrùm contraria sententia sit probabilis?* Putamus, eam sententiam non esse dignam aliqua censura. *Suadetur primò*, quia pluribus Authoribus classicis placuit contraria sententia, & ab alijs iudicata est probabilis. *Secundò*; quia argumenta in cõtrarium faciliter soluuntur. *Dices*, in Concilio Viennensi definiri,

niri, necessarium esse de facto lumen gloriæ Beatis: at non esset necessarium, nisi intellectus Beati actiuè concurreret ad visionem; ergo de fide est, quòd actiuè concurrat. *Huic argumento* ad plenum fuit responsum supra, ostendendo, non esse de fide determinatum, in quo præcisè cōsistat conceptus luminis gloriæ. *Replicabis*, quòd in doctrina Scoti lumen non est necessarium ad receptionem visionis: ergo solùm est necessarium ad adiuuandam actiuitatem intellectus. *Etiam huic difficultati satisfecimus supra*; nè ergo dicta repetantur, videantur ibi. *Dices*, quòd *in 6. synodo generali sessione* 15. definitur, dari in Christo duas operationes. *Respondetur*, Concilium tantùm definire, quòd in Christo sit creata operatio, qua verè, & propriè intelligat; ita vt non intelligat per increatam intellectionem Dei. Non tamen definit, vtrùm nè talis operatio sit actiuè ab intellectu animæ Christi. *Vel dic*, quòd Concilium locutum fuit de operationibus liberis, quibus meruit in hac vita; non ergo sermonem habuit Concilium de visione ipsa beatifica.

35 *Replicabis*, quòd in *Tridentino sessione 6. Can. 4.* definitur, hominem in sua iustificatione non se habere merè passiuè, sed operari. *Respondetur*, verum esse hoc; non tamen indè sequitur, quòd Beatus actiuè concurrat. *Ratio est*: quia in via disponimur ad iustificationem per actus liberos, quod fieri non potest absque eo, quod potentia actiuè concurrat ad illos; at in patria actus beatificus est necessarius. *Dices*: In Sacra Scriptura asseritur, beatitudinē positā esse in visione beatifica iuxta illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*: sed videre nil aliud est, quam producere visionem: ergo intellectus se habet actiuè. *Vrgetur ratio*: quia si actiuè non concurreret, impropriè videret Deū, sicut impropriè dicitur ambulare, qui propria virtute actiua non mouetur. *Respondetur*, argumentum fundari in doctrina falsa; supponit enim, quòd intelligere consistat in actione; hoc tamen nos negamus. *Ad exemplum dico*, non esse ad propositum: nam actiones potentiæ loco motiuæ intrinsecè habent esse efficienter à tali potentia; at visio, etsi connaturaliter expostulet produci ab intellectu, tamen supernaturaliter posset produci a Deo.

PRO-

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Lumen gloriæ non est vitalis potentia ad visionem beatam.*

36 PRobatur: nam potentia vitalis ita intrinseca est naturæ, cuius est potentia, & quæ per illam operatur, vt ab illa, tanquàm à radice, dimanet, vt passio: at lumen gloriæ non ita se habet respectù Angeli, vel animæ operantis per illud: ergo lumen gloriæ minimè habet rationē potētiæ vitalis. Maior patet: quia potētia vitalis est principiū proximum operādi vitaliter, & sic à radice vitę debet esse. Minor etiā de se patet: est enim lumen gloriæ habitus supernaturalis infusus intellectui; ergo minimè emanat ab anima, vel ab Angelo.

*Non me latet* veterum Thomistarum doctrina ponentium in ordine supernaturali potentias vitales, quæ sint principia proximè operādi, & radicem, à qua dimanent, proportione quadam ad ordinē naturæ; ita vt, quemadmodum in naturalibus anima est radix, & essentia, à qua dimanant naturales potentiæ vitales, intellectus scilicet, & voluntas; ita in supernaturalibus gratia habitualis est radix, & natura, siue essentia supernaturalis, à qua dimanat fides ex parte intellectus, & spes, & Charitas ex parte voluntatis, tanquàm potentiæ vitales eius in ordine supernaturali; vndè consequenter, gratiam ponunt subiectatam in essentia animæ; lumen autem gloriæ, & fidem in intellectu; Spem autem, & Charitatem in voluntate.

37 *Doctrinam hanc ita impugno.* Primò: quia gratia non est, quæ operatur per lumen gloriæ, aut per Charitatem etiam in ordine supernaturali; ergo lumen gloriæ non est potentia vitalis in ordine supernaturali, nec gratia natura, & radix vitæ supernaturalis. Consequentia patet: nam radix est, quæ operatur per vitalem potentiam. Antecedens probatur: quia anima est principium *quod*, & producit visionem, & intelligit per illam, non gratia habitualis, vt de se patet; intellectus autem est principium proximum, & potentia vitalis, vtpotè, qui dimanat à principio, quod intelligit. *Secundò*: potentia vitalis, & recipit cognitionem, & intelligit per illam: at lumen gloriæ neu-

Ooo trum

trum horum habet: ergo nequit esse potentia vitalis. Maior constat à ratione ipsa vitalis potentiæ, eò quòd immanenter operatur, operationē ipsam recipit, & per illam tenet obiectum, circa quod operatur. *Sed hæc veritas plus constabit ex sequenti propositione.*

# PROPOSITIO TERTIADECIMA.

## *Lumen gloriæ, in rigore loquendo, nullam habet rationem potentiæ, sed habitus; tamen largo modo, & trascendentaliter dici potest potentia.*

38 PRobatur ex discrimine, quod versatur inter potentiam, & habitum iuxta notationem *Aristotelis 2. Ethicorum cap. 5. & lib. 5. cap. 10.* vt obseruat *Suarez disput. 42. Metaphysices sectione 4. num 8. & disp. 43. sectione 3. num. 3.* quòd scilicet potentia immediatè supponit substantiam, quæ per eam operatur, reddens illam aptam operari; habitus autem non sic, sed immediatè supponit potentiam, quam facilitat, & perficit, & aliquando auget, & eleuat, & determinat substantiam; substātiam verò non sic, nisi mediatè, media scilicet potentia: at gloriæ lumen non supponit immediatè substantiam, quæ per ipsam operatur, sed potentiam intellectiuam, quam eleuat, & quasi determinat ad supernaturalem cognitionem; ergo lumen gloriæ non est potentia, sed habitus.

*Dices*, non supponere integram, & perfectam potentiam intellectiuam, sicut habitus naturalis supponit: hic enim solùm dat faciliter, promptè, & delectabiliter operari; lumen verò gloriæ est simpliciter complens ipsam intellectiuam potentiam, & reddens animam completè, & perfectè potentem ad visionem beatam, quod ante infusionem non habebat; quarè etiamsi ex discrimine assignato colligatur, lumen gloriæ non esse completam potentiam; non tamen potest colligi, non esse saltem potētiam incompletam. *Sed hoc totum* solùm probat nostram vltimam partem propositionis. Ex cuius probatione etiam prima pars propositionis confirmatur, quòd scilicet lumen

men gloriæ sit largo modo, seù transcendentaliter potentia; nō tamen rigorosè, & propriè; in quo sensu dicitur potentia virtus productiua, vt species intelligibilis, & habitus naturalis, aliaquè multa, quæ vim aliquā producendi obtinent. Huius potentię acceptionis meminit *Aristoteles 9. Metaphysices cap.* 5. distinguens illam a potentia rigorosa, & propria: ait enim, alias esse potentias à natura, sensus, vt sensus, alias ex consuetudine, vt arte canendi, & scribendi.

39 *Concludimus ergo*, quòd, licèt lumen gloriæ compleat potentiam intellectiuam, non tamen complet illam in ratione potentiæ rigorosè sumptæ, sed largo modo, & in ratione principij productiui, quo modo etiam complet auxilium supernaturale; imò & species impressa, quæ nec datur ad simpliciter operandum. Sicut ergo species solùm complet potentiam in ratione principij productiui, supponens tamen virtutem partialem in potentia, ita philosophandum de lumine. *Hoc sic probatur*: nam si lumen gloriæ compleret intellectum in ratione potentiæ rigorosè, & propriè; compleret quidem non solùm in ratione productiuæ, sed etiam in ratione cognoscitiuæ, seù operatiuæ: at solùm complet in ratione productiui, non operatiui; ergo non complet illum in ratione potentiæ rigorosè, & propriè, sed transcendentaliter dumtaxat. Consequentia est clara. Minor est euidens: quoniam ad cognoscendum solus intellectus concurrit. Maior probatur: quia si ita esset, non solùm compleret in ratione potentiæ, vt sic, sed etiam in ratione talis potentiæ: at in ratione talis potentiæ est operatiuus, seù cognoscitiuus: ergo, &c. *Confirmatur primò*: nam intellectus in ratione productiui conuenit cum potentia trāscendentali, & in ratione operatiui differt ab ea; at solùm in ratione productiui indiget adiutorio luminis: ergo solùm in ratione transcendentalis potentiæ, completur per lumen. *Confirmatur secundò*: nam aliàs species intelligibilis esset potentia rigorosa: cùm intellectum compleat.



# PROPOSITIO QVARTADECIMA.

## *Lumen gloriæ non est totalis causa visionis beatificæ.*

40 Est contra Thomistas, & *Aluarez disp. 64. Cabreram*, & alios multos asserentes, intellectum solùm remotè concurrere ad visionem, quatenus recipit lumen, quod sit tota, & immediata ratio agendi, & producendi visionē. *Probatur nostra propositio*: quia Patres Tridētini damnarunt placitum Hęreticorum: at Hæretici non negabant gratiam, quæ est in anima, esse operatiuam; quinimò putabant Hæretici, gratiam efficacem totam rem agere: ergo Patribus non sufficit, quòd liberum arbitrium dicatur agere, quia agat gratia: nam hoc concedebant Hæretici; ergo Patres volunt, quòd gratia non sit causa totalis. Quod assero de gratia, volo dictum de lumine gloriæ. *Vrgeo difficultatem*. Actus pius est liber, & meritorius: ergo voluntas actiuè eum producit. Consequentia inde patet, quòd ratio libertatis stat in posse agere, & non agere. *Item*. Si voluntas diceretur agere, pro quanto agit Charitas, quæ est in voluntate; diceretur agens, pro quanto in se substentaret gratiam, quæ ageret, & se haberet voluntas, veluti materia, in se tenens potentiam appetitiuam, & sensitiuam; hinc infero, quòd, sicut materia nec appetit, nec sentit, licèt in se subiectiuè habeat potentiam appetitiuam, & sensitiuam; idem dicendum foret de voluntate, & consequenter respectù actuum piorum minimè foret voluntas digna laude, vel vituperio.

41 *Vrgeo assumptum*: si gratia foret separata ab anima, & data hypothesi, illa gratia operaretur aliquod; tunc ratione talis operationis, nec voluntas foret digna laude, vel vituperio; ergo, si dùm gratia est in voluntate, sola gratia agit, erit verum dicere, quòd nunquàm voluntas mereatur. Consequentiam probo: in sententia, quam impugnamus, voluntas habens in se gratiam non operatur, sed sola gratia agit: ergo, si quando gratia separata ab anima, operaretur aliquod, tunc anima ob tale opus, nec mereretur, nec demereretur; dicendum, quòd nec etiam mereatur, dùm gratia existens in anima, agit. Consequen-

quẽtia sit clara ex eo, quòd anima, dum habet gratiam non plus agit, quàm dum gratia separata ageret. *Item.* Ad hoc, ut aliquod dicatur uiuens uita intentionali, nõ sufficit, quòd habeat sibi coniunctum principiũ effectiuum uitæ intentionalis: quippè etiam si subsistentia Verbi Diuini habeat sibi hypostaticè unitam potentiam intellectiuam; non tamen dicitur uiuere subsistentia illa diuina actibus illis uitalibus, quibus dicitur uiuere potentia intellectiua: ergo cùm potentiæ animæ dicantur uiuere uita intentionali; est necessarium dicere, quòd solum lumen uon sit integra, & totalis causa uisionis beatificæ.

42 *Addo*, quòd ex ea sententia sequerentur nonnulla inconueniẽtia penetrata à *Scoto in primo dist. 17. qu. 2. littera E.* Primũ est, quòd lumen gloriæ esset potentia, & non habitus. Arguo sic: quo quis potest simpliciter operari, illud est potentia: sed habitus supernaturalis per te est huiusmodi: igitur habitus supernaturalis erit potentia. Maior patet: quia potentia est, qua simpliciter, & primò possumus. *Item* ex hoc sequitur vlteriùs, quòd non plus erit volũtas bona, si operetur per habitũ charitatis, quàm lignum, si agit per calorem sibi accidentaliter inhærentẽ: Nam sicut ex hoc nulla conuenit actio ligno per formam ligni, sed tantum quia reperitur in ipso ignis; ita etiam videtur, quòd actio illa, quæ competeret charitati, vt principali principio, nullo modo competeret voluntati, vt voluntas est. *Ex hoc sequitur* vlteriùs, quòd sicut calor, si esset separatus, æquè calefaceret; ita charitas, si esset separata, æquè ageret: nam omnis forma, quæ est principiũ totale agendi, vt est in subiecto; si per se est, potest per se operari, & ita sequitur propositum nostrum, scilicet quòd habitus foret potentia.

43 *Præterea*: operatio non elicitur à potentia, cuius principium actiuum est merè naturale, & agens per modum naturæ: sed habitus, cum non sit formaliter voluntas, & consequenter nec formaliter liber, si est principiũ actiuum, est merè naturale; ergo operatio eius non erit libera, & ita nullum velle erit liberum, si eliciatur ab habitu, vt à vitali principio actiuo. *Præterea*: tunc homo habens semel charitatem, nunquam posset peccare mortaliter, quod est inconueniens. Probatur consequentia: quia habens formam aliquam actiuam sibi prædominantem nunquam potest moueri contra inclinationem illius formæ prædominantis, sicut nunquam corpus mixtum graue potest naturaliter ascendere cõtra inclinationem terræ prædominantis: sed charitas, si est principium actiuum totale, prædominatur

ipsi voluntati, quæ non potest in actum illum; ergo voluntas sẽper sequeretur inclinationem charitatis in agendo, & iam nũquam peccabit. *hinc fit.*

## PROPOSITIO QVINTADECIMA:

### *Intellectus ad visionem beatificam concurrit per virtutem suam propriam.*

44 PRobàtur: si intellectus operaretur per virtutem non sibi innatam, foret mutatus intrinsecè: hoc non est dicendum; ergo fatendum, intellectum cõcurrere per virtutem sibi innatã. Sequelam ostendo eo discursu, quo *Scotus in primo dist. 3. quæst. 3. in primo argumento* probat cõtra D. Thomam, quidditatem rei materialis non esse obiectum adæquatum intellectus. Ita discurrit Scotus. Intellectus intelligit immaterialia: ergo, cùm potentia nequeat ferri in illud, quod non continetur sub obiecto adæquato, dicendum, obiectum intellectus non esse quidditatem rei materialis. Scotus huic argumenro respondet in fauorem Sancti Thomæ, dicendo, intellectum eleuari ad cognitionem rei immaterialis per lumen gloriæ. Contra quam responsionem ita insurgit idem Scotus in fauorem veritatis, dicendo, quòd si eleuaretur potentia extra suum obiectũ adæquatum, mutaretur intrinsecè potentia. Ego hac vtens doctrina Scoti, hoc pacto probo nostrum assumptum. Actus est magis naturalis potentiæ, quàm obiectum; ergo, si dicit Scotus, quòd foret mutata potentia, quando per habitum eleuaretur ad obiectum extra suum obiectum adæquatum, concluditur, mutari potentiam, si per habitũ eleuetur ad actum vltrà, seu supra vires natiuas: ergo, cùm non sit dicendum, potentiam intrinsecè mutari, concludendum est, quòd uirtutes intellectus ad actum supernaturalem sint intellectui naturales, & non superadditæ miraculosè. *Item* si intellectus non haberet actiuitatẽ naturalem ad cognitionem supernaturalem; sequeretur, quòd in tali cognitione se haberet, vt aqua per calorem ignis eleuata ad calefaciendum; consequens est falsum: quia aqua, ut sic, est merè instrumentum applicans actiua passiuis. Consequentia patet: quia aqua nullam actiuitatẽ habet respectũ illius actus, nisi

nisi eleuetur à calore: ergo, si intellectus non habet virtutem de se; idem foret de intellectu respectù visionis, ac de aqua respectù calefactionis.

45 ***Petes: An intellectus concurrat solùm ad vitalitatem actus, vel etiam præstet influxum ad supernaturalitatem actus?***

*Respondeo*, quòd in actu non sunt duæ formalitates, quarum vna fiat ab intellectu, & alia à lumine: nam vitalitas ipsa, quæ est in actu visionis, minimè est naturalis, & ideò intellectus se solo nequit producere illam vitalitatem: hinc tàm ad uitalitatem, quàm ad supernaturalitatem concurrit utrumque principium. *Obseruo tamen*, quòd uisio dicitur uitalis in ordine ad intellectu n, & non in ordine ad lumen, quia esse actionem uitalem, dicit procedere à principio intrinseco. Dicitur supernaturalis in ordine ad lumen, & non in ordine ad intellectum; hoc est dicere, quòd uisio dicatur supernaturalis; quia concurrit lumen, non uerò, quia concurrit intellectus. *Quòd verò intellectus actiuè* se habeat tàm ad uitalitatem, quàm ad supernaturalitatem, *ita ostendo*: gradus genericus, & specificus sunt idem realiter: ergo producens unum, producit alium: ergo si intellectus producit uitalitatem uisionis, producit uisionem, & consequenter supernaturalitatem. *Adde*; quòd licèt uitalitas sit de se communis ad naturalitatem, & supernaturalitatem; tamen uitalitas contracta per supernaturalitatem, debet necessariò esse supernaturalis: sicut estò substantia de se sit indifferens ad corporeitatem, & spiritualitatem; tamen substantia contracta ad esse Angeli, uerbi gratia, est necessariò spiritualis: ergo benè sequitur, quòd producens uitalitatem uisionis beatificæ, etiam producat supernaturalitatem, cùm illa uitalitas non possit non esse supernaturalis.

46 *Quæ subsequuntur argumenta*, probant intellectum actiuè non se habere in uisionem beatificam. *Primum argumentum* desumitur ex Scoto, qui *quæstione prima prologi* occurrens illi difficultati: omni potentiæ passiuæ naturali correspondet potentia actiua naturalis; respondet, dicendo, quòd illa propositio est falsa in quibusdam, scilicet, quando natura propter suam excellentiam ordinatur naturaliter ad recipiendam perfectionem, ita eminentem, quòd non possit subesse causalitati agentis naturalis; sub infero: ergo, cùm intellectus in ordine ad uisionem beatificam sit ordinatus ad perfectionem excellentissimam; dicendum, quòd intellectus nullam habeat actiuitatem in uisionem beatificam. *Respondeo*, mentem Scoti esse, ut colligitur ex ibi ab eo dictis, quòd uisioni nō

e. r.

correspondeat in natura principium totale eiusdem; admittit tamen principium partiale, diminutum, & incompletum.

47 *Secundum argumentum* desumitur etiam ex *Scoto in 3. dist. 13.* Vnius actus per se est unum principium per se, sed intellectus, & lumen non sunt unum per se: ergo intellectio erit à solo lumine. *Respondetur*, concedendo id, quod dicitur de Scoto. *Cùm autem* replicatur, intellectum, & lumen non esse unum per se. *Dico*, quòd si illa considerentur in ratione principij, sunt vnum per se; hinc communiter conceditur, speciem impressam, & intellectũ esse vnum per se in ratione principij.

48 *Tertium argumentum*. Si intellectus concurreret, hoc foret dicendum ob vitalitatem actus: sed vitalitas non potest dari ab intellectu: ergo intellectus non concurrit. Minorem probo: vitalitas in visione beatifica est supernaturalis: at intellectus nequit producere supernaturale; ergo nec vitalitatem. *Pro responsione*, in primis dico, quòd si valeret discursus iste, inde sequeretur ex specie, & obiecto non pari notitiam. Probo: totum repertum in visione est vitale; at vitalitatem dare non potest species: ergo species non concurrit. *Item*. Sequeretur, visionem non produci à lumine gloriæ. Probo hoc: si lumen efficeret, maximè esset ratione supernaturalitatis: at non potest dare supernaturalitatem: ergo. Minorem probo: supernaturalitas actus est vitalis: ergo, cùm lumen nequeat dare vitalitatem, nec etiam præstabit supernaturalitatem, & consequenter sequitur, quòd visio nullo modo habeat esse à lumine, quod dici repugnat: ergo ruit ille discursus. *Ad argumentum ergo dico*, quòd ex intellectu, & lumine integratur vnum principium totale, & consequenter totũ, quod producitur à lumine, etiam habet esse ab intellectu, & è contra, eo pacto, quo ex specie impressa, & potentia coalescit vnum principium totale; vndè omnis formalitas visionis est à lumine, & ab intellectu.

49 *Res declaratur*. Actus contritionis est supernaturalis, & tamen liberum arbitrium, quod est ordinis naturalis concurrit ad illum actum, vt habetur ex *Tridentino sessione 6. Canone 4. si quis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum; & excitatum non concurrere actiuè, sed merè passiuè se habere, Anathema sit*; ergo etiam virtus intellectus poterit concurrere ad visionem supernaturalem. *Item*. Diuus Paulus ad *Corinthios 15.* ita dicit: *Abundantiùs illis omnibus laboraui, non ego solus, sed gratia Dei mecum*. Hinc colligendum, quòd ad opus supernaturale concurrunt gratia, & Paulus, scilicet virtus natiua Pauli; ergo

ergò idem de virtute intellectus ad visionem beatificam. *Item*. Habitus Fidei, Spei, & Charitatis, etsi non sint vitales, tamen cum potentia concurrunt; & comproducunt actus vitales; ergo virtus natiua intellectus, licèt non habeat supernaturalitatem, tamen ex eo, quòd veluti causa partialis coniũgatur cum alia causa partiali, scilicet cum lumine gloriæ, valebit producere visionem; sicut etiam species impressa, quamquam non sit vitalis, tamen, quia coniungitur principio vitali, scilicet intellectui, vel potentiæ visiuæ, potest ex illis, tanquàm ex duobus integrantibus vnam causam totalem, produci notitia vitalis.

50 *Quartum argumentum*: Intellectus non operatur visionem beatificam, nisi vt eleuatus: ergo lumen eleuans est tota ratio agendi. *Negatur consequentia.*

*Quintum argumentum*. Intellectus nequit concurrere ad productionem habituum supernaturalium; ergo nec etiam ad visionem, cùm illa sit supernaturalis. *Vrgeo rationem*. Habitus infusus non est plus supernaturalis, quàm sit visio beatifica: ergo si intellectus nequit producere habitum supernaturalem, non valebit attingere actiuè visionem beatificam. *Concesso antecedente*, nego paritatem. *Primò*: quia satis probabile est, quòd habitus illi habeant esse per creationem, visio verò non ita. *Secundò dico*, quòd habitus sunt supernaturales simpliciter, & habent rationes actus primi; actus verò, seù visio beatifica non ita; non ergo tenet paritas.

51 *Sextum argumentum*. Naturalis virtus intellectus est inferior effectui supernaturali: ergo intellectus sua natiua virtute, minimè erit potens attingere visionem beatificam. *Vrgeo difficultatem*. Effectus supernaturalis necessariò petit principium supernaturale; ergo, cùm virtus intellectus sit naturalis, ab intellectu non erit visio supernaturalis. *Occurrit*, quòd causa debet continere effectum: ergo cùm virtus naturalis nequeat continere effectum supernaturalem; dicendum, intellectum non producere visionem supernaturalem sua natiua virtute. *Respondetur*, concedendo uirtutem intellectus esse de se inferiorem effectui supernaturali, & improportionatam; tamen si illa uirtus consideretur, ut eleuata, est falsum, quòd assumitur: quia hoc pacto uirtus intellectus, nec est inferior, nec improportionata, quinimò uerè continet uirtualiter uisionem.

52 *Septimum argumentum*. Si intellectus haberet de se virtutem diminutam, incompletam, & partialem ad visionem beatificam producendam; lumen gloriæ foret naturaliter debitum intellectui; quinimò intellectus

restaret violentatus, quando illi denegaretur lumen gloriæ. Probatur hoc: virtus incompleta, quia incompleta, postulat suapte natura compleri; ergo si intellectus habet de se virtutem incompletam, talis virtus expostulabit naturaliter cõpleri per lumen; hoc autem esse absurdum, negabit nemo: quippè nullum supernaturale est naturaliter debitum. *Respondeo*, virtutem naturalem esse in duplici differentia; vna dicitur talis, quæ potest reduci ad actum per concursum eiusdem ordinis. Alia est, quæ postulat concursum alterius ordinis, scilicèt requirit concursum, & auxilium ordinis supernaturalis. *Nunc ad argumentum dico*, discursum valere de potentia in primo sensu, non verò de potentia in secundo sensu. *Adde*, quòd ista potentia, de qua loquimur, debet potiori iure vocitari obedientialis, quàm naturalis: quippè talis potentia stat in eo, quòd si Deus velit eleuare illam, poterit, stante illa eleuatione, producere effectum supernaturalem: non ergo talis potentia est virtus petens naturaliter compleri. Dicitur ergo naturalis illa virtus intellectus, pro quanto, si Deo placuerit eleuare virtutem natiuam intellectus, erit promptus intellectus ad influendum in visionem beatificam.

## PROPOSITIO SEXTADECIMA.

*Per Dei absolutam potentiam sinè lumine gloriæ, Deo supplente concursum luminis, potest intellectus creatus actiuè elicere visionem Diuinæ essentiæ præsentatæ in ratione obiecti.*

53 EST hæc propositio contra *Caietanum prima parte qu. 12. articulo 5. Ferrariensem 3. contra gentes cap. 53. Sotum in 4. dist. 49. quæst. 2. artic. 4. Bannes prima parte quæst. 12. artic. 5.* Puto tamen, nobis fauere *Sanctum Thomam in 4. disput. 49. quæst. 2. articulo 7.* vbi asserit, visionem beatificam posse diuinitùs communicari homini permanenti in solis dispositionibus viæ, carentique lumine gloriæ. *Et de Veritate quæst. 10. artic. 12.* licèt *Capreolus in 4. dist. 49. quæst. 4.* credat, Diuum Thomam in Summa mutasse sententiam. Est etiam *Scoti apertissimè in hac quæstione, &c.*

*& in 4. dist. 49. qu. 11. litera F. & in primo dist. 3. quæst. 3. in principio arguentis contra Sanctum Thomam, Durandi in 4. dist. 49. quæst. 2. articulo 7. & omnium ferè Modernorum, vtpotè Gregorij de Valentia in prima parte, quæst. 12. puncto 3, Molinæ ibidem disput. 1. articulo 1. Vasquez quæst. 12. articulo 5. disput. 46. cap. 1. & 2.*

54 *Probatur propositio.* Lumen gloriæ non est tota virtus, & potentia, qua Beati eliciunt visionem beatificam, vt etiam Thomistæ fatentur, sed intellectus Beati influit etiam; cùm visio beatifica sit operatio vitalis; ergo sicut intellectus cum influxu luminis potest elicere visionem beatam; ita, supplente Deo influxum luminis, poterit illam elicere. *Explicatur ratio*: quidquid Deus efficit medijs causis secundis in genere causæ efficientis, potest se solo efficere: sed lumen gloriæ in genere causæ efficientis concurrit ad visionem producendam: igitur potest se solo Deus producere, seù efficere, quod efficit mediante lumine. Maior propositio non videtur neganda: cùm illam concedant nostri Magistri; vndè *Sanctus Thomas quæst. 105. articulo 2. in initio corporis*, ita habet: *Erroneum est dicere, Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque causam creatam. Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. §. in prima questione, &c. vers. si aliqua forma, &c.* legit ita: *Quidquid potest Deus per causam efficientem mediam, potest etiam immediatè, & hoc in quocumque, quod est receptiuum illius.* Okam *quolibeto 6. conclusione prima*, ita dicit: *hæc est propositio famosa Theologorum: Quidquid Deus producit mediantibus causis secundis, potest immediatè sinè illis producere, & conseruare.* Patet ergo ex communi voto nostrorum Magistrorum nostra propositio. *Fauet nobis*, quòd Deus potest supplere speciem impressam secundùm Thomistas dicentes, non dari speciem impressam, sed essentiam gerere vices speciei: ergo etiam poterit gerere vices luminis.

55 *Dices*, non valere paritatem: quippè de ratione luminis est inhærere, non ita tamen de specie. Huius rei ratio est: quia species se tenet ex parte obiecti, & lumen ex parte potentiæ. *Contra*: nam species est accidens, sicut, & lumen: ergo inhærentia illis competit æqualiter. *Dices ex Ferrariensi tertio contra Gentiles cap. 54. ad quartum Scoti, & cum Soto in 4. dist. 49. quæst. 2. articulo 4.* Deum vtique valere producere se solo visionem, quinimò & omnem alium effectum; tamen non poterit Deus facere, vt causa secunda agat sinè principio, & forma efficiendi. *Præsens discursus* supponit, quòd lumen gloriæ sit tota ratio agendi intellectui. Fallitur tamen: quia nos supra oppositum pro-

bauimus, & vidimus nu.44. intellectum habere de se virtutem partialem sibi intrinsecam, & propriam. *Dices cum Cabrera*, quòd lumen vltrà efficere, etiam habet disponere intellectum: cũ ergo Deus nequeat supplere vices dispositionis, repugnat ei supplere lumen. *Contrà*; quia supra probaui, lumen non disponere. *Adde*, quòd dato gratis assumpto à Cabrera, nil concluditur: vtpotè nondùm probauit, Deum non posse supplere dispositionem: cùm oppositum sit verum; hinc dicunt Philosophi, Deum posse introducere formã in materiam sinè præuijs dispositionibus. *Item*: vel visio exigit essentialiter lumen gloriæ, quia vitalis est, vel quia supernaturalis. Non primum: quia ad hoc illis sufficit virtus intellectus; nõ secundùm; hoc ostendit subsequens nostra ratio.

56 *Pro cuius pleniori intelligentiâ* suppono, minimè esse de ratione actus vitalis, quòd omnia ipsius productiua sint intrinseca, & vitalia: nam ad visionem quamcumque influxum præstant obiectum, & Deus, & tamen res indubitata est, quòd non sint intrinseca potentiæ, nec etiam vitalia; sed sufficit, quòd virtus incompleta potentiæ perficiatur, & compleatur. Quòd autem virtus complens actiuitatem potentiæ sit intrinseca, accidit; ergo non apparet, cur per auxilium extrinsecum Dei non valeat compleri virtus incompleta potentiæ. *Vrgeo assumptum*: conceptus actus supernaturalis stat in hoc, quòd ille non habeatur ex solis natiuis viribus potentiæ, sed quòd primò potentia supernaturalizetur, & compleatur eius virtus: sed data hypothesi, quòd potentia produceret medio auxilio extrinseco; foret verificatum, actum supernaturalem non esse à nuda natura, sed à natura supernaturalizata, & reddita completa; ergo non apparet ratio, cur non sit admittenda nostra propositio. *Rem declaro*. Vt actus sit supernaturalis, sufficit, quòd alterum comprincipium sit supernaturale; at in hypothesi data, vnum comprincipium, scilicet auxilium Dei extrinsecum foret supernaturale: ergo haberentur omnia requisita ad visionem beatificam; ergo sinè lumine gloriæ infuso, & sinè auxilio intrinsecè superaddito, potest haberi visio, vt docet nostra propositio, quæ magis confirmabitur per rationes sequentis propositionis.

# PROPOSITIO DECIMASEPTIMA.

*Intellectus sinè lumine gloriæ, & absque eo, quòd Deus suppleat concursum luminis gloriæ, præsentata sibi essentia Diuina in ratione obiecti intelligibilis, potest elicere simul cum obiecto visionem Diuinæ essentiæ, non tamen beatificam.*

57 HAec propositio quòad primam partem est cõtra omnes Thomistas, sed debet esse communis Scotistis, vtpotè quæ est *Scoti in locis citatis, & Lycheti in primo dist. 17. in fine.* Propositionem probo rationibus *Scoti in primo, dist. 3. quæst. 3.*

*Primò*: obiectum habitus continetur sub obiecto potentiæ: ergo hinc quodcumque potest potentia cum habitu, potest se sola. *Secundò*, per nullum posterius variatur ratio prioris: sed habitus est quid posterius potentia; ergo obiectum potentiæ per aduentum habitus non variatur: ergo satis est potentia. *Tertiò* probatur ratione Scoti *in primo, dist. 1. quæst. 4.* potentia est, qua simpliciter possumus, & non habitus; ergo sinè habitu potest intellectus elicere visionem. *Quartò*: sicut est voluntas circa suum obiectum, ita intellectus: sed voluntas sinè habitu posset amare Deum, si clarè ab intellectu ei proponeretur; ergo intellectus posset ex suis naturalibus videre Diuinam essentiã; quãdo clarè, & facialiter ei proponeretur.

58 *Nostras duas propositiones* impugnant, quæ subsequuntur argumenta. *Primum*. Implicat agere, nisi causa sit innata primò ad agendum: sed intellectus sinè lumine gloriæ non est innatus primò ad agendum; ergo non potest intellectus agere sinè lumine gloriæ. *Respondetur*, quòd intellectus est innatus primò ad agendum per virtutem radicalem; & sicut potest eleuari virtus illius beneficio luminis gloriæ; ita potest eleuari per extrinsecum Dei concursum supplentem vices luminis gloriæ.

59 *Secundum*: quod procedit ab aliquo, tanquàm à causa principali, indiget virtute proportionata cum effectu: sed intellectus necessariò cõcurrit, vt causa principalis ad visionem: ergo indiget virtute proportionata: ista virtus est lumen gloriæ: ergo

agere

agere nequit sinè lumine gloriæ. *Respondetur*, non esse de ratione causæ principalis incompletæ, vt habeat virtutem proportionatam integram cũ effectu, sed satis est, quòd, adiuncta sibi altera concausa, proportionetur. In casu propositionis altera cõcausa foret extraordinarium extrinsecum Dei auxilium agẽs vices luminis gloriæ; ergo cum tali extrinseco auxilio redderetur intellectus proportionatus cum visione, sicut de facto redditur per lumen gloriæ.

60 *Tertium*. Fieri nequit adhùc per omnipotentiam Dei, vt detur aliqua visio corporalis, vel intellectualis sinè aliquo lumine: ergo in patria cœlesti non poterit esse visio sinè lumine spirituali: tale lumen est lumen gloriæ: ergo sinè lumine gloriæ, nulla uirtute haberi potest uisio beatifica. Antecedens probatur de uisione corporali *ex Aristotele 2. de Anima Textu 67. & 73.* ubi inquit, *colores, cæteraquè visibilia sinè lumine videri non posse*. Idem probatur de uisione intellectuali *ex Augustino 12. de Ciuitate Dei, capite vltimo*, ubi affirmat, *nil videri posse, nisi in luce intelligibili.* Fauet ratio: per nullam potentiam potest fieri visio, nisi id, quod videtur, ipsi videnti obiectiuè appareat, & manifestetur: sed per nullam potentiam fieri potest, vt aliquid appareat sinè lumine: ergo sinè lumine gloriæ impossibilitatur visio beatifica.

61 *Vt respondeamus*, moneo, quòd in visione corporali, lumen, quod requiritur ad visionem, est quid distinctum à potentia, & est necessarium ex parte obiecti, aut ad illuminandum medium, vt obiectum appareat ipsi potentiæ: lumen intellectus non sic requiritur, sed desideratur, vt per ipsum eleuetur potentia ad esse supernaturale, vt ex lumine, & intellectu conficiatur integrũ principium productiuum visionis: hoc autem totum præstari potest per auxilium extraordinarium Dei supplens vices luminis gloriæ: ergo concluditur, quòd ope superna possit haberi visio beatifica ab intellectu influente in illam, absque luminis gloriæ beneficio.

62 *Quartum*. Repugnat, aquam posse calefacere, nisi calorem habeat sibi inhærentem; igitur repugnat, intellectum Beatorum producere visionem beatam, nisi primò condecoretur lumine gloriæ; consequentia inde redditur clara; quia ita se habet calor ad aquam, sicut lumen gloriæ ad intellectum. *Negatur consequentia*; non enim tenet paritas; disparitas statim occurrit: nam calor in aqua est totalis ratio agendi, non ita lumen in ipso intellectu. *Replicabis*. Si Deus potentia sua absoluta posset reddere intellectum valentem attingere visionem beatam sinè beneficio luminis gloriæ;

riæ; posset etiam efficere, quòd oculus noster posset videre Solem finè beneficio luminis. *Respondetur* concedendo, oculum nostrum posse, diuino concursu adiuuante, videre Solem, & nulla erit implicantia, supponendo, quòd Deus confortaret oculum nostrum, nè fortè eius temperies corrumperetur à radijs Solaribus. Aristoteles locutus est de potentia ordinaria, quæ erat ipsi nota.

63 *Quintum argumentum.* Non est minùs necessarium lumen gloriæ ad visionem beatificã, quàm fides in via ad actum fidei circà credibilia: sed hæc est simpliciter necessaria ad actum fidei, ita quòd actus fidei haberi nequeat finè habitu fidei: ergo visio beatifica haberi nequit finè lumine gloriæ. *Respondetur*, posse Deum de potentia absoluta causare actum fidei finè fide, & omnis certitudo se tenens ex parte habitus fidei posset haberi, supplẽte Deo vices habitus fidei; vndè argumentum nullius est valoris. *Replicabis. Ex Psalmo* 35. *In lumine tuo videbimus lumen*: ergo lumen semper est necessarium. *Respondemus*, Sacram Scripturam, & cæteros Patres esse locutos de potentia Dei ordinaria; non autem fuerunt solliciti in sensu metaphysicali, vbi agitur de potentia Dei absoluta.

64 *Sextum argumentum*, quia tunc pari ratione posset Deus facere, vt oculus Noctuæ, nullâ virtute de nouo ad videndum recepta, videret Solem, & quòd aqua finè calore posset calefacere.

*Respondetur* concedendo primam sequelam (quidquid in contrarium dicat Sotus) non enim Noctuæ oculus simpliciter est luce priuatus; ac proindè adiutus à Deo posset Solem videre. Nego autem secundam sequelam; nam in aqua finè calore, nulla est vis ad calorem producendum, sed tota vis est à calore; oppositum autem est de intellectu, & de lumine gloriæ: nam lumen gloriæ minimè est intellectui tota ratio agendi. *Vt omnis* de medio tollatur æquiuocatio, moneo, quòd duplex est lumen; habituale vnum, actuale alterum. Lumen actuale est ipsa visio beata; finè hac implicat aliquem esse visione beatifica beatum. Lumen habituale est qualitas quædam supernaturalis similis habitui scientiæ in intellectu, per quam intellectus eleuatur supra statum naturæ, & roboratur ad eliciendam perfectissimam visionem de obiecto beatifico. In lumine gloriæ duo officia concurrunt, eleuare intellectum, & causare cum ipso uisionem beatificam. Primum officium pertinet ad ipsum in genere causæ formalis. Secundum in genere causæ efficientis. Vices primi officij, Deus non potest supplere, potest tamen supplere uices eius quoad secũdum effectum, & inquantùm est cau-

causa efficiens. Hæc duo officia possunt ad inuicem separari; non repugnat, Deum supplere uices quantùm ad efficientiam; non supplente quantùm ad informationem.

## *Petes: An possit ope superna dari intellectus talis excellentiæ, vt valeat ex natiua virtute producere visionem beatificam sinè lumine gloriæ.*

GRauis certè, & celebris est præsens difficultas, maximèque controuersa inter Doctores; & quamquam maior pars illorum negatiuè respondeat: non desunt tamen affirmatiuè respondentes. Quare sit nostra

## PROPOSITIO VNICA.

## *Deus de sua potentia absoluta nequit facere eam accretionem natiuæ facultati intellectus, vt ipse supplere valeat actiuitatem luminis gloriæ.*

65 MOneo ex *Scoto in primo d.17. quæst.2. sub littera H.* quòd uirtus intellectus, & luminis (idem dicendum de uoluntate, & habitu Charitatis) sunt primò diuersæ: non sunt eiusdem rationis, nec se habent, ut duo trahentes nauem, nec portantes aliquod pondus: quinimò sunt cōcursus, & influxus alterius, & alterius rationis, quòcirca quantumcumque crescat uirtus potentiæ, minimè ualebit se sola præstare id, quòd habetur beneficio luminis; sicut pari ratione, quantumuis crescat uirtus hominis, nunquam poterit iste sinè concursu mulieris producere filium; nec potentia quantumcumque crescat in uirtute naturali, ualebit se sola sinè beneficio obiecti producere uisionem. Patet ergo, quòd nunquàm poterit intellectus esse tãtæ perfectionis, ut ualeat supplere uices luminis gloriæ.

66 Ac-

66 *Accedat secunda ratio*. Teste Scoto *in 2.dist.23*. Quãdo unum est perfectibile, ut intellectus, & aliud perfectiuum, ut lumen gloriæ; repugnat, unum continere alterum unitiuè, & realiter, si utrumque extremum perseueret in serie finitatis; ergo nequit dari intellectus, qui æquiualeat composito resultanti ex lumine gloriæ, & intellectus. *Vrgeo difficultatem*. Impossibile est, quòd materia contineat, & includat realiter unitiuè perfectionem formæ taliter, quòd, si Deus produceret materiam adeò perfectam, ut perfectiorem eã produci implicaret; tamen nunquàm foret possibile, quòd illa materia contineret vnitiuè, & realiter perfectionem formæ; hinc dico, quòd ex eo, quòd detur perfectior intellectus, tãtùm concluditur posse producere perfectiorem effectum, stando in conceptu, & serie, seù linea naturæ; nunquàm tamen erit verum dicere, quòd intellectus ille finè lumine gloriæ, vel alio gerente vices eiusdem luminis, producere valeat effectum supernaturalem; repugnat ergo intellectus ita perfectus, vt in naturali perfectione ęquiualeat lumini gloriæ, vel possit se solo præstare id, quod ab ipso, & à lumine gloriæ præstatur.

67 *Addimus*, discursum factum de intellectu, & lumine gloriæ concludere de voluntate, & habitu Charitatis. Si ergo repugnat intellectus adeò perfectus, vt se solo æquiualeat aggregato ex intellectu, & lumine gloriæ; deducitur, non posse dari volũtatem tantæ perfectionis, vt æquiualeat alteri voluntati vnitæ habitui Charitatis. *Adde*, quòd si voluntas (idem dico de intellectu respectù luminis gloriæ) posset fieri ita perfecta, vt æquiualeret habitui Charitatis; qua ratione, posset sibi identificare perfectionem Charitatis, eadem ratione posset etiam sibi identificare perfectiones aliorũ habituum, etiamsi illi forent infiniti: non enim est maior ratio vnius, quàm alterius. Quocircà ea voluntas esset intensiuè infinita: quippè quilibet habitus dicit propriam perfectionem; quarè identificando sibi illos habitus, identificaret sibi illas infinitas perfectiones: etenim vbi pluralitas numeralis arguit perfectionem, maior pluralitas dicit maiorem perfectionem, & infinita pluralitas infinitas perfectiones. Nemo tamen dixit, esse possibilem substantiam creatam intensiuè infinitam; & maximè in doctrina Scoti docentis, gratiã Christi Domini non potuisse esse infinitam; quia repugnat qualitas infinita: si ergo repugnat qualitas infinita; nonnè repugnabit substantia creata intensiuè infinita? Repugnat ergo voluntatem sibi identificare perfectionem Charitatis, & intellectum sibi identificare perfe-

ctionem lum nis gloriæ.

68 *Accedat altera ratio*. Voluntas eo ipso, quod est creatura rationabilis, statim est subdita Deo, vt superiori legislatori, & consequenter tenetur seruare leges illius, quas non obseruando peccaret: ergo omnis voluntas creata potest ab intrinseco peccare: ergo nulla voluntas creata potest esse realiter ipsa Charitas: Charitati enim repugnat peccatum. *Adde*, non esse dabile fundamentum solidum demonstrans, possibilem esse voluntatem impeccabilem per naturā. *Dices*, Deum posse producere voluntatem, quæ de se sit determinata ad bonum honestum, & consequenter tunc esset impeccabilis: nam peccatum dicit deuiationem à bono honesto: hinc si dabilis sit voluntas creata, quę nequeat à bono honesto deuiare; illa voluntas erit censenda impeccabilis ab intrinseco. *Contra*: assumptum hoc repugnat; ergo nulla responsio. Antecedens probo: omnis potentia appetitiua consequitur adæquatè apprehensiuam sibi proportionatam, & ita appetitus rationalis, seù voluntas sequitur adæquatè intellectum: at implicat potentia apprehensiua intellectiua, quæ non possit ferri in quodlibet ens; igitur implicat voluntas creata, quæ non valeat tendere in quodlibet bonum. Maior patet: nam potentia appetitiua est inclinatio vitalis ad bonum apprehensum. Minor probatur: tùm quia intellectus est essentialiter potentia reflexiua; cognoscit enim se cognoscere, & ita reflectit se supra se, & supra suā intellectionem; ergo, cùm cognoscat se, & suā cognitionem, sequitur, quòd intellectus minimè sit alligatus ad solam cognitionem honesti: aliàs non posset cognoscere delectabilitatem sui actus.

69 *Adde*, quòd perfectiuum naturæ intellectricis non solùm est bonum honestum, sed etiam bonum delectabile; ergo cùm intellectus debeat cognoscere perfectiuum naturæ intellectricis; dico, quòd vltra bonum honestum, valeret intellectus ille intueri bonum delectabile. Tùm quia potens cognoscere honestatem obiecti; potest etiam cognoscere delectabilitatem eiusdem: cognoscit autem obiectum delectabile, pro quanto cognoscit proportionem eius cum illa natura; & cognoscendo suam naturam, etiam cognoscit perfectiuum talis naturæ, sed perfectiuum talis naturæ est bonum delectabile: ergo omnis intellectus dabilis potest cognoscere non solùm bonum honestum, sed etiam bonum delectabile. Vndè voluntas, cùm sit illius latitudinis, qualis est intellectus, poterit & ipsa ferri in obiectum honestum, & in obiectum delectabile.

70 *Dicunt alij*, Deum posse produce-

ducere aliquod prædicatum substantiale identificatum cum voluntate, quòd prædicatum dicat intrinsecam repugnãtiam ad peccatum; & ita voluntas illa erit impeccabilis. *Contra*: repugnat tale prædicatum: etenim opposita debent esse eiusdem generis, & prædicatum naturale nequit esse eiusdem generis cum peccato: cùm peccatum sit necessarium in genere moris. *Respondent alij*, posse produci voluntatem necessariò coniunctam cum vltimo fine, ac proindè erit impeccabilis. *Contra*: nam talis coniunctio, vel foret physica, scilicet per vnionem hypostaticã; vel intentionalis, scilicèt per visionem Dei, vel amorem: sed nequit dari creatura, quæ sit necessariò coniũcta cum Deo physicè: quippè cum subsistentia Dei sit maximè propria Dei; non potest effici propria creaturæ per vnionem hypostaticam. *Adde*, quòd etsi daretur creatura necessariò coniuncta Deo per vnionem hypostaticam; non tamen sequitur, quòd ea voluntas foret impeccabilis per naturam: nam, vt in isto Tractatu dicimus, non repugnat peccatum cum vnione hypostatica. *Ad illud de visione Dei, &c.* Dico, quòd cum visione clara Dei posset esse peccatum.

71 *Respondent alij*, quòd quando non foret possibilis talis voluntas; id deberet esse: quia ipsa non potest esse prima regula actionum moralium; subinferũt; ac non requiritur ad impeccabilitatem, quòd voluntas sit prima regula; ergo, &c. *Contrà*; quia, etsi talis voluntas non esset prima regula; tamen posset quis dicere, illam esse impeccabilem; quia non potest deuiari à regula superioris; restat ergo probandum, posse dari voluntatem, quę ex natura sua nequeat deuiare à lege legislatoris; hoc non probatur; ergo, &c. *Dicunt alij*, posse reddi voluntatem impeccabilem per naturam, pro quanto habere potest obiectum honestũ tantæ perfectionis, vt nullo modo valeat voluntas se auertere à tali obiecto. *Contra primò*, quia iam supra demonstratum est, nõ esse possibilem voluntatem, quæ tantùm possit ferri in bonum honestum. *Secundò dico*, non esse dabile obiectum creatum, in quo non appareat aliquis defectus *Tertiò dico*, quòd etiam circà Deum clarè visum habet voluntas libertatem contradictionis, & si non manuteneretur à Deo per continuã assistentiã auxiliorũ efficaciũ, posset voluntas cessare ab amore Dei, tametsi mihi probabilius sit, ipsam non posse odio habere, seù nolle Deũ:

72 *Dices*: potuit Deus producere appetitum sensitiuum determinatum ad bonum delectabile conueniens naturæ sensitiuæ; ergo potest producere appetitum rationalem determinatum ad solum bonum honestũ.

*Concesso antecedente*; negatur paritas: quoniam appetitus sensitiuus consequitur sensum, qui limitatur ad repræsentandum bonum delectabile conueniens naturæ sensitiuæ; appetitus verò rationalis sequitur intellectum, qui limitari non potest ex propria natura ad solum bonum honestum. *Dices*: Deus potest facere naturam impeccabilem per visionem beatam, per gratiam sanctificantem, & per vnionem hypostaticam; ergo idem facere potest per ipsam naturam. *Vide hoc argumentum apud Scotum in 2. dist. 23. & in reportatis in 2. dist. 23. argumento 4.* Respondeo breuiter negando totum id, quod assumitur; dico ergo, quòd gratia non opponitur physicè peccato; idem dico de visione beatifica, & de vnione hypostatica.

73 *Dices*, Deum posse concedere creaturæ totum id, quod non repugnat finitati: at quãtumuis voluntas foret impeccabilis; adhùc restaret finita: ergo, &c. *Negatur maior*: Nam ad creandum minimè requiritur virtus infinita, & tamen est communior sententia, Deum non posse concedere creaturæ virtutem creandi. *Item.* Ad videndum Deum modo finito, & ex eleuatione eiusdem Dei non requiritur virtus infinita, & tamen nequit Deus producere oculum corporeum, qui possit eleuari ad videndum Deum; nec potest producere oculum corporeum, qui audiat, sicut nec aurem, quæ videat.

74 *Dices*: non repugnat substantia creata, quæ cognoscens honestum, & turpe, sit determinata ad amandum honestum, & odio prosequendum turpe; libera tamen ad amandum hoc bonum præ alio, & suspendendum actum, si suspensio bona proponatur: sed talis substantia esset libera, & impeccabilis: ergo non repugnat voluntas impeccabilis per naturam. Maior probatur: aut repugnat, quia voluntas debet esse vniuersalis ad omne bonum, aut quia est perfectio infinita: sed neutro ex capite repugnat: ergo, &c. Prima pars minoris probatur: licèt detur sensus communis attingens omnia sensibilia; non repugnat sensus particularis attingẽs particularia sensibilia: ergo estò quælibet creatura rationalis attingat defacto omnia obiecta, non repugnabit aliqua attingens tantùm particularia obiecta: ergo, &c. *Confirmatur*: multi cum *Patre Arriaga disp. 6. de anima sectione 1. nu. 5.* docuerunt, Deum posse producere intellectum, qui sit cognoscitiuus aliquorum obiectorum, & non omnium; ergo etiam poterit producere voluntatem, quæ solùm possit ferri in aliqua obiecta, idest, quæ tantùm valeat tendere in bonum honestum, & nullo modò in bonum delectabile, vel vtile, vel in obiectum, in quo sit ratio malitiæ

litiæ

litiæ moralis. *Ita formo argumentum*: licèt defacto noster intellectus sit cognoscitiuus omnium rerum, tamen poterit dari intellectus, qui tantùm sit cognoscitiuus aliquarum rerum: ergo quamuis defacto voluntas possit ferri in omne bonum siue honestum, siue cōmodū, tamen poterit dari voluntas, quæ tantùm possit ferri in bonū honestū, & ista erit impeccabilis.

75 *Vrgeo difficultatem*: quantumuis defacto omnis creatura taliter dependeat à Deo, vt in manu Dei sit eam destruere pro omni signo, quo sibi placuerit; tamen aliqui cum *Arriaga in Physica disp.* 15. *sectione* 2. *numero* 65. docuerunt, posse dari creaturam, quæ de se expostulet tantam, vel tantam durationem, scilicet pro vna hora, vno mense, &c. vt Deus pro illa hora, vel illo mense nequeat destruere illam creaturam, adduntquè, nullam fieri iniuriam Diuinæ omnipotentiæ, quæ integrè saluatur in hoc, quòd ipsa potuerit producere, vel non producere talem creaturam, licèt pro tempore durationis exigitæ ab ea creatura, non valeat Deus illam destruere; sicut licèt in libertate Dei sit producere, vel non producere hominem, tamen supposita productione illius, non potest Deus facere, quòd homo non sit risibilis, & c. ergo si Deus potest producere creaturā, quæ de se postulet talem durationem, ita vt pro eo signo Deus non possit eam destruere; pariter poterit producere voluntatem, quæ possit tantùm tendere in obiecta honesta, & cōsequenter non poterit peccare.

76 *Concessis omnibus*, quæ in discursu sunt posita; nego consequentiam. Ratio est, quia voluntas debet sequi adæquatè suam potentiam apprehensiuam. *Dico*, quòd, cum potentia apprehensiua volūtatis sit intellectus, debet voluntas sequi adæquatè intellectum. *Vel, vt clariùs dicam*, debet voluntas posse ferri in omne id, in quod valet tendere intellectus: at supra uidimus, nullum dabilem intellectum, à quo nō sit cognoscibile bonum commodum cōueniens ipsi naturæ; ergo uoluntas potest ferri in bonum utile, relicto bono honesto: potest se applicare ad bonum commodum, & ita peccare. *Adde*, quòd in doctrina Augūstini defectibilitas moralis fundatur in defectibilitate physica; quocircà, cum nulla sit dabilis creatura, quæ non sit ex nihilo; & quæ sit indefectibilis physicè; nulla est possibilis creata uoluntas, quæ non possit moraliter deficere, & peccare.

*Concludo*, quòd, cùm omnis intellectus dabilis possit cognoscere suam cognitionem, & delectabilitatem ei apportatam à suo actu, nullus poterit dari intellectus, qui tantū possit cognoscere bonū honestū. Et ita uolūtas

tas nulla dabilis, quæ tantùm possit ferri in obiectum honestū.

77 *Hinc collige*, nullam dabilem volūtatē supernaturalem intrinsecè. Ad quod adde probationes, quę subsequūtur. Si daretur talis voluntas, ea esset per naturam impeccabilis: at repugnat impeccabilitas per naturam: ergo repugnat volūtas intrinsecè supernaturalis. Probatur antecedens: voluntas illa esset realiter charitas, & gratia: ergo impeccabilis. *Argumentor ita*: Omnis voluntas potens ex natura sua peccare, est de propria natura procliuis ad peccandum: sed nulla charitas, vel gratia potest de sua natura esse procliuis ad peccandum: ergo nulla voluntas, quæ secundùm suam natiuam perfectionem foret charitas, peccare posset. Maior probatur: quippè charitas est subsidium, & auxilium contra peccatum; ergo non potest esse procliuis ad peccatum. *Vrgeo difficultatem*: Gratiæ, quæ est sanctitas accidentalis, repugnat peccatum: ergo etiam repugnaret voluntati supernaturali, quæ esset sanctitas substantialis: ergo illa volūtas foret impeccabilis. *Succedat altera ratio*: talis voluntas non posset habere, nisi actionem supernaturalem, & consequenter nullam peccaminosam: quippè si charitas, cùm supernaturalis sit, tantùm potest producere effectum supernaturalem, & agens non supernaturale, tantùm potest producere effectum ordinis naturalis; ita voluntas supernaturalis, quando illa daretur, tantùm posset producere effectum supernaturalem, & cōsequenter nullam posset habere actionem naturalem.

# DISPVTATIO QVARTADECIMA.

## *De Visione creaturarum in Verbo.*

1 SVppono ex materia de Visione, Beatos videre alia obiecta secundaria in ipsa essentia Diuina, quæ ideò dicitur speculum voluntarium. An autem videant formaliter per ipsam visionem beatam, an per alias à Deo hìc, & nunc quando vident creaturas? pro nūc sileo. Nam quod attinet ad præsens, parùm refert, quid in illa controuersia tenendum sit: quia hæc quæstio: an scilicet Christo concedenda sit visio omnium futurorum, & possibilium, procedit tàm in sententia admittente, beatos videre formaliter creaturas per visionem ipsius Verbi, quàm in sententia admittente, alias visiones distinctas.

2 *Moneo primò*: triplicem statum posse habere rem aliquam. *Primum*

***mum*** intrà causas. ***Secundum*** extrà illas. ***Tertium*** in cognitione. Intrà causas dicitur esse res, dùm est merè possibilis. Extrà causas, quando causæ sua virtute productiua communicãt illis actualem existentiam. In cognitione, cùm circà illas suo actu versatur intellectus. ***Moneo etiam ex Scoto in 2.dist.12 quæst.1.*** dari potentiam obiectiuam, quæ aliud non est, nisi non repugnantia ad essendum; hanc dicitur habere res, antequàm ponatur extrà causas, vt mundus antequàm fieret, & Rosa in Hyeme. Huic potentiæ correspõdet actus existentiæ, qui alio nomine solet dici actus entitatiuus; & de hac potentia, & actu sibi correspondente, intelligendum est illud commune axioma, ***quod actus, & potentia sunt eiusdem generis***; imò, vt docet Scotus, non solùm sunt in eodem genere, sed etiam in eadem specie, & indiuiduo: quia ex eo, quod illa creatura, quæ antea erat sub esse obiectiuo, ponatur extrà causas, nullum incrementum, aut decrementum accipit, sed tantùm existentiam. ***Moneo insuper***: duplicem esse possibilitatem entis ad existendum; vel enim dicit denominationem extrinsecã petitam à potentia Creatoris, vel intrinsecam non repugnantiam ex parte rei. De ista intrinseca non repugnantia, est apud Doctores ardua difficultas.

***An scilicet possibilitas entis effluat à principio extrinseco, vel sit ab ipsamet re intrinsecè, & nullam eius aliam agnoscat causam.***

3 *Henricus quolibeto 6. quæst. 3. citatus à Scoto in primo dist. 43. quæstione vnica*; opinatus est, entis possibilitatem petendã esse à potẽtia Dei; taliter quòd ex defectu Diuinæ omnipotentiæ dicatur res repugnare; sicut ex validitate omnipotentiæ appellatur res possibilis. Fauet Henrico ***Petrus de Lorca par. 2.tom.2. disp. 10. §.sed hanc doctrinam,&c.***

Scoto *in primo dist. 43. quæst. vnica*, ***§. contra istam primam sententiam arguo, &c.*** non probatur hic dicendi modus. ***Primò***: quia omnipotentia nõ dat alicui aliquod esse, nisi producendo illud: sed ante omnem productionem rei ad extra, res habet esse possibile; non igitur per illam potentiam, quæ est õmnipotentia, est res à Deo primò possibilis. Minor patet, nam aliàs quod non foret possibile produci, produceretur. Probatur nostrum assumptum argumẽto desumpto ***à Scoto in primo dist.36.sub littera M.*** si nulla esset potentia productiua in rerum natura, adhùc aliquæ res dicerentur possibiles; vt, quòd homo sit animal rationale, sit discursiuus, &c. igitur possibilitas ad produci, minimè est desumenda in ordine ad Diuinam omnipotentiam.

4 ***Item***. Chimera non dicitur impossibilis in ordine ad Diuinam

nam omnipotentiam, quinimò è contra, chimera nequit produci ab omnipotentia: quia chimera in se repugnat produci; ergo à pari, Antechristus potest produci à Diuina omnipotentia: quia ille de se habet non repugnantiam ad posse produci. *Vrgetur ratio*: sicut in causis præcisis affirmatio est causa affirmationis, ita negatio est causa negationis; ergo si adæquata ratio possibilitatis esset omnipotentia; ita etiam foret adæquata ratio impossibilitatis. *Item*. Si possibilitas entis causaretur ab omnipotentia, sequeretur, quòd Deus ab æterno habuisset actionem ad extra, quod omnes negant. Sequela probatur: quia nil à potentia, siue à facultate exequente Dei elicitur ad extra, quod media aliqua causalitate, seù reali influxu, non procedat; quo fit, quòd, cùm possibilitas rerum sit ab æterno, quòd si talis possibilitas sit à Diuina omnipotentia, foret verum dicere, quòd Diuina omnipotentia ab æterno produxerit verè, & realiter aliquid.

5 *Ad clariorem* notitiam moneo, quòd ad aures *Philosophi 9. metaphysices cap. 3.* id dicitur possibile, ex quo posito in esse nullũ sequitur impossibile. Ex hoc deduco, non benè esse philosophatos Scotistas docentes, quòd esse possibile creaturarum, nihil aliud sit, quàm esse cognitum, quod ab æterno habuerũt creaturæ ab intellectu Diuino: nam licèt vera sit doctrina docens, creaturas ab æterno non habuisse aliud esse, quàm esse cognitum, & diminutum; tamen hoc esse, non est esse possibile creaturarum: nam *Scotus in primo dist. 36. quæst. vnica, §. contra istud obijcitur, &c. in responsione ad secundum lit. G.* ita legit: *Dico, quòd productio ista creaturarum in esse cognito, est esse alterius rationis ab omni esse simpliciter, & non est relatio rationis tantùm, sed etiam fundamenti absoluti, non quidem secundùm esse essentiæ, vel existentiæ, quod est verum esse; sed secundùm esse diminutum, quod est esse secundùm quid*. Hac, in littera duo veniunt consideranda. *Primum*, quòd istud esse cognitum, non est verum esse, sed est esse secundùm quid, dicens pro materiali absolutum, & pro formali relationem rationis. *Secundum*, quod illud esse, neque est esse existentiæ, neque essentiæ: quippè illa esse, sunt vera esse; esse autem cognitum est esse secundùm quid.

6 *Sit hoc argumentum*. Illud esse cognitum, & diminutum non est verum esse, sed secundùm quid; ergo non est esse possibile creaturarum. Antecedens patet ex ipsa litera Scoti. Consequentiam probo: nam esse possibile creaturarum est verum esse, sufficit ad verificandas propositiones necessarias ab æterno; ergo esse possibile non est esse cogni-

tum:

tum: cùm esse possibile non sit verum esse. *Aliud argumentum.* Istud esse cognitum, & diminutum, nec est esse essentiæ, neque existētiæ creaturarum, ergo nec est esse possibile creaturarum. *Vrgeo argumentum*: esse possibile creaturarum in Theologorum sententia, est esse essentiæ præscindens ab existentia: sed esse cognitum non est esse essentiæ; ergo esse cognitum creaturarum, non est esse possibile: quinimò esse possibile anteit esse cognitum creaturarum. *Addo.* data hypotesi, quòd creaturæ possibiles non cognoscerentur ab intellectu Diuino, adhùc creaturæ ex proprijs conceptibus quidditatiuis haberent esse possibile; quod colligo ex *Scoto in primo, dist.36. quæst. vnica sub lit.M.* vbi ita habet: *Prima igitur omninò ratio, & non reducibilis ad aliam, quarè homini non repugnat esse, est, quia homo formaliter est homo, &c.* & *prima ratio, quarè chimæræ repugnat esse, est chimæra in quantum chimæra.* Addit: posset igitur stare possibilitas illa, etiā si nulla potentia per impossibile eam respiceret. Legatur *Scotus*, & patebit ueritas nostri discursus.

7 *Accedat ista ratio*: essentia in illo priori, in quo non præintelliguntur creaturæ cognitæ, est ratio repræsentandi seipsam, & creaturas; ergo pro illo priori habent creaturæ aliquod esse, quòd à Diuina essentia repræsentetur; aliàs nil repræsentaret creaturarum Diuina essentia: ergo creaturæ antecedenter ad Diuinam cognitionem habent aliquod esse, non actuale, & positiuum, sed possibile; vndè quando *Scotus* dixit, quòd primum esse creaturarum ab æterno fuit esse cognitum, & diminutum, & quòd creaturæ non habuerunt aliud esse, loquebatur de esse actuali in esse intentionali, non verò de esse possibili, ut Scotus ipse se explicat. *Item.* Ideò Diuina essentia in secundo signo mouet Diuinum intellectum ad cognoscēda possibilia, quia eorum non repugnantia erat intelligibilis; ergo antequàm creaturæ cognoscerentur, iam erāt possibiles. *Item.* Eo ipso, quòd intellectus Diuinus uidit repugnantiā prædicatorum in chimæra, reputauit illam impossibilem: ergo iudicauit hominem possibilem, quia vidit, hominem non repugnare. *Item.* Omnis denominatio prouenit ab aliqua forma denominante: sed in creatura esse possibile est quædam denominatio: ergo prouenit ab aliqua forma denominante; sed non prouenit ab omnipotentia Dei, ergo ab ipsa creatura ex proprio conceptu.

8 *Confirmatur*: denominatio desumpta ab omnipotentia, est actiua denominatio; sed esse possibile creaturæ est passiua denominatio: ergo forma, à qua

creatura dicitur possibilis passiuè, non est Diuina omnipotentia. *Item*. Impossibile ideò impossibile, quia à parte rei repugnat, & ideò non potest à Deo produci passiuè, quia ex proprio conceptu repugnat; ergo possibile ideò tale, quia nõ repugnat, & ideò Deus potest passiuè illud producere, quia de se est possibile produci passiuè. *Item*. De quolibet est verum dicere, quòd defacto formaliter est, vel non est: ergo de quolibet est verum dicere formaliter, & intrinsecè, est possibile, vel non est possibile; sed si formaliter, & intrinsecè est possibile, ab ipso desumetur ratio possibilitatis: aliàs non esset formaliter, & intrinsecè possibile: ergo, &c.

9 *Curiosè tamen notandum*, quòd alio modo habet Antichristus negationem existentiæ, & alio modo illam habet chimęra: etenim, vt habet *Scotus in 1. dist. 36. quæst. vnica*; tripliciter inest negatio alicui. Quandoque non propter repugnantiam alicuius positiui ad affirmationem illius negationis, sed per solam negationem causæ non ponentis illum effectum; sicut si aliqua superficies esset neutra, esset quidem non alba, non propter repugnantiam superficiei ad affirmationem oppositam huic negationi, sed propter negationem causæ non ponentis albedinem in superficie. Quandoque autem inest negatio positiui propter repugnantiam eius ad affirmationem oppositam illi negationi; & hoc dupliciter; quãdoque enim, præcisè est talis repugnantia propter aliquod vnum de intellectu vtriusque, sicut in speciebus vltimis eiusdem generis proximi, negationes earum mutuæ dicuntur de se propter repugnãtiam earum, quæ est propter solum vnum inclusum in intellectu vtriusque, scilicet propter differentiam vltimam completiuam.

10 *Quandoque autem* propter plura inclusa in intellectu vtriusque, vel alterius; sicut, si accipiantur species specialissimæ duorum generum generalissimorum, repugnant quidem sibi inuicem affirmationes propter multa inclusa in eis, tot, scilicet, quot sunt prædicata dicta de vtroque in quid in suo genere; nihil enim dicitur in quid de albedine, quod non sit medium ostendendi hanc: *Homo non est albedo*; nihil etiam dicitur in quid de homine, quod non est medium ostendendi eandem, & ideò ista: *Homo non est albedo*, vera est propter repugnantiam extremorum simpliciter, siue propter multa inclusa in intellectu repugnantium, quorum quodlibet in vtraque parte esset sufficiens ratio talis repugnantiæ, & tamen in omnibus istis inhærentijs negationum (licèt ex diuersis causis insit) non dicitur aliquid magis, vel minùs negatum,

sed

sed quodlibet simpliciter non tale: ita enim est simpliciter sapor nihil albedinis, sicut homo, & similiter superficies nil habet albedinis, posito isto casu. *Ratio est*, quarè non magis est hæc negatio, quam ista: quia quælibet negatio negat totam affirmationem sibi oppositam ex quacumque ratione sit talis, siue per vnā rationem, siue per plures. Ita in proposito; homini in æternitate inest non esse aliquid, & chimęræ non esse aliquid; sed homini non repugnat affirmatio, quæ est esse aliquid, sed tantùm inest negatio propter negationem actus, vel causæ non ponentis in esse; chimęræ autem repugnat: quia nulla causa potest in ea causare esse aliquid. *Sed quarè* chimęræ, & non homini repugnet? Ratio est: quia hoc est hoc, & illud est illud, & hoc in quocumque intellectu.

11 *Scito etiam*, quòd creaturæ ab æterno secundùm earum non repugnantiam, non sunt verissimè nihil. Nam ex *Scoto quolibeto 3. litera A.* illud est verissimè nihil, quod includit contradictionem, & solùm illud: quia illud excludit omne esse extrà intellectum, & in intellectu; quod enim est sic includens contradictionem, sicut non potest esse extrà animam, ita non potest esse aliquod intelligibile, vel aliquod ens in anima: quia nunquàm contradictorium cum cótradictorio constituit vnum intelligibile, neque sicut obiectum cum obiecto, neque sicut modus cum obiecto. *Hinc collige*, quòd cùm Antichristus ab æterno habuerit non repugnantiam ad esse, Antichristus ab æterno non poterat dici verissimè nihil. *Scito etiam*, quòd materiale, cui tribuitur possibilitas, est ipsa realitas, quæ post productionem est in rerum natura. *Ratio est*, quia id designatur pro subiecto, seù materiali Possibilis, quod olim antequàm mundus esset, denominabatur possibile, sed id, quod nunc est, existente Petro, idest, ipsa Petri realitas, denominabatur ante productionem possibilis; ergo illa ipsa realitas Petri ante productionem, designabatur pro subiecto; seù materiali Possibilis. *Vrgetur ratio*: id ante productionem denominabatur possibile, quod produci poterat, quodquè, posita productione, denominabatur existens; sed produci poterat ipsa realitas Petri, & ista peracta productione, denominatur existens: ergo illa ipsa realitas denominatur possibilis ante productionem. *His stantibus*, Titulo disputationis respondebunt, quæ subsequuntur, propositiones.

## PROPOSITIO PRIMA.

*Christus, quæ vidit in Verbo, cognouit perfectiùs, quàm vlla alia creatura.*

12 PRobatur primò, quia perfectiùs cognouit Deum, quàm vlla alia creatura; ergo perfectiùs cognouit, quæcumque in Verbo cognouit. *Secundò*, Christus habuit perfectiora merita, & maiorem congruentiam ad tales cognitiones perfectiores, quàm vlla alia creatura; ergo dicendum est, quòd ipse habeat tales perfectiores cognitiones.

## PROPOSITIO SECVNDA.

*Anima Christi non videt actualiter in Verbo omnia, quæ videt ipsum Verbum.*

LIcèt Scotus *in 3. dist. 14.* ad ampliandam perfectionem animæ Christi dicat, probabilem esse sententiam docentem, animam Christi videre in Verbo omnia, quæ videt ipsum Verbum; tamen longè probabiliorem putat nostram propositionem.

13 *Probatur nostra propositio primò*. Quia sequeretur, quòd intellectus animæ Christi esset infinitus: nam quò plura cognoscit intellectus creatus, eò maiorem adhibere debet conatum, siue attingat ista plura per vnã, siue per plures cognitiones; ergo, vt cognosceret omnia, quæ cognoscit Deus, deberet habere infinitum conatum; sed hoc nõ posset sinè infinita virtute intellectiua: ergo. *Secundò*. Visio, quæ viderentur infinita, esset infinitæ perfectionis: sed visio infinitæ perfectionis repugnat creaturæ: ergo. Maior patet: quia æquiualeret infinitis visionibus distinctis, quarum qualibet videretur obiectum distinctum ab obiecto alterius; ergo esset infinita. Consequẽtia patet: quia linea æqualis infinitis lineis palmaribus, esset infinita simpliciter; ergo visio æqualis infinitis visionibus, esset-

esset infinita simpliciter; ergo, &c.

14 *Dices*: intellectum non debere habere alium conatum, vt videat obiecta secundaria, distinctum à conatu, quo tendit in ipsum obiectum primarium; vndè non sequitur infinitas à nobis intenta. *Contra*. Visio obiecti primarij potest esse absque eo, quòd videantur secundaria; ergo ad hoc, vt videantur secundaria, requiritur aliqua mutatio ex parte potentiæ, præter illam, quæ fit per visionem obiecti primarij; nec sufficit vlla mutatio ex parte obiecti: aliàs possemus dicere, nos semper habere visionem ocularem, quamùis aliquando non videamus per eam; propterea quod non sit debita proportio, vel applicatio obiecti; hoc autem est absurdum, igitur absurdum est, quòd visio creata, quæ possit esse sinè denominatione videntis, det talem denominationem absque alia mutatione intrinseca; hæc autem mutatio non potest explicari sinè nouo conatu potentiæ, nisi dicatur, quòd intellectus merè passiuè se habeat in ordine ad productionem talis intellectionis. Si hoc diceretur, adhùc nostra propositio est vera: quia intellectio illa producta à solo Deo, qua viderentur infinita, esset infinitæ perfectionis, vt patet ex secunda probatione. Deindè intellectus, qui posset recipere talem intellectionem, & ea mediante tendere in infinita obiecta, deberet esse infinitæ perfectionis.

15 *Dices*: hæc omnia incommoda euitari, si dicatur cum communi Scotistarum sententia, obiecta secundaria videri per ipsam visionem obiecti primarij, solo respectu tendentiæ mutato: nam quemadmodùm intellectus determinaretur ad videndum vnum obiectum per aduentum vnius respectus, ita determinaretur ad infinita obiecta, si adderentur infiniti respectus; sed infiniti respectus nō repugnant; nec arguunt maiorem perfectionem in fundamento siue proximo, siue remoto, quàm vnus respectus; vt patet de albedine, quæ diceret sinè vlla maiori sui perfectione, infinitas similitudines ad infinitas albedines, si haberentur: ergo.

16 *Respondeo primò*, nos nòn tenere illam sententiam Scotistarum: nam si dentur tales tendentiæ, ab ipsis cognitionibus absolutis realiter distinctæ; sicut quælibet cognitio exigit naturaliter tēdentiam circa aliquod obiectum repræsentabile per ipsam; ita debet necessariò (naturaliter loquendo) petere tot respectus tendentiæ, quot sunt obiecta per ipsam repræsentabilia; & consequenter non solùm Christus, sed etiam quilibet beatus necessariò semper videret actù infinita. *Deindè*. Si visio, qua mediante intellectus tenderet

ret in obiectum; posset naturaliter conseruari sinè tali tendentia, non constaret nobis, quòd producamus vnquam defacto vllam cognitionem absolutam; quia quādo actù cognoscimus, posset dici, quòd hoc fiat per aduentum respectus tendentiæ. Dicere autem, quòd Deus supernaturaliter cōseruaret visionem absque respectibus tendentiæ, qui naturaliter nati sunt ad ipsam sequi, est sinè fundamento loqui; præsertìm cùm hoc esset in præiudicium beatorum, quibus meliùs est cognoscere obiecta, quorum visionem repræsentatiuam habent, quàm non cognoscere.

17 *Secundò Respondeo.* Incommoda supra posita non euitari in illa sententia; nam illa visio, qua mediāte viderentur infinita, peteret necessariò (naturaliter loquendo) infinitas tendentias; vndè excederet infinitiès visionem, quæ hoc non exigeret, & consequenter esset infinitæ perfectionis. *Et si dicatur*: quòd non exigeret naturaliter illas tendentias; sed solùm ex libera voluntate Dei; *Contra*: Possem eodem modo dicere, quòd cognitiones, & visiones nostræ defacto non exigant naturaliter suas tendentias actuales, & consequenter quòd actualiter maneant absque eo, quòd actualiter per illas percipiamus actù obiecta, quorum sunt cognitiones. Vndè quando cognoscimus actù, nil de nouo aduenit potentijs, præter nouos respectus tendentiæ in talia obiecta; hoc autem est contra communem sententiam admittētem, illos actus esse ex natura sua actuales determinationes potentiarum ad sua obiecta, saltèm naturaliter loquendo. *Hoc addo*: quia in sententia probabili potest supernaturaliter absolutum cognitionis conseruari à Deo sinè respectu tendentiæ in obiectum. Hæc tamen sententia nō admittit, alias tendentias posse de nouo accedere, præter illas, quas cognitio ex natura sua petit naturaliter semper habere, ergo.

18 *Petes. Quomodò igitur Beati vident res de nouo in Verbo, vt preces, & orationes nostras, & multa alia.*

*Respondetur*: Duobus modis satis probabilibus, primò, quòd videant per aliam visionem beatam distinctā à priori. *Et si dicatur*, priorem tunc esse frustraneam: quia per posteriorem præstatur totum, quod ipsa præstat. *Respondeo*, priorem tunc non manere. *Et si dicatur*, hoc esse contrà communem sententiam, quæ requirit stabilitatem in visione beata. *Respondeo*, sufficere solam moralem stabilitatem, qua mediante fit, vt intellectus nunquam sit sinè visione beata pro vllo tempore, vel instanti. *Et si obijciatur ex Augustino*, nostras cogitationes, seu cognitiones in futura vita non esse volubiles.

biles. *Respondeo*, eum loqui de volubilitate nobis displicente, ex qua fieret, vt aliquando per aliarum rerum cognitiones distracti, obiecti primarij beatifici cognitionem non haberemus.

19 *Respondetur secundò*. Beatos non videre de nouo obiecta secundaria per ipsam visionem beatam formaliter, sed per alias visiones, mediantibus particularibus reuelationibus, & illustrationibus à Deo factis, intuitu potissimùm visionis, & amoris beatifici. Sed licèt vterque hic modus respondendi, sit probabilis; primus tamen videtur valdè difficilis: quia illa alia visio beatifica, per quam beatus videret nunc aliqua, quæ non vidit antea per aliam visionem, deberet esse perfectior illa alia visione, præsertim, si illa, quæ videret, nunc essent plura, aut perfectiora, quàm illa, quæ vidit per aliam visionem; sed hoc non videtur admittendum: quia sic beatus, esset iam beatior beatitudine essentiali, quàm antea. Quod autem illa visio deberet esse perfectior, patet: quia in tantùm apparerent obiecta secundaria in obiecto primario nunc, quæ antea in ipso non apparebant, in quantùm ipsum obiectum primarium magis penetraretur, & clariùs, ac distinctiùs perciperetur ordo, quem habet ad obiecta secundaria nunc, quàm antea, qui ordo est aliquid intrinsecum in ipso Deo; ergo, si aliquæ creaturæ nunc appareant beato in Deo, quæ antea non apparebant, ideò est: quia nunc videt clariùs, & perfectiùs entitatem intrinsecam Dei, & consequenter nunc esset beatior, quàm antea. Propter hanc difficultatem, secunda responsio, nimirùm, quòd beati vident in Verbo per alias visiones à visione beatifica distinctas, teneatur: nam de hac re pleniùs *in Tractatu de Visione beatifica*. Hinc tamen non sequitur, quìn beati videant multa obiecta secundaria in Deo per ipsam visionem beatificam formaliter; sed solùm sequitur, quòd non videant vlla talia de nouo per illam visionem, & consequenter quæcumque per illam vident, semper actù vident.



PRO-

# PROPOSITIO TERTIA.

## Anima Christi non videt in Verbo omnia possibilia.

20 PRobatur primò ex dictis, quia visio possibilium infinitorum deberet esse infinitæ perfectionis, quia æquiualeret infinitis visionibus distinctis, quarum quælibet haberet obiectum distinctum ab obiecto alterius. *Probatur secundò*, quia potentia Dei ideò dicitur infinita simpliciter, quia potest facere simul, & semel, quod possent facere infinitæ potentiæ, quarum quælibet esset maioris perfectionis, quàm cæteræ: sed ista visio potest facere, quod facerent infinitę visiones excedentes se inuicem in intrinseca perfectione, quarum quælibet ex indiuisibili entitate sua esset determinata ad plura, vel pauciora obiecta, quàm cæteræ.

21 *Hinc patet contrà Durandum*, quòd Christus non videat infinita possibilia. Patet etiam contra Thomistas, quòd non videat omnia futura: quia omnes cogitationes beatorum, & etiam damnatorum futuræ, infinitæ sunt; ergo qui cognosceret omnes simul actù, cognosceret infinita actù, tàm benè, quàm si cognosceret omnia possibilia; quia eadem est ratio de vna infinitate, ac de omnibus: vndè, si Christus cognosceret omnia futura, nullum esset inconueniens, quòd cognosceret omnia possibilia; nam quod dicunt Aduersarij, ex cognitione omnium possibilium sequi, quòd Deus comprehenderetur; falsum est; cùm id non sequatur ex cognitione omnium futurorum.

22 *Dices primò*. Cuilibet Beato cōceditur communiter à Theologis cognitio omnium rerum, quæ ad suum statum non solùm communem ipsi, & cæteris Beatis, sed etiam particularem tàm viæ, quàm Patriæ spectant: quia cognitionem horum omnium, tanquàm ad se spectantium, desiderare potest: sed cognitio omnium futurorum pertinet ad statum Christi: cùm ipse sit Dominus omnium, Iudex, & caput Vniuersi, Gubernator, ac Princeps vniuersalissimus; ergo talis cognitio debet ipsi concedi. *Confirmatur primò*, quia cognitiones omnes beatorum futuræ in æternitate, sunt præmia meritorum Christi; ergo ad ipsum pertinet eas omnes scire. *Confirma*-

*ma*

matur secundò ex scriptura. Ioannis 2. nu. 24. *Non credebat semet ipsum eis; eo quòd ipse nosset omnes, & quia opus ei non erat, vt quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine. Ex hoc,* & multis alijs locis colligitur: Christum habuisse notitiam cogitationum hominum: sed eadem est ratio de vna cogitatione, ac de omnibus, ergo. *Confirmatur tertiò* ex locis Patruum, quæ congerit *Belarminus tomo* 1. *controuersiarum lib.*4. quibus dicitur, Christum habuisse plenitudinem scientiæ, & omni caruisse ignorantia; sed non poterat caruisse omni ignorantia, nisi sciret omnia: ergo. *Deindè in epist. Sophronij in 6. synodo actione* 11. videtur definitum, Christum cognouisse diem Iudicij; sed à fortiori deberet scire omnia alia futura, ergo. *Confirmatur quartò.* Visio beata, cùm sit indiuisibilis, non debet perfici, vt extendatur ad obiecta secundaria: ergo visione finita potest Christus videre infinita. *Confirmatur quintò* ex vulgari illo S. Gregorij dicto: *Quid non vident, qui videntem omnia vident?*

23 *Respondetur distinguendo maiorem:* conceditur ipsi semper actualis cognitio omnium rerum pertinentium ad suum statum pro quolibet tempore futuro; nego: quia aliàs Diuus Petrus v. g. deberet in primo instanti suæ beatitudinis cognoscere omnes persecutiones, & perturbationes Ecclesiæ vsque ad diē Iudicij, & omnes preces in tota Ecclesia ad se effundendas toto illo tempore. Conceditur ipsi semper habitu, seu potentia talis cognitio, & etiam actù temporibus opportunis, & necessarijs; concedo maiorem, & minorem, & distinguo similiter consequens. *Dixi eos* semper scire habitu, vel potentia, quia semper habent principium, visionem scilicet beatificam, vndè oritur, vt opportunis temporibus talem cognitionem habeant: Per hoc patet ad *primam confirmationem,* quia etiam si actus beatorum in tota æternitate sint præmia meritorum Christi, non est tamen necessarium, imò est impossibile, quòd videat semper omnia simul actù: quia sic cognitio ipsius esset infinitæ perfectionis.

# DISPVTATIO QVINTADECIMA.

## *De Scientia Christi in proprio Rerum genere.*

1 PRæter ſcientiam, qua Christus cognouit creaturas in Verbo viſione beata; Theologi communiter attribuunt ipſi aliã cognitionem, qua cognouit eas in proprio genere. Quæ cognitio non terminatur immediatè ad ipſam eſſentiam Diuinam, tanquàm obiectum primarium; & ſecundariò ad creaturas, ſicut viſio beata (ſi hæc vllo modo ad creaturas terminetur) ſed terminatur immediatè ad ipſas creaturas, tanquàm ad obiectum primarium, quod cognoſcitur per illam, ſiue abſtractiuè, ſiue intuitiuè. Hæc autem ſcientia in proprio genere, poteſt eſſe vel per ſe infuſa, ſcilicet indigens aliquo principio phyſico ſupernaturali, & nullo modo acquiſibili viribus proprijs intellectus creati. Vel poteſt eſſe per accidens infuſa, ſcilicet hìc, & nunc producta in intellectu creato mediante aliqua cooperatione ſpeciali Dei, ſiue ſupplentis defectum ſpecierum, ſiue producentis ipſas ſpecies, ſiue cooperatione obiectorum, vel modo aliquo alio ſimili ſe habendo, licèt poſſint quò ad ſubſtantiam ſinè vllo principio phyſico ſupernaturali ſimpliciter acquiri virtute propria ipſius intellectus, & cauſarum naturalium. Vel deniquè poteſt eſſe acquiſita beneficio ipſius intellectus, & cooperatione cauſarum ſecundarum. *His prænotatis*, veritatem docebunt, quæ ſubſequuntur, propoſitiones.

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Chriſtus habuit aliquam ſcientiam Rerum in proprio genere.*

2 PRobatur, quia eſt perfectionis in intellectu creato cognoſcere res in ſeipſis, & talis cognitio conceditur Angelis, & Adamo in ſtatu innocentiæ: ſed Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit perfectus omni perfectione connaturali animæ,

mæ, & corpori eius: ergo habuit aliquam rerum scientiam in seipsis, seu in proprio genere. *Fauet Augustinus* 4. *super Genesim*, vbi expressè docet, quòd sunt simul cognitio in Verbo, & cognitio in proprio genere; sed si possunt esse simul, & concedũtur alijs beatis, nulla est ratio, cur denegentur Christo: ergo, &c.

# PROPOSITIO SECVNDA.


## *Christus habuit scientiam per se infusam de rebus in proprio genere.*

3 HAec propositio non probatur sufficienter ex scriptura, aut Patribus: nam illud ad Colossenses 2. nu. 3. *In quo sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ*, potest intelligi de Christo, quà Deus est; & si intelligatur de Christo, quà homo est, sufficeret scientia rerum in Verbo, & scientia per accidens infusa, & acquisita. Idem dicendum est de illo *Lucæ* 2. Adhùc infans sedebat in medio Doctorum, & stupebant omnes, super prudentia, & respõsis eius. Idem de illo Ioannis 7. nu. 15. *Quomodò hic literas scit, cùm non didicerit*: nam ad verificanda hæc, sufficeret scientia per accidens infusa. Probanda est ergo alio ex capite nostra propositio, à qua non dissentit *Scotus*, vt aliqui malè ipsum intelligunt; licèt enim *in 3. dist. 13. quæst. 3.* neget, Christum cognoscere omnia per sciẽtiam per se infusam; cum hoc tamen stare potest, quòd aliqua sic cognouerit, & consequenter quòd detur scientia per se infusa in Christo. Hanc scientiam negant *Diuus Bonauentura in 3. dist. 14. articulo 3. quæst. 1. Alensis 3. parte, quæst. 13. membro primo, & Nominales*, qui admittunt scientiam per accidens tantùm infusam, quæ non distinguitur à scientia acquisita.

4 *Sit ergo ratio probans* nostram propositionem. *Prima*: quia scientia per se infusa aliquarum rerum est possibilis, & est perfectior, quàm scientia acquisita, aut per accidens infusa: ergo attribuenda est Christo, cui tantum dignitatis, & perfectionis tribuere debemus, quantum absque incõuenienti possumus; nullum autem est inconueniens attribuere Christo huiusmodi scientiam, ergo, &c. *Secunda ratio*: quia sicut Christus cogno-

uit in proprio genere alias res clarè, & distinctè, ita verisimile est, ipsum cognoscere in proprio genere vnionem hypostaticam suæ naturæ humanæ ad Verbum, & vnionem possibilem inter alias naturas, & Patrem, ac Spiritum sanctum; sed non per fidem; tùm quòd hæc Christo negatur; tùm etiam, quòd sic non cognosceret clarè. Nec etiam per vllam cognitionem naturalem in substantia; quia aliàs Angelus posset illa naturaliter cognoscere, quod ab omnibus negatur: ergo cognoscit illam per scientiam per se infusam.

5 *Dices*: sufficere Christo scientiam beatam, & per accidens infusam, ac acquisitam: ergo frustrà ponitur per se infusa. *Respondetur primò* distinguendo antecedens; ita vt possit absolutè cognoscere per illas omnia; transeat; ita vt per illas omnia cognosceret omnibus modis, quibus cognosci possunt absque imperfectione, & superfluitate; nego antecedens, & cõsequentiam. Quemadmodùm igitur ab Aduersarijs ponitur in eo scientia infusa per accidens, & acquisita, vt cognoscat aliquas res in proprio genere, licèt secundùm illos cognoscat omnia in Verbo, quæcumque cognoscit; ita similiter ponenda est scientia per se infusa, vt perfectiùs cognoscat res in proprio genere, licèt cognoscat omnia; quæ cognoscit in proprio genere per scientiam acquisitam. *Respondetur secundò* negando antecedens simpliciter, quia multa sunt cognoscibilia in proprio genere, quæ nequeunt cognosci per scientiam acquisita. Vndè ad cognoscendum illa in proprio genere requiritur alia sciẽtia, scilicet per se infusa: nam eadem ratione, qua dicitur Christus cognoscere aliqua in proprio genere, debet dici ita cognoscere omnia sic cognoscibilia, quæ vllo modo cognoscuntur ab ipso.



PRO-

## PROPOSITIO TERTIA.

*Hæc scientia per se infusa data fuit Christo ab initio suæ conceptionis, quantùm ad habitum, seù actum primum adæquatum eius, & etiam quantùm ad aliquos saltem actus.*

6 PRobatur. Quia nulla erat ratio differendi infusionem eius, & facit ad maiorem perfectionem Christi, quod sic semper eam habuerit. *Deindè*, sicut congruum fuit non differre collationem visionis beatificæ, ita congruum fuit non differre collationem huiusmodi scientiæ: & sicut concedimus Angelis, & Adamo ab instanti creationis perfectiones naturales, ita à fortiori debemus Christo attribuere ab instanti suæ conceptionis omnes perfectiones, quæ possent ipsis competere.

## PROPOSITIO QVARTA.

*Non habuit Christus scientiam per se infusam omnium rerum naturalium, quas cognoscebat in proprio genere.*

7 EST cõformis doctrinę *Scoti in 3. dist. 14. quæst. 3.* Probatur propositio. *Primò*: quia nulla est necessitas, aut vtilitas ponendi scientiam per se infusam in Christo de hac propositione speculatiua: *Omne totum est maius sua parte*; aut de hac practica: *Bonum est amandum: malum fugiendum*: Sed Christus cognouit has in proprio genere, ergo, &c. *Accedat efficacior probatio*: quia obiectum finitum ordinis merè naturalis non videtur habere vllam intelligibilitatem, secundùm quod non dicit ordinem actualem, aut aptitudinalem ad aliquod infinitum, cui non posset sufficientissimè, & adæquatè correspondere intellectio aliqua finita naturalis ordinis, tàm extensiuè, quàm in-

intensiuè: sed, hoc supposito, tale obiectum non potest cognosci cognitione fidei supernaturali, & consequenter non potest dari cognitio per se infusa ipsi correspondens, tanquàm obiecto adæquato, & primario. Minor patet, quia, si posset sic cognosci, nulla cognitio finita naturalis ordinis esset illi intensiuè, & extensiuè adæquata. *Per hoc patet* ad obiectionem, qua dicitur, vtilitatem scientiæ per se infusæ de huiusmodi obiectis esse, vt perfectiùs cognoscantur; nam si possent cognosci in proprio genere, vt sunt merè naturalia, perfectiùs, quàm possunt per vllam scientiam naturalem, sequeretur, quòd nulla scientia naturalis esset ipsis, vt sic consideratis, adæquata.

8 *Obijcies primò.* Potest actus naturalis, & supernaturalis in substantia terminari ad idem omninò obiectum formale, & materiale: potest enim quis credere fide Diuina, & humana ob reuelationem Diuinam, quòd canis Tobiæ habuerit caudam: ergo potest Christus de quibuscumq; obiectis etiam naturalibus habere scientiam per se infusam. *Respondetur distinguendo antecedens*; quando illud obiectum materiale, aut formale includit aliquam rationem supernaturalem, aut infinitam, quæ cognoscitur, concedo; quando non, nego antecedens, & consequentiam: non enim posset ob reuelationem vllius creaturæ cognosci actu supernaturali in substantia, quòd canis Tobiæ habuerit caudam, licèt actu supernaturali, & etiam naturali hoc cognosci possit ob reuelationem Diuinam.

9 *Dices*. Deum cognoscere veritates creatas ob motiua creata, vt *omne totum esse maius sua parte* ob intrinsecam connexionem istorum terminorum, & hoc actu infinito, & supernaturali, qui, vt terminatur ad illam veritatem præcisè, non terminatur ad aliquod obiectum motiuum, aut terminatiuum supernaturale, aut infinitum: ergo potest dari actus supernaturalis de obiecto non dicente vllum ordinem ad supernaturale, aut infinitum. *Respondetur primò*: antecedens esse falsum, quia supponit essentiam Diuinam non esse obiectum adæquatum motiuum intellectus Diuini in ordine ad creaturas cognoscendas, quod est contrà communem Theologorum sententiam; & consequenter contra eosdem est, aliquid posse à Deo cognosci, ad quod cognoscendum non mouetur à sua essentia. Vndè actus eius, vt terminatur ad quodcumque obiectum, nequit præscindere ab ordine ad essentiam Diuinam.

10 *Respondetur secundò*: ex suppositione, quòd Deus cognoscat res in seipsis secundùm omnem rationem, secundùm quam sunt

in

in seipsis cognoscibiles, distinguendo antecedens pro secunda parte, actu infinito formaliter, vt terminatur ad talia obiecta, nego; realiter, & identicè, concedo antecedens, & nego consequentiam: quia considerando actum Diuinum, vt terminatum præcisè ad hanc veritatem: *Omne totum est maius sua parte*, ob veritatem intrinsecam, quam habet ex suis terminis, & præscindendo illam ab omni respectu ad vlla alia obiecta, non est infinitus formaliter, licèt realiter sit infinitus; neque vt sic formaliter consideratus superat infinitiès factum quemcumque creatum, qui possit haberi de eodem obiecto: quia obiectum creatum, vt præscindit à respectibus ad alia obiecta, quemadmodùm in se est finitum essentialiter, ita habet intelligibilitatem finitam tantùm: vndè nequit in se cognosci vt sic actu, qui, vt formaliter tendit in ipsum, sit infinitus. *Hinc* desumi potest argumentum ad probandum, quòd vna creatura possit comprehendere aliam secundùm quod finita, & limitata est, & proùt non dicit ordinem ad aliquod infinitum.

11 *Obijcies cum Thomistis*. Poterat Deus, sicut communicauit Angelis, ita communicare Christo species vniuersales, quarum vna mediante posset cognoscere multas species rerum simul, vt hominem v. g. lignum, lapidem, &c. quas non posset cognoscere per species acquisitas; sed scientia habita de illis rebus esset per se infusa: quia ad eam concurrerent species per se infusæ: ergo de rebus naturalibus etiam proùt non dicunt vllum ordinem ad supernaturalia potuit Christus habere scientiam per se infusam. *Respondetur primò* probari hic à Thomistis incertum per æquè, vel fortè magis incertum. Nam Scotistæ meritò negant species illas vniuersales, vt dixi in Tractatu de Angelis. *Respondetur secundò* negando minorem, & consequentiam secundùm ipsos Aduersarios, qui admittunt species vniuersales communicatas Angelis, esse naturales in substantia, vtpotè debitas Ipsis connaturaliter, & solù supernaturales quò ad modum: ergo supernaturalitas cognitionis in substantia non potest ab ipsis desumi.

PRO-

# PROPOSITIO QVINTA.

*Cognitiones Christi independentes à corpore, & similes illis, quas habent animæ separatæ de obiectis merè naturalibus, non fuerunt per se infusæ, nec quòad substantiam, nec quòad modum.*

12 IDem dicendum est de cognitionibus tàm abstractiuis, quàm intuitiuis in genere proprio, quas habuit de virtutibus supernaturalibus, & existentia sui ipsius in Eucharistia. Est conformis principijs Scoti attribuẽtis ligationem ad phantasmata peccato. Probatur prima pars, quia ille cognitiones non sunt supernaturales in animabus seperatis: ergo nec in Christo.

13 *Secunda pars probatur*: quia intellectus ex se, non obstante coniunctione cum corpore, habet producere naturaliter tales cognitiones, & quòd pro hoc statu non producat, oritur ex eo, quòd Deus in pœnam peccati non vult concurrere; ergo, ablato hoc impedimento, tales operationes non essent supernaturales intellectui, nec quòad substãtiam, nec quòad modum; sed illud impedimentum non erat respectũ Christi, neque eius ablatio erat supernaturalis vllo modo respectũ ipsius magis, quàm quicumque alius ordinarius concursus Dei: quia neque ipsum peccatum originale habuit, neque vllum eius debitum; imò positio talis impedimenti esset potiùs supernaturalis, sicut negatio concursus ad intelligẽdum vllo modo esset supernaturalis, & miraculosè. ergo &c.

14 *Petes. Vndè colligatur, quòd intellectus corpori coniunctus habeat ex se vim intelligendi independenter à corpore?*

*Respondetur* id collegi primò, quia nil impedit. Secundò, quia in corpore glorioso habet talem virtutem, & in statu innocentiæ talem virtutem haberet. Quòd defacto ita non intelligat, optimè potest attribui peccato originali tanquàm effectus vnus ex eius effectibus. *Nec refert*, quòd Philosophus dicat, hanc dependentiam à Phantasmatibus esse naturalem: quia cùm ipse non agnouerit peccatum originale, nec alia fidei mysteria, facilè decipi poterat tribuendo illum effectum naturæ, licèt

licèt verè aſcribendus eſſet peccato.

15 *Tertia pars probatur*: quia eadem ratione, qua conceditur Angelis, & animabus ſeparatis cognitio naturalis talium entitatum, debet etiam concedi Chriſto: ſed ex ſuppoſitione, quòd poſſet eas clarè, & intuitiuè cognoſcere naturaliter, non eſt magis posſibilis cognitio per ſe infuſa, & ſupernaturalis de ipſis in proprio genere, quàm de obiectis merè naturalibus. *Confirmatur*: quia illa entia non dicũtur ſupernaturalia, nec diſtinguuntur à naturalibus per hoc quòd non posſint cognoſci naturaliter tàm perfectè, quàm ipſa entia naturalia; ſed per hoc quòd debeantur naturæ, nec posſint ab vlla cauſa naturali produci; imò in eſſe obiecti intellectus ſunt entia naturalisſima, vt dixi in Tractatu de Angelis: ergo non poſſunt cognoſci ſcientia per ſe infuſa magis, quàm quæcumque alia entia naturalia.

16 *Dices*, non ſequitur ex eo, quòd poſſint cognoſci in ſeipſis naturaliter, quin etiã cognoſci poſſint in ſeipſis cognitione ſupernaturali: ergo, quòd cognoſcantur naturaliter, eſt impertinens. *Reſpondetur diſtinguendo antecedens*: ſi conſiderentur, vt ſunt ſupernaturalia tantùm, nego, quia ſic cognitio naturalis eſt ipſis adæquata: ſi conſiderentur ſecundùm aliquam rationem particularem, quatenus ſcilicet ſubſunt rationi ſupernaturali, infinitæ, vel, vt dicunt ordinem ad talem, transeat antecedens, & nego conſequentiam, quia nos loquimur de illis entitatibus ſecundùm ſe ſupernaturalibus, & proùt non dicunt ordinem ad entitatem infinitam.

## PROPOSITIO SEXTA.

*Chriſtus habet ſcientiam per ſe infuſam de Deo ſecundùm quamcumque rationem obiectiuam, ſecundùm quam ſcit ipſum cognitione acquiſita, ſiue dependenter à ſenſibus, ſiue independenter.*

17 PRobatur, quia in Deo eſt cognoſcibilitas infinita, & in creaturis eſt cognoſcitiuitas, vt ordinatur à Deo; ergo nulla cognitio naturalis poteſt eſſe tàm perfecta, quin Deus poſſit aliquã perfectiorem ſupernaturalem in proprio genere communicare,

quia posset cognosci sub eadem ratione terminatiua, & motiua: sed cognitio supernaturalis, qua cognosceretur, vt cognoscitur cognitione naturali, non potest esse visio intuitiua, ergo aliqua alia, & consequenter Christus habet scientiam infusam de Deo sub istis rationibus, sub quibus scit ipsum cognitione acquisita.

## PROPOSITIO SEPTIMA.

*Christus habet species per se infusas de omni obiecto, de quo habet scientiam per se infusam.*

18 Probatur; quia tales species sunt possibiles, & perfectiores quibuscumque speciebus naturaliter acquisibilibus; ergo Christo ob maiorem eius perfectionem concedendæ. Consequentia patet ex eo, quòd Christo sit attribuenda quæcũque perfectio non repugnans ipsi. Antecedens probatur, quia quodcũque cognoscibile scientia per se infusa, habet intelligibilitatem infinitam: ergo nulla species naturaliter acquisibilis, potest ita adæquare intelligibilitatem eius, quin possit dari species supernaturalis, quæ ipsum perfectiùs repræsentaret. Antecedens patet ex dictis: consequentia videtur clara; quia sicut non potest dari naturaliter cognitio ita adæquata tali obiecto, quin possit supernaturaliter dari perfectior; ita de speciebus dicendum est, quòd non possint naturaliter dari tàm perfectæ, quin supernaturaliter perfectiores sint dabiles. *Moneo, me hic per species per se infusas* intelligere non quascumque præsupponentes, vel productas ab entibus supernaturalibus, sed solùm illas, quæ non sunt natæ produci naturaliter à suis obiectis ex suppositione existentiæ obiectorum, seu quæ non possunt acquiri virtute intellectus creati, neque connaturaliter debentur illi etiam ex suppositione existentiæ obiecti.

19 *Dices.* Potest dari scientia per se infusa de illis obiectis, mediantibus speciebus acquisitis, aut per accidens infusis: ergo, vt Christus habeat de illis obiectis talem scientiam, non sunt necessariæ species per se infusæ. Probatur antecedens: quia illa obiecta possunt proponi obiectiuè intellectui per species illas, quibus cognoscerentur naturaliter: sed hoc ipso, quod sic propo-

ponerentur, posset intellectus, concurrente habitu physico supernaturali, habere de ipsis sciẽtiam infusam: ergo, &c. *Confirmatur*, quia sinè speciebus per se infusis habemus fidem supernaturalem: ergo potest dari cognitio supernaturalis absque speciebus per se infusis. *Respondetur distinguendo antecedens*, posset haberi de ipsis aliqua scientia per se infusa; concedo antecedens (& fortè Christus defacto habuit de illis talem scientiam, quia non debemus negare ipsi illam scientiam, quam posset naturaliter habere, quantùm est ex parte obiecti, & potentiæ, qualis esset illa scientia; licèt ex alia parte esset supernaturalis, quatenus scilicet poterat procedere ab habitu supernaturali, vel aliquo auxilio supplente locum habitus) potest dari scientia infusa perfectissima, quæ de illis obiectis haberi possit; nego antecedens, & consequentiam. Itaque non asserimus tales species, vt Christus habeat scientiam infusam simpliciter, sed vt habeat perfectiorẽ, quàm posset habere mediantibus vllis speciebus acquisitis. *Et per hoc patet ad probationem, & ad confirmationem.*

## PROPOSITIO OCTAVA.

*Nec Christus, nec vllus alius, mediante quacumque specie, potest elicere scientiam per se infusam absque supernaturali habitu physico, vel concursu particulari Dei supplente defectum talis habitus.*

20 PRobatur primò. Quia eadem est ratio de quocũque actu supernaturali in substantia, ac de visione beatifica: sed omnes supponunt, intellectum absque lumine gloriæ se tenente ex parte ipsius intellectus, vel aliquo supplente, non posse producere visionem beatificam: ergo, &c. *Sit secunda ratio*: ex indigentia habituum supernaturalium in substãtia, colligitur, quòd intellectus in ordine ad actus supernaturales virtutem completam physicam ex parte sua nõ habeat: si enim talem virtutem haberet, non essent necessarij tales habitus: ergo vltra omnem speciem, vel concursum se tenentem ex parte obiecti, requiritur in ordine ad actus supernaturales in sub-

stantia aliquis specialis concursus ex parte ipsius potentiæ intellectiuæ. *Confirmatur*: quia sicut quædam sunt obiecta secũdùm aliquam rationem ita improportionata potentiæ, vt si essent præsentia (in quo casu non concurrent species intelligibiles secundùm probabilem sententiam) adhùc secundùm illam rationem non mouerent potentiam, nisi supernaturaliter eleuatam; ita debet dici de speciebus quibuscumque talium obiectorum, quòd non possent sub eadem ratione mouere potentiam, nisi supernaturaliter eleuatam: nam eadem prorsùs est ratio.

# PROPOSITIO NONA.

## *Cognitio Christi de futuris in seipsis est talis naturæ quantùm ad naturalitatem, vel supernaturalitatem, qualis est ea, qua cognoscit illa actualiter existentia.*

21 SVppono, Christum posse sinè dubio videre futura in essentia Diuina non minùs, quàm existentia, vt omnes admittunt, quia in hoc nulla est repugnantia. Posset etiam videre eadem futura per reuelationem diuinam, quæ esset ipsi euidens; quamùis enim non detur fortè beatis defacto alia reuelatio de rebus, præter manifestationem earum in Verbo, tamen posset sinè dubio ipsis dari, quia in hoc nulla est implicantia. Neque de his cognitionibus, earumque in substantia naturalitate, aut supernaturalitate hìc dubitatur, sed de alia, quæ haberetur de futuris in seipsis sinè medio extrinseco; qualis, quia supponitur communiter non repugnare, conceditur Christo.

22 *Probatur propositio* (hoc supposito) quia Christus cognouit futura in seipsis: sed non potest intelligi, quomodò sic ea cognosceret, nisi per tales species, & principia, per quæ cognosceret illa, si actù existerent: ergo cognitio, quam habet de ipsis, vt futuris, talis erit quantùm ad naturalitatem, vel supernaturalitatem in substantia, qualis erit cognitio, quam haberet de ipsis vt actù existentibus. Maior probatur, quia talis cognitio est possibilis: ergo Christo concedenda. Antecedens patet, quia

si

si Deus cōmunicaret alicui hodie eas ipsas species, quibus actù determinaretur cras ad cognoscendum, quòd aliqua substantia existeret actù; ille hodie cognosceret, quòd illa substantia existeret cras, quia illæ species determinarent ad cognitionem existētiæ pro duratione sibi correspondenti, qualis esset duratio crastina: sed tales species sunt possibiles: cur enim sicut nos ipsi per species acquisitas iam siue illas, quibus iam scimus rem aliquam existere, siue alias aliquas ad illas sequentes, possumus cognoscere cras, quòd res illa iam extiterit, non potuit similiter Deus communicare nobis heri v. g. tales species, quibus heri cognosceremus, quòd res illa existeret hodie? Non videtur enim magis difficile, quòd per species hodie acquisitas cognoscat quis cras, quòd res hodie extiterit, quàm quòd per easdem, si heri infusæ forēt, cognouisset heri, quòd res hodie existeret; & per hoc patet contra Patrem Vuadingum, talem sciētiam non esse impossibilem.

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Scientia Christi tàm habitualis, quàm actualis de rebus in proprio genere est perfectissima; non positiuè, sed tantùm negatiuè.*

23 Probatur eadem ratione, qua probatur gratia perfectissima, & visio perfectissima. Dixi autem *tantùm negatiuè*, quia Deus sinè dubio posset communicare Angelis, & alijs animabus scientiam tàm perfectam, ac fuit scientia Christi. Aduertendum autem hìc est, quòd non debemus considerare intellectum Christi secundùm se præcisè, aut virtutem suam naturalem, & concursum naturalem obiecti, habitus, aut specierum quarumcumque, quia sic consideratus, cùm idem habitus, idē obiectum, & eadem species possent concurrere cum intellectu Angelico, & ex altera parte intellectus Angelicus sit perfectior, quàm sit intellectus Christi, non posset habere tàm perfectam scientiam siue abstractiuā, siue intuitiuam de rebus in proprio genere, quàm Angelus posset mediantibus ijsdem principijs. Loquimur ergo de intellectu Christi, prout suppleretur defectus perfectionis eius præ intellectu Angelico, Deo specia-

cialiter concurrente, sicut proculdubio concurrere potest, & defacto in multis concurrere admittitur propter maiorem perfectionem Christi.

## PROPOSITIO VNDECIMA.

*Chistus habuit scientiam per accidens infusam.*

24 Est communis, & videtur magis certa in sententia nostra, qui negamus, scientiam per se infusam posse haberi de omnibus rebus in proprio genere, quàm in sententia admittentium talem scientiam: nam si habuit semper perfectissimam scientiam de rebus in proprio genere, & non per se infusam; ergo fuit per accidens infusa. *Deinde*. Hæc scientia non superflueret in sententia etiam admittentium, scientiam per se infusam: quia alio modo cognoscerentur res mediãte hac scientia, ac per scientiam per se infusam: quia mediante hac scientia cognosceret res naturaliter, per se loquendo, licèt per accidens esset infusa, sicut admittitur infusa Angelis, & Adamo, qui res omnes coram ipso per Deum adductas, nouit, & nominibus suis appellauit, ad quod necessaria videtur scientia aliqua infusa. Talis etiam scientia est perfectio naturalis ipsius naturæ, & consequenter Christo attribuenda, cuius perfectiones naturales debemus, quantùm possumus, extollere potiùs, quàm diminuere;

## PROPOSITIO DVODECIMA.

*Christus in decursu temporis vitæ suæ acquisiuit scientiam experimentalem multarum rerum.*

25 Probatur primò ex illo Pauli ad Hebræos 5. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam;* scilicet per experientiam cognouit vim obedientiæ. Item ex illo Isaiæ 8. *Antequàm sciat Puer vocare Patrem suum, & Matrem suam, auferetur fortitudo Damasci.*

*masci*. Et Lucæ 2. *Proficiebat sapientia, & ætate, & gratia*; quem locum licèt aliqui Patres intelligant de profectu in sapientia, quoad manifestationem eius tãtùm; alij tamen quamplures apud *Maldonatum in eundem locum num*. 40. intelligunt de augmento reali scientiæ, sicut & ætatis. *Probatur secundò*, quia hęc scientia non repugnat, estquè perfectio naturæ humanæ, & cõsequitur necessariò ad actus sensuum externorum, quos Christus habebat: nam visio externa obiecti transmittit speciem ad sensum internum, & hinc ducitur notitia ad intellectum, qui ex Phantasiæ operatione excitatur ad cognoscendum idem obiectum, & remanet in intellectu species eiusdem sensationis, qua mediante recordatur postea, sensum habuisse aliquando talem sensationem; & hæc cognitio, qua sic cognoscit, vocatur scientia experimentalis, quia mediante sensuum experientia acquiritur.

26 *Dices*: subsistentia creata est perfectio naturæ humanæ, & tamen impeditur posita subsistentia Diuina: ergo non obstante, quòd scientia acquisita per experientiam, esset perfectio naturæ, debet tamen impediri posita scientia infusa. *Respondetur negãdo cõsequentiã*: quia illæ subsistentiæ repugnant; sciẽtia autem experimentalis nec repugnat infusæ, nec dat effectũ formalem cõtrarium illi, sed dat notitiam eiusdem obiecti diuerso modo, per species scilicet sensuum.

27 *Dices secundò*: Beati vtuntur independenter à phantasia speciebus acquisitis in via: nam estò anima in resurrectione vniatur corpori, non tamen pendebit à corpore magis, quàm antea; at antea potest vti illis speciebus: sed Christus sẽper habuit, quidquid beati habebunt post resurrectionem: ergo poterat Christus habere species omnes, quas nos in corpore acquirimus, & ijsdem vti independenter ab ipso corpore; si autem poterat sic vti illis, non debemus dicere, quòd ipse vnquam cognouerit res illas dependenter à phantasia, & consequenter non habet scientiam experimentalem.

28 *Respondetur primò*, negari posse maiorem: nam posset dici, quòd species, quas in corpore acquirimus, habeant talem dependentiam à phantasmate, seù rebus in phantasia relucentibus, vt non possint vllas res repræsentare, nisi cum recursu ad ipsam phantasiam. *Et si etiam admittatur*, quòd possint tales species repræsentare independenter à phantasmate, non sequitur indè, quin aliquando, saltem quãdo placeret beatis, repræsentarent res, vt relucentes in phantasia; & consequenter non sequitur, quin Christus poterat aliquando vti speciebus acquisitis cum dependentia ad phantasmata.

mata. Vndè, admisso toto primo syllogismo, negatur, quod indè infertur, quia poterat etiam vti illis speciebus depēdenter à corpore, & sic alio diuerso modo cognosceret obiectum.

29 *Responderi potest secundò*, negādo primam cōsequentiam, quia dependentia intellectus à corpore, & eius organis, pertinet ad passibilitatem, quam Christus retinuit: vndè etiam si anima beata possit independenter à phantasia vti speciebus acquisitis, sicut posset propria virtute eleuare corpus suum per aerem independenter ab organis; anima tamen Christi sicut non mouebat corpus suum regulariter independenter ab organis, & dispositionibus corporeis; ita nec vsa est speciebus acquisitis independenter à corpore, sed cum fatigatione capitis, & dolore, labore, sicut nos, quia hoc pertinebat ad passibilitatem assumptam pro nobis.

30 *Responderi posset tertiò* negando vltimam consequentiam, licèt enim sequeretur, Christum non habere scientiam experimētalem fortassis talem, qualem nos habemus, si semper intelligeret res omnes absque vlla prorsùs dependentia ad phantasiam, tamen nō sequitur, quin haberet scientiam experimentalem alterius rationis, quæ terminaretur non solùm ad obiectum cognitum, sed etiam ad sensationem talis obiecti actù existentem, vel præteritam, v.g. cognitio, qua Christus cognouit non solùm calorem, sed etiā sensationem, quam ipse habuit de calore, vocatur cognitio experimentalis, quia per illam cognoscit calorem, vt reuera experientia perceptum. *Et si dicas*: Christum scientia per accidens infusa percepisse calorem cum ordine ad sensationem, & consequenter, vt sic percipiat, non esse necessariam scientiam experimentalem. *Respondetur*, Christum scientia per accidens infusa cognouisse istam sensationem solùm abstractiuè; scientia verò experimentali cognouit eam intuitiuè, vt præsentem, & postea recordatur, se habuisse talem sensationem, & ideò illa cognitio dicitur experimentalis.

31 Petes: *An in vnione hypostatica* (quam supra diximus cognosci in proprio genere, vel in seipsa ab intellectu Christi) *tanquàm in medio potuerit Christus cognoscere mysterium Trinitatis?*

*Respondetur primò*, non quamcumque cognitionem etiam intuitiuam vnionis hypostaticæ sufficere, vt ex ea Christus cognosceret euidenter Trinitatem personarum. Probatur, quia si ipse filius, vt multi Scotistæ tenent, possit videri intuitiuè absque eo, quòd videatur Spiritus sāctus, multò magis potest vnio ad filium intuitiuè videri sinè visione Spiritus sancti. *Deindè*: ad

ad hoc vt aliqua res videatur intuitiuè, non est necesse, vt vi-videatur quæcumque alia, cum qua talis res habet cōnexionem aliquam etiam necessariam, quia aliàs qui intueretur creaturam existentem, deberet necessariò cognoscere Deum Trinum, cùm talis creatura habeat necessariam connexionem cum Deitate in tribus personis, siue ab extrinseco, siue intrinseco, parum refert ad propositum: nam eodem modo, quo diceretur hæc connexio cum Deo Trino esse per accidens, vel ab extrinseco, poterimus nos dicere connexionem vnionis hypostaticæ cum persona Spiritus sancti esse ab extrinseco.

32 *Dices*. Visio intuitiua debet esse rei, vt distinguitur à quocũque alio: sed non potest cognosci vnio hypostatica, vt distinguitur à quocumque alio, quin cognoscatur, vt distinguitur à Patre, & Spiritu sancto, & ab vnionibus hypostaticis possibilibus ad eosdem: ergo non potest dari visio intuitiua vnionis, quin cognoscatur tota Trinitas. *Respondetur*, si hoc argumentum valeret, probaret, quòd nullius rei intuitio possit haberi, quin cognoscatur quæcumque alia res, etiam Sancta Trinitas; & consequenter quòd Angelus, vel anima separata non possint naturaliter intueri vllam aliam rem etiam creatam, quia aliàs naturaliter cognoscerent euidenter mysterium Trinitatis, & omnia possibilia; quæ videntur nimis absurda.

33 *Vndè distinguo maiorem*: debet esse rei, vt distinguitur à quocumque alio fundamentaliter, scilicet debet esse talis, vt virtute ipsius possit cognosci, quòd res illa sit distincta à quocumque alio, si quodcumque aliud intellectui proponeretur, concedo maiorem; debet esse talis, vt actù per illam cognoscatur res illa, vt formaliter distincta à quocumque alio, nego maiorem: quia non potest sic cognosci, quin cognoscantur omnia, à quibus distinguitur. Aliud igitur est habere visionem rei, quæ distinguitur, & qua mediãte possent etiam cognosci, vt distincta, si alia actù ad ipsam cōpararentur. Aliud habere visionem, qua actù cognoscerentur res, vt formaliter distinctæ ab omnibus alijs.

34 *Respondetur secundò ad quæsitum*. Probabile esse, Christum habuisse cognitionem intuitiuã vnionis hypostaticæ, virtute cuius cognouit euidenter Trinitatem personarum, & consequenter ipsum in vnione hypostatica, tanquàm in medio cognoscere mysterium Trinitatis. Probatur, quia talis cognitio est possibilis: ergo Christo concedenda. Antecedens probatur: quia Christus poterat videre illam vnionem, non solùm vt ostendat personam filij; sed etiã

quatenus eam ostendit, vt distinctam ab alijs personis; sed hoc nō posset facere, nisi ostendēdo, esse alias personas: ergo, &c. Maior probatur: quia nulla est repugnantia, quòd Christus videat intuitiuè suam vnionem hypostaticam sub illa particulalari ratione, sub qua terminatur ad filium, vt distinctum ab alijs personis, & sub qua ipsa vnio distinguitur ab vnione possibili ad Patrem, & Spiritum sanctum; sed sic cognita determinaret intellectū ad cognitionem euidentem Sanctissimæ Trinitatis, quia illa diuersitas vnionum habet necessariam connexionem cum Deitate terminorum, nec cognosci possit, quin cognoscatur illa diuersitas terminorum. igitur.

35 *Ex dictis facilè* colligi potest, quodnam sit obiectum scientiæ per se infusæ; & acquisitæ. Obiectum itaque scientiæ per se infusæ in nostra sententia erit ens infinitæ simpliciter intelligibilitatis, vel alia, vt dicunt ordinem particularem ad tale ens. In aliorum verò sententia, qui dicunt, de quocumque ente sub quacumque ratione etiam naturali posse haberi scientiam per se infusam, quodcumque tale ens, etiam sub illa ratione, erit obiectum scientiæ per se infusæ. Per hanc tamen scientiam non videtur ipse Deus intuitiuè: quia omnis visio intuitiua Dei est beatifica, sed solùm abstractiuè. Obiectum scientiæ per accidens infusæ, & acquisitæ, est quodcūque ens, etiam entia, quæ in substantia sunt supernaturalia, si considerentur secundùm se, & prout non dicunt ordinem ad ens supernaturale simpliciter: contra plures Recentiores, qui dicunt, hæc entia supernaturalia non posse cognosci, nisi per cognitionem per se infusam.

36 *Dices*. Hinc sequeretur, quòd cogitationes cordium, siue sint naturales, siue supernaturales, possint naturaliter cognosci: sed hoc videtur falsum, igitur, &c. *Respondetur*, concedendo sequelam maioris; nec indè aliquid absurdi sequitur. Vndè concedo, Christum de facto per scientiam omninò naturalem cognouisse secreta cordium. Quòd autem nos illa non videamus, oriri potest ex dependentia intellectus pro hoc statu à phantasmate, & sensibus: cùm enim cogitationes cordium aliorum non cadant sub sensibus nostris, non potest intellectus noster sensibus alligatus eas cognoscere. Quod autem Angelus, aut anima separata non videant illa secreta, oritur ex eo, quòd Deus non permittat, nec concurrit ad talem cognitionem:

37 *Dices*: sequeretur, quòd intellectus creatus posset naturaliter cognoscere euidēter mysterium Trinitatis, quod est absurdum. Sequela patet, quia ex dictis potest naturaliter videre assensum

su-

ſupernaturalem fidei de exiſtentia Trinitatis: ſed non poteſt hunc aſſenſum videre, quin cognoſcat euidenter Trinitatem: ergo,&c. *Reſpondetur, negando ſequelam maioris*, & diſtinguendo maiorem ſuæ probationis. Poteſt naturaliter videre iſtum aſſensum entitatiuè, & secundùm se sumptum, concedo; formaliter sumptum, vt respicit Trinitatem, nego maiorem, & diſtinguo ſimiliter minorem, & nego conſequentiam. Admitto tamen, Chriſtum defacto per aſſensum fidei de exiſtentia Trinitatis, tanquàm per medium cognitum cognitione per se infusa, cognouiſſe euidenter eſſe Trinitatem personarum. *Nec obſtat*, quòd aſſensus iſte dicatur repręsentare Trinitatem illi soli, in quo eſt; *hoc enim eſt verum*, loquendo de illo aſſensu, quatenus eſt actus vitalis, quo quis aſſentiatur Trinitati; falsum verò eſt, ſi loquamur de illo in ratione obiecti cogniti, ex cuius cognitione poteſt intellectus deuenire in cognitionem alterius.

# DISPVTATIO SEXTADECIMA.

## *De Potentia Chriſti.*
## *Vtrùm Chriſtus habuerit omnipotentiam?*

1 NOta, quòd omnipotentia addit aliquid supra infinitam Dei potentiam, quæ dicit entitatem, & modum quẽdam abſolutum in Deo, & quòad intenſionem,& quòad extenſionem. Quid verò ſit illud additum? dic, quòd eſt modus quidam, seù respectus relatiuus, conſiſtens in quadam vniuersalitate respectù cuiuscumque rei creabilis mẽdiatè, vel immediatè, tàm immediatione cauſæ, quàm virtutis, & ſuppoſiti; qui respectus nõ dicitur realis, quaſi verò in Deo ſit aliquis respectus ad creaturam, cùm non ſit, nec actualis, nec aptitudinalis, nec prædicamentalis, nec transcendentalis, vt docet *Scotus in primo d.18. quæſt. vnica D. & diſt. 30. quæſtione 2. littera O.* sed dicitur realis à parte rei creabilis, quia immediatè causatur à Deo secundùm fundamentum reale. *Moneo*, omnipotentiã eſſe duplicem; vnam dico Theologicam, alteram Philosophicam; hæc, vt cõcipitur à Philosophis importat, eſſe Deum agentem omninò primum, independentem, à quo omne aliud agens intermedium moueatur, & à quo omne aliud à ſe, efficiatur, vel immedia.

diatè, vt posuerunt creationem primæ intelligentiæ, vel Mundi; vel mediatè interuentu causarum secundarum, quas necessariò adhibet in causãdo, tùm in genere efficientis, tùm in genere materialis. Theologica omnipotentia, quæ scitur lumine fidei, importat possibilitatem attingentiæ omnium creabilium, quæ non repugnant; immediatè immediatione causæ virtutis, & suppositi, ita vt Deus absolutus sit in agendo à consortio secundarum causarum in quocũque genere efficientis, vel materialis.

2 *Prima omnipotentia* potest ostẽsti demonstratione *quia* solo lumine naturali, & demonstratione *propter quid*, supposito, quòd Deus sit primum ens, & primum efficiens, omninò à se independenter ab alio. *Secunda omnipotentia*, licèt in se sit demonstrabilis *à priori*, & demonstratione *propter quid*: cùm sit propriè necessaria, & per se, habeatquè medium à priori, quamuis non sit euidens ex terminis, & possit aliquis viator, qui in hoc statu vix habeat claram, & distinctam notitiam Dei, quæ non repugnet, talem omnipotentiam, vt sic, à priori ostendere; tamen lumine naturali est indemonstrabilis vtraque demonstratione. *Patet*: quia ad demonstrandum *propter quid*, cognosci debet euidenter medium, & termini, in quo includuntur præmissæ: sed naturaliter non potest Deus cognosci secũdùm huiusmodi prædicata secundùm proprium cõceptum; sed secundùm conceptus communes, & arguitiuè; ergo, &c. *Ad demonstrandum* à posteriori, seù ab effectu, necessariò cognoscendus est essentialis ordo ad effectum: sed dato, quòd Deus sit prima causa respectù omnium causarum, non sequitur ab intrinseco, posse omnes causas mouere, & attingere immediàtè eorũ effectus; vel quòd possit illos attingere sinè illarũ consortio: nam Philosophi posuerunt primum, & negauerunt secundum, imò si concessissent, dicerent, necessariò ponendam esse nouitatem, & imperfectionem in prima causa. ergo &c.

3 *Volo tamen* admonitos Lectores, quòd estò ex naturalibus indemonstrabilis sit vtroque modo huiusmodi omnipotentia Theologica, potest tamen ratione probabili suaderi tanquàm verum necessarium, & probabilius, quàm aliqua alia veritas credita. *Patet*. Quia Dei potentia est formaliter infinita, & virtualiter, seù eminenter continet actiuitatem cuiuslibet causæ secundæ, atque adeò probabile est, Deum sua virtute esse omnipotentem Theologicè, & probabiliùs: nam secundùm Scotum, veritatum creditarum vna potest esse naturaliter notior, quàm alia; & magis illa, quæ innititur medio probabiliori. *Si dica-*

*dicatur*. Solo lumine naturali potest probari, Deum attigisse aliquem effectum immediatè; ergo omnem effectum potuit sic attingere sinè consortio causarum secundarum. *Respondetur cum Scoto quolideto* 7. falsam esse consequentiam: nam potuit primum, & perfectissimum effectũ producere, sed nõ imperfectos, nè imperfectio refundatur in causã, quæ ad mentem Philosophorum agebat de necessitate naturæ. *Dices*: nihil est imperfectius materia prima: at naturaliter notum est, produxisse materiam se solo ex nihilo; ergo falsa responsio Scoti. *Dico primò*, quòd non potest naturaliter demonstrari, Deum se solo produxisse materiam primam, sed solùm potest demonstrari Theologicè. *Respondeo secundò*, quòd Philosophus diceret, Deum creasse materiam simul cum forma, & sic necessariò cum admixtione causæ secundæ.

4 *Replicabis ex Suarez*: naturaliter est notum, Deum habere infinitam potẽtiam simpliciter, quam potest in omnem effectũ possibilem: sed hæc est definitio omnipotentiæ; ergo, &c. *Dico*, quòd, concessa infinitate potentiæ in omnes effectus, non probatur omnipotentia, quæ requirit immediationem causæ, virtutis, & suppositi, excludendo consortium causarum secundarum. *Si vrgeatur*, quòd sit perfectissima potentia Dei. *Respondeo*, quòd Philosophus diceret, quòd quantò causa prima est perfectior, tantò deberet agere per plures causas intermedias; solũ requirit perfectio in causa, & eminentia, vt agat perfectò modo in ordine suò, qui est, vt sit causa superior, & remotior propter essentialem ordinem, quæ seruant prima, & secunda causa. *Nota*, quòd potest optimè saluari conceptus talis omnipotentiæ in Deo, non solùm in se, & absolutè spectata, vt dicit aliquid ad se, & perfectionem quandam, quà Deus à parte rei dicitur potens, etiamsi nulla fuisset creatura: sed etiam, vt dicit respectum ad omne ens possibile, vt suũ terminum adæquatum, etiam datis à parte rei entibus impossibilibus, & dicentibus repugnantiam, sicut defacto talia multa dantur; patet: quia omnipotentia, adæquatè sumpta, constituitur in ordine, & formaliter præcisè ad ens possibile, cui intrinsecè verum esse non repugnat, ergo non respicit ens impossibile: ergo dato ente impossibili à parte rei, non læditur, nec per somnium Diuina omnipotentia.

PRO-

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Omnipotentia nec per potentiam Dei absolutam potest communicari alicui creaturæ.*

5 PRobatur ratione *Scoti in 3. dist. 16. quæst. 1. ad solutionem secundi argumenti principalis littera E.* Si omnipotentia creaturæ communicaretur, non posset esse, nisi illa creatura in se haberet in se vnam, vel plures formas, in qua, vel in quibus radicetur potentia omnium possibilium possibiliter faciendorum; istæ repugnāt: ergo, &c. Minorem probo: aut hæc forma esset accidentalis, aut substantialis; non primo modo; etenim accidens, quà tale, non potest habere virtutem producēdi substantiam. Dixi *quà tale*, etiam si esset vera (quod tamen non concedimus) opinio illorum, qui dicunt, accidens producere substantiam; ex hac, inquam, opinione, neq; sequeretur, quòd talis forma accidentalis posset producere substantiam: non enim haberet id virtute substantiæ, cui coniungeretur, scilicet animæ; esset ergo forma substantialis, per quam inesset creaturæ omnipotentia; at id est falsum. *Tùm quia* talis esset infinita: quia contineret omne possibile fieri eo modo, quo alibi etiam Scotus, scilicet, *in primo, dist. 1. quæst. prima*, arguit contra illos, qui dicunt, vnam formam posse satiare appetitum materię; ea etenim foret infinita, vtpotè continens omnes formas, ad quas materia illa esset propensa; similiter in re nostra, talis forma substantialis foret infinita, quia contineret omne possibile fieri. *Tùm secundò*, quia talis forma substantialis non posset conferri animæ Christi, aut Angelo, remanētibus eisdem in suo esse: quia talis forma substantialis variaret esse Angeli, & animæ.

6 *Accedat secunda ratio.* Talis omnipotentia essentialiter imbibit infinitatem intensiuam, vel saltem extensiuam respectù entium possibilium: sed hæc necessariò radicatur super infinitatem intensiuam; non enim posset extendi ad infinitos effectus simul, nisi in se contineret infinitatem intensiuam; nam sicut eruditè tradit *Scotus in 3. dist. 14. quæst. 2. in Calce*; licèt infinitas extensiua passiua, sicut est in materia ad recipiendas infinitas formas (si tamen est receptiua infinitarum formarum) non inferret

ferret infinitatem intensiuam in receptiuo; tamen extensiua ad aliqua, vt ad effectus simul causabiles, necessariò infert infinitatem intensiuam; cùm talis pluralitas in omnibus inuoluat maiorem perfectionem in agendo, non autem in recipiendo. *Adde*, quòd omnipotentia non potest communicari, quia excludit consortium cuiuscumque causæ; at nulla est dabilis creatura, quæ valeat agere, nō concurrente secū prima causa: ergo, &c. *Adde*, quòd qua ratione Deus posset communicare omnipotentiam vni creaturæ, eadem ratione valeret eamdem omnipotentiam communicare alteri creaturæ, & sic forent duæ creaturę omnipotentes; vel, vt meliùs dicam, nulla ex illis foret omnipotens: cùm vna minimè haberet dominium supra alteram. *Adde*, quòd *Scotus in 4. dist. 1. quæst. 1.* tenet, creaturam non posse esse causam principalem, nec instrumentalem physicam in creatione: quomodò ergo posset esse virtus creaturæ infinita? quomodò omnipotentia, si non valeret se ad creabilia extendere?

7 *Sit altera ratio*. Ex Aristotele operatio sequitur esse rei; vndè maior non potest esse operandi facultas, quàm sit entitas rei: omnipotentia dicit infinitam agendi potestatem; vndè requirit in agente, & operante infinitam entitatem; certum autem est, omnem creaturam fuisse limitatam, & finitam secundùm entitatem, & naturam suam; ergo non potuit sibi communicari omnipotentia, sicut nec potuit humanitas Christi fieri infinitæ, & illimitatæ naturæ. *Deindè*. Ea sola potentia dicitur omnipotentia, quæ se extendit ad omnes effectus possibiles: sed non potest tribui creaturæ potentia ad quodcumque possibile: nam non potest seipsam facere illa creatura, cùm tamen ipsa sit ex se possibilis; ergo implicat, omnipotentiam tribui creaturæ.

8 *Nostram propositionem impugnant*, quæ sequuntur argumenta. *Primum*. Potest Deus cōmunicare creaturæ corporali suam immensitatem, etsi non modum suæ immensitatis; ergo poterit & communicare creaturæ suam omnipotentiam, quamuis non modum omnipotentiæ. *Confirmatur*. Quia per *Scotum in 4. dist. 10. quæst. 2.* potest Deus facere, quòd vnum corpus sit vbique, non tamen sicut Deus: quia Deus est vbique per suam essentiam præsens, & necessariò; corpus autem non per essentiam foret vbique, sed per potentiam sibi communicatam, & contingenter, & non necessariò. *Respondetur*, quòd fortè non tenet paritas de immensitate, & omnipotentia: quia immensitas est modus intrinsecus, non attributum. Negamus ergo Deum posse communicare creaturæ immen-

mensitatem: Scotus loco citato nihil aliud concedit, nisi potentiam passiuam in creatura corporali ad esse vbique; omnipotentia verò minimè est potentia passiua, sed actiua; ergo, &c.

9 *Secundum argumentum*. Sacerdos pronuncians verba consecrationis, physicè posset producere Corpus Christi sub accidētibus, etiamsi Corpus Christi non haberet esse modo naturali secundùm *Scotum in* 4. *dist.* 10. *quæst.* 4. §. *hic duo sunt videnda, &c.* hoc non potest Sacerdos per suā naturalem virtutem; ergo per omnipotentiam Dei illi communicatam. *Dices*, hoc posse Sacerdotem per virtutem sibi communicatam per modum virtutis assistentis, non tamen per virtutem sibi intrinsecè inexistentem. *Replicabis*, quòd verba consecrationis habent virtutem operatiuam: ergo si Sacerdos operatur per verba consecrationis, dicendum est, quòd illi Sacerdoti sit communicata omnipotentia. *Respondetur*, concedendo totum vsque ad illud, quod dicis, quòd Sacerdos faciat Corpus Christi esse per omnipotentiam sibi communicatā, & dico, quòd facit ibi esse ex vi verborū, sed omnipotentia Dei ipsi Sacerdoti assistit. Concedo etiā, quòd sermo ille sit operatiuus, & verba illa practica, & efficacia; nego tamen, quòd virtus possit esse in eis per inexistentiā.

10 *Replicabis*. Omnipotentia fuit communicata animæ Christi: ergo nulla nostra propositio. Antecedens probo: Christus physicè pronunciando illa verba: *hoc est corpus meum*, consecrauit; trāsubstantiatio autem est opus omnipotentiæ. *Respōdetur*, quòd verba Christi fuerūt causa physica instrumentalis in consecratione, effectiua tamen moraliter tantùm; causa verò effectiua physica fuit virtus Diuina. *Cōtra*: Christus fuit causa transubstantiationis magis, quàm purus Sacerdos; hic est instrumentalis tātùm: ergo Christus fuit causa principalis. *Dices*, Christum non fuisse causam immediatam. *Contra* Corpus Christi secundùm Theologos, & secundùm doctrinam *Tridentini sessione* 13. *cap.* 3. ex vi verborum est sub speciebus sacramentalibus; ergo Christus proferens illa verba, inquātùm homo, fuit causa immediata transubstantiationis. *Respondetur*, quòd Christus, vt homo, fuit magis causa instrumentalis, quàm purus homo Sacerdos: quia hic est causa ministerialis, vel instrumentalis separata; humanitas verò Christi causa instrumentalis coniuncta cum verbo Diuino. Et si accipias absolutè Christum, dicens suppositum duarum naturarum significatiuum; concedo, quòd Christus fuit causa physicè agens: quia est Deus, & omnipotens per essentiam. Quando dicis, quòd Corpus Christi ex vi verborum sit sub speciebus.

Ve-

Verum dicis,est ex vi verborum sub speciebus,sed non ex vi physica, sed ex vi morali: voluit enim Deus, vt ad prolationem illorum verborũ fieret ibi infallibiliter Corpus Christi, & sicut voluit, sic facit, & non decipit.

11 *Tertium argumentum*.Christus ex virtute circà vnum effectum supernaturalem argumentatus est virtutem circa quæcumque. Vndè Matthæi 9. nu.6.dicit: *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in Terra dimittendi peccata (tunc ait Paralytico) surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Christus, vt homo, habuit potestatem, seù virtutem super aliquos effectus omnipotentiæ, vt constat ex illo Lucæ 6.nu.19. *omnis turba quærebat eum tangere:quia virtus de illo exibat, &c.* Quæ virtus? creata? Hæc non erat satis ad opera miraculosa: ergo erat virtus omnipotẽs,& ista existebat in Christo. *Respõdetur*,verũ esse,quòd ex virtute circa vnũ,cõcluditur & virtus circa alia; (hoc sit gratiosè dictũ) sed nego,quòd illa virtus fuerit in humanitate Christi per inexistẽtiã,sed fuit ibi per rationem vnionis hypostaticæ,& hoc probant authoritates adductæ.

12 *Quartum argumentum*. Potest naturæ rationali communicari omnis scientia; ergo omnipotentia. Antecedens patet *ex 3. dist. 14. quæst.2.* vbi sustinet Scotus, animam Christi videre omnia in Verbo, quæ Verbum videt. Consequentia patet à simili: cùm non sit magis illimitata omnis scientia, quàm omnipotentia: *Respondet Scotus ibi*, negando paritatem: nam non est simile, omnia agere, & omnia intelligere:nec est idem formaliter; quia vnum est actio de genere actionis, & reliquum de genere qualitatis. *Respondeo secundò*, quòd omnis scientia potest concipi, vt vnica forma infinita, & vnica actio apta, & sic non potest communicari, quia est proprium Dei attributum,vt vnica cognitione cognoscat infinita; vel vt per infinitas cognitiones causatas à Deo, & receptas in anima Christi, & sic verum est: non tamen potest esse ita de omnipotentia, quæ vnicam dicit entitatem absolutam, & independenter. *Meo videri* meliùs respondetur rationibus illis primis, quibus fuit probata nostra propositio.

13 *Quintum argumentum*: omnipotentia saluatur, vt possit attingere infinita, non in specie, quod repugnat secundùm Scotum, sed in numero, & non in actu, sed in potentia: sed aliqua virtus finita potest attingere infinitũ syncathegorematicè, scilicet finita in infinitũ: ergo,&c. *Respondetur*,quòd non esset vera omnipotẽtia,si respiceret infinita syncathegorematicè:quia debet esse ad infinita cathegorematicè simul, & licèt defacto non sint, possunt tamen esse.

*Replicabis*. Deus potest communicare æternitatem, & immensitatem creaturæ; ergo potest & omnipotentiam communicare. *Respondetur*, quòd solùm est cum dependentia, & communicatio alicuius formæ extrinsecæ, vt est coexistentia ad omnes partes temporis, & loci, & hoc non implicat; implicat tamen de omnipotentia, quæ necessariò inuoluit independentiam.

14 *Nota*, benè saluari omnia, quæ videntur in Scriptura cōcedere omnipotentiā humanitati Christi, etiamsi dicamus, ipsam ad opera superna solùm concurrisse moraliter: nam si quis præsentet Chyrographum manu alterius subscriptum, ex quo debitor soluit centum, benè potest dici, virtutem aliquam in Chyrographo fuisse, quòd suam pecuniam reciperet; sic Christo Domino secundùm humanitatem precantem, vel volentem, operabatur Deus miraculosè; nec est arbitrādum, qualitatem aliquam, siue spiritualem, siue corpoream à Christo exire ad effectum miraculosum; sed virtus exiens est ipsemet effectus productus; in imperando autem ostendebat omnipotentiam. *Multi vrgent* contra nos Concilia, & Patres, à quibus asseritur, humanitatem Christi fuisse organum, siue instrumentum Diuinitatis. *Respondemus*, Sanctos Patres velle humanitatem fuisse realiter, & physicè coniunctam Diuinitati; quòd autem physicè, vel moraliter concurrerit, Theologis disputandum relictum est. *Solent proponere* contra nos argumentum à paritate Sacramentorum, quibus videtur communicata physica virtus; ergo multò magis illa est concedenda Christo, qui est author Sacramentorum. *Proindè sit*.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Non fuit in Christo omnipotentia.*

15 Veritas propositionis est sufficientissimè probata ex propositione præcedente. Cum ergo non fuerit in Christo omnipotentia; ergo nec ipse omnipotēs fuit: quamuis propter communicationem idiomatum Christus possit dici omnipotens, illa tamen omnipotentia non conuenit ei, quatenus homo est, sed quatenus homo in vnitate suppositi Diuini ita subsistit, vt sit homo Deus. *Moneo*, quòd sicut in Christo agnoscimus summam gratiam, summam fruitionem, summam scien-

sciẽtiam, ita in eodem, oportet, agnoscamus summam potentiam, quæ possit communicari creaturæ. Hinc colligimus, potentiam patrandi miracula in Christo homine fuisse nobiliorem, & nobiliori modo, quàm in hominibus, atque Angelis, quibus cõcessit facultatẽ faciẽdi miracula: quia vis, & facultas hæc à Diuinitate pendet, & ita qui magis est cõiũctus Deo, maiora facere potest; Christus autẽ fuit coniunctissimus Deo: ergo maiorem habuit vim faciendi miracula, quàm quilibet alius.

16 *Dices*. Ab effectibus deprehendi debere dignitatem, & excellentiam causæ, & ab alijs Sanctis fuisse facta maiora his, quæ Christus fecit, ipso Christo dicente apud Ioan. 14. nu. 12. *Qui credit in me opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet*. Et in actibus Apostolorum legimus, multos infirmos vmbra Diui Petri sanatos fuisse, quod de Christo nunquàm legimus; & credibile est, nunquàm factum, quia aliàs reperiretur scriptum: vndè videtur in talibus fidelibus maiorem fuisse potentiam faciendi miracula. *Respondemus*, maiorem veram esse in causis naturalibus, & necessariò agentibus, non autem in causis liberis; Deus, qui est principalis causa miraculorum, est agens liberum: vndè cum minori potentia concessa vni, per illum, maiora facit miracula, quàm cum altero, cui maiorem dederit operandi potentiam. Licèt igitur verum sit, quòd ab alijs Sanctis factum sit id, quod Christus non fecit; tamen dicimus, Christum, & hoc ipsum potuisse facere, si voluisset. In hoc superat potentia Christi ad faciẽda miracula potentiam alijs Sanctis concessam; quòd Sanctorum nullus potuerit facere miracula, quæ voluerit; at Christus solus, quæcumque voluit facere miracula, potuit. Ratio istius distinctionis est, quòd nullus Sanctorum sciuerit, quænam esset voluntas Dei circà futurũ miraculũ: propterea poterant velle facere miracula, quæ, cum Deus nollet, non fiebant: Christus verò, etiam quatenus homo, & creata scientia voluntatem Diuinam sciebat, cui cum in omnibus conformaretur, ea solummodò volebat facere miracula, quæ futura præuidebat, inspecta voluntate Diuina.

17 *Obijciet aliquis*, Christum multa voluisse, quæ tamen non fecit, nec facere potuit, vt cùm orauit, transferri à se calicem. Hæc namque oratio significat, Christum liberari voluisse à morte, & hanc liberationem à Patre petijsse. Et Marci 6. n. 5. de Christo legimus: *non poterat ibi virtutem vllam facere, nisi paucos infirmos, impositis manibus, curauit*. *Hæc, & alia soluuntur*, si dixerimus, ea, quæ Christus voluit

facere, esse in duplici differentia: nam quædam voluit voluntate consequente, & efficaci, quæ omnia facta sunt; quædam voluit sola voluntate conditionata, & ex hypotesi, si Deus videlicet aliter non decreuerat; & quia huiusmodi volitio est ineffficax, non omnia facta sunt, quæ Christus hac voluntate fieri voluit. *Adde*: dicitur Christus, quædam non potuisse facere; intellige, non quòd non potuerit potentia sua absoluta, sed quia indecens erat; eo modo solet vir iustus, & timoratus dicere petenti aliquid iniustum, id nequaquam se posse facere, repugnante videlicet iustitia, & integritate viri probi.

## *Notantur aliqua de Miraculis, & de mirabilibus, vt meliùs intelligantur opera Christi.*

18 M*Iraculum vocatur opus arduum, & insolitum. Arduum* quippè ex parte operantis Dei, raròagentis tàm in ordine naturæ, quàm gratiæ ad facienda miracula, quæ communiter sunt contra, vel præter leges præfixas ab ipso Deo. *Insolitum* autem ex parte nostra, contra communem seù solitum naturæ cursum. Hinc aliqui distinguũt inter miraculum, & mirabile: miraculum enim est opus excedens facultatẽ naturæ creatæ secundùm rem, & secundùm modum; mirabile verò est quidem opus insolitum, sed non excedens absolutè facultatem totius naturæ creatæ: sed solùm factum est præter communem ipsius naturæ ordinẽ. Fortè meliùs dicitur, quòd opus mirabile dicitur dupliciter; vel quia admiratio oritur ex ignorantia mirantis, quia viso effectu, causa remanet occulta, & ignota miranti solùm per accidens; & tunc opus est à natura, seù non excedit facultatem naturæ, sed ex imperfectione mirantis nescitur causa; & tunc secundùm quid opus dicitur mirabile. Vel per se causa remanet ignota, quia reuera procedit effectus à causa supernaturali excedente in infinitum facultatem naturæ, & hoc est verè opus mirabile, & non differt à miraculo.

19 *Obseruo etiam*, quòd duplex est ordo, scilicet naturæ, & gratiæ, & consequenter duplex est opus miraculosum; vtrumque est à solo Deo, tunc est ab authore gratiæ, dùm facit aliquid spectans ad ordinem gratiæ secundùm absolutam suam potẽtiam contra, vel supra leges abeo præfixas, vt fortè fuit liberatio animæ Traiani Imperatoris ab inferorũ flammis per Diui Gregorij

gorij deprecationem, & quid aliud huic simile. Est ab eodem Deo authore naturæ factum contra communem naturæ cursum præter naturalem eius exigentiam: vt illuminatio Cœci nati, resurrectio Lazari, & his similia. *Hinc collige*, quòd nulla creatura, nec humana, nec Angelica possunt facere opera miraculosa, & verè mirabilia, nec ex se physicè principaliter, nec instrumentaliter, nec in assumptis corporibus. Patet ex Sacra Scriptura iuxta illud: *Qui facit mirabilia magna solus, &c.* Probatur ratione: opus factum ex naturalibus causis, vel miraculosum, non dicitur, nisi quia rarò solet fieri, sed non excedit naturæ facultatem: sed quod rarò fit, non facit opus miraculosum, quia tunc eclipsis esset miraculum: ergo.

20 *Moneo etiam*. quòd multis modis potest aliqua creatura humana, vel Angelica facere aliqua prodigiosa, seù mirabilia secundùm quid. *Primò*, sicut faciunt homines præstigiatores manuum celeritate, remouendo vnum, & substituendo aliud. *Secundò*, applicando actiua passiuis, vt Magi Pharaonis fecerunt ranas ex materia disposita ad illarum generationem. *Tertiò*, in artificialibus, quando magna celeritate inducitur forma artificialis. *Quartò*, in aere causando mutationes, ita vt opinentur videre Ceruos, Equos, Leones, &c. quia immutando potentiam phantasticã per species, & phantasmata faciũt, vt videamur videre homines volantes, &c. sed nihil istorum est miraculum, sed est mirabile secundùm quid. Quando dicimus Sanctos, vel Angelos facere miracula; potest intelligi dupliciter; physicè principaliter, vel instrumentaliter, & hoc non; vel moraliter, scilicet per intercessionem: quia ad eorum preces Deus immediatè illa facit: vel saltem quòd aliqua creatura præparat, & disponit materiã ad faciendum miraculum; sed Deus facit, &c.

21 *Notent curiosi*, quòd penès quatuor discernuntur vera à falsis miraculis. *Primò* ex parte principalis Agentis: quia agens infinitæ virtutis operatur supra naturã in rebus veris; & in falsis operatur natura adiuta per alias rerum naturas: sicut conuersio virgarum in serpentes respectù Moysis fuit in veros serpentes ex veris virgis: sed Magorum fuit apparens; quia virgæ non fuerunt conuersæ, licèt fuerint facti verè serpentes aliundè, applicando actiua passiuis. *Secundò* ex parte Ministri: quia falsa fiunt per priuatos contractus: quia Magus operatur per pactũ initum cum Dæmone, & illud pactum initum cum priuata persona est priuatus contractus; sed Angeli boni, vel fideles faciunt miracula ex publica iustitia, quia lex, & Diuina iustitia est in

toto

toto orbe,& sic per fidem viuam faciunt. *Tertiò* ex parte finis, quia vera miracula fiunt ad Dei gloriam, & vtilitatem, vel totius Ecclesiæ, vel alicuius in particulari: sed falsa fiunt in ostentationem, vel delectationem corporalem, vel fraudes. *Vltimò*, quia vera fiunt circa res magnas, & in nobili materia, vt suscitando mortuos. *Falsa* fiunt in vili materia, vt circa Ranas, Serpentes, Muscas, &c.

22 *Si dicatur*: quòd saltem Angeli possunt facere miracula: quia possunt efficere aliquid excedēs humanam facultatem, vel cogitationem; aliter, si de ratione miraculi est, quòd excedat facultatem creaturæ; inanis est quæstio; an aliqua creatura possit facere miracula. *Respondetur*, quòd Angeli possunt facere aliquid mirabile secundùm quid, pro quanto potest causa ignorari, & est occulta; nec est inanis quæstio; nam miraculum non definitur, quòd sit opus excedens facultatem entis creati; sed solùm materialiter circumscribitur, & explicatur in ordine ad Diuinam virtutem; sed formaliter est opus arduum. *Si dicatur*: non omnia miracula sunt æqualia; ergo saltem aliqua possunt fieri virtute creata, vt curatio debita alicuius infirmi, vel pluuia instantanea, & his similia. *Respondetur*, verum esse, non omnia miracula esse æqualia, sed aliud dicitur signum, aliud prodigium, aliud portentum, seù miraculum; signum est paruum miraculum, vt conuersio Virgarum in serpentes; prodigium est magnum miraculum, vt suscitatio mortui. Portentum est commune signo, & prodigio. Ad illa exempla, dico, quòd si talia facta sunt sinè concursu causarum secūdarum, verè sunt miracula, saltem quātùm ad modum: si tamen fiunt per concursum earum, nec secundùm rem, nec secundùm modum sunt miracula.

## Circa Mirabilia.

23 Mirabilis, imò & miraculosa res est, quòd vnum, & idem corpus simul, & semel sit dimensiuè in pluribus locis: quod licèt virtuti naturali non sit possibile; virtuti tamen supernaturali possibile est; quod & fecit magnus noster Pater Sāctus Antonius, qui dùm Paduæ prædicabat, simul visus fuit Vlyssipone ad liberandum Patrem, qui innocuè ducebatur ad mortem. Certum est, huiusmodi corporis existentiam in pluribus *vbi* factam fuisse virtute Diuina efficienter physicè. Solùm autem moraliter, & vt dispositio moralis ad eam concurrit San-

Sanctus. Possibile est igitur, vnũ & idem corpus esse in pluribus locis. Patet: quia esse in loco, nõ est, nisi respectus extrinsecùs adueniens: sed nullum est inconueniens, dari infinitos respectus similes in vno, & eodem fundamento; ergo, &c. *Accedit*, quòd Corpus Christi sacramentaliter simul, & semel est in pluribus locis, & potest esse in omnibus locis mũdi; ergo idem, & quodcumque aliud corpus potest esse localiter inexistentia naturali. Consequentia patet à simili. Facit ad hoc, quòd vtique est magis possibile, quod ex natura sua minùs repugnat, & ex parte Dei minora miracula requiruntur: sed ad ponendum idem corpus in pluribus locis sacramentaliter, magis pugnat ex natura sua: quia oportet auferre aliquid sibi cõnaturale, scilicet cõmensurationem ad locum: & ex parte Dei requiruntur plura miracula, scilicet multiplicare corpus, & ponere quantitatem, seù corpus quãtum in loco sinè modo quantitatiuo; ergo magis potest facere idem corpus in exillentia naturali commensuratiuè ad locum, faciẽdo vnum miraculum, scilicet multiplicãdo corpus in pluribus locis. *Moneo tamen* Lectores, quòd licèt libenti animo concedamus, quòd Corpus Christi Domini sit in pluribus locis sacramentaliter; negamus tamen vbiquitatem, vt nobis insimulant Hæretici propter vnionem hypostaticam, quam habet ad Diuinum suppositum: etsi enim Christus vbique sit Deus, non tamen sequitur, quòd sit vbiquè localiter; sed committitur fallacia figuræ dictionis, cõmutando hoc aliquid in quale quid.

24 *Moneo*, quòd inter mirabilia mirabile est mortui suscitatio; in qua fit reunio animæ intellectiuæ ad proprium corpus perfectibile, quod solus Deus facere potest; hoc idem fecit Magnus Pater Beatus Iacobus à Marchia. *An autem, vt sola dispositio moralis, vel verè physica actione*? magna est difficultas. *Communis sententia cum Scoto* dicit, quòd primo, non secundo modo. Sed altiùs attollẽdo mentẽ.

*In via Scoti nullum est absurdum, quòd possit agens creatum attingere hanc reunionem animæ intellectiuæ ad corpus organicum.*

*Probatur ex Scoto in 3. dist. 4. quæst. vnica sub littera E.* vbi probat, virtutem actiuam seminis Patris, & Matris, si remaneat per omnes transmutationes vsque ad instans generationis, immediatè attingere terminum ipsũ generationis totalem, nempè filiũ; si autem illa virtus corrũpatur, hæc attingentia termini totalis generationis, refundẽda est ad virtutẽ Matris propter intimam præsentialitatem, & immediationem virtutis, quam habet cum termino generationis; ergo aliqua virtus creata po-

potest attingere vnionem animæ intellectiuæ ad corpus organicum: nam terminus totalis, & adæquatus humanæ generationis non est corpus organicū, sed homo: ergo virtus generatiua humana non solùm attingit dispositionem illam immediatam ad corpus; sed vnionem illam, substantialem animæ cum corpore, seù totum, & tertiam illam entitatem, quam vocant: aliàs homo non esset Pater hominis, sed corporis organici, vt proximè vnibilis: quantumùis ergo nullum agens creatum concurrat ad creationem animæ; anima tamen producta in corpore, quantùm ad rationem inductiui in materiam, & receptiui, est ab agente creato.

25 *Dices contra*: *Scotus in 4. dist. 43. quæst. 3. sub O.* clarè dicit: nullum agens naturale potest reunire animam intellectiuam corpori; imò nec ipsa anima. *Respondetur*, quòd verum est secūdùm ordinarium naturæ cursum: sed si virtute Dei rediret illa virtus Patris, & Matris cum illis antiquis dispositionibus, quæ interfuerunt in prima vnione animæ ad corpus organicū; tunc posset virtute agentis naturalis fieri reunio eiusdem animæ ad corpus; quod colligo ex eodem Scoti loco, vbi dubitans: an aliquod naturale agens possit attingere reunionem istam? subnectit: *Concedo conclusionem, quòd si soli virtuti actiuæ Diuinæ subest prima productio hominis; soli eidem suberit productio secunda.* Loquitur Scotus conditionaliter. Subsumo minorem: sed prima hominis productio subest virtuti naturali, vt supra notaui ex 3. ergo & secūda. Vide, quomodò concordat hoc cum eo, quod dicit *Scotus in 3. dist. 16. quæst. 2 sub G. de separatione animæ à corpore, &c.*

# DIFFICVLTAS.

## *An, quando Beatus Iacobus suscitauit mortuum, sicut rediјt eadem anima, redierit etiam eadem vnio?*

26 RESpondeo consequenter ad Scotum, *eandem numero rediјsse vnionem, quæ fuit in prima productione illius animæ primò vnitæ ad suum proprium perfectibile; sed non eadem vnitio.* Patet: quia vnitio est partiū ad agens; vnio est inter partes: *sic argumentor*: sunt eædem partes vnitæ, ergo eadem vnio: non est idem agens reuniens; ergo non eadem vnitio. Sed nota hic, quòd non

est

est repugnantia secundùm Scotum, quòd redeat etiam eadem vnitio, quantumuis non redeant ijdem vnientes, seù agentia vnientia *ex 4. dist. 43. quæst. 1. in fine.* Hinc potest solui alia difficultas: scilicet, *quòd Deus possit facere relationem sinè extremis, saltem proprijs, licèt non sinè extremis simpliciter.* Probatur: quia esset eadem vnitio; ergo eadem relatio: sed non esset idem terminus; nam est aliud agens reuniens, nempè Deus; & tunc fuit agens naturale: ergo eadem relatio sinè proprijs terminis.

27 *Inter mirabilia* mirabile est, vt vna vox multiplicata in pluribus auribus diuersarum nationum, eundem exprimat conceptum; & hoc fecit noster Sanctus Pater Antonius more Apostolorum, qui loquebatur varijs linguis, &c. Semel enim Sanctus prędicans coram hominibus diuersarum nationum, quæ non eundem sermonem habent; nec vnicum modum explicandi vniuersales conceptus, sed quisque proprias voces habet pro explicatione vocum mentalium; fuit tamen ab omnibus intellectus. *Quomodò autem* factum fuerit huiusmodi miraculum? Magnus labor. Vnum ex duobus dicendum est, vel quòd Deus dederit virtutem illis Antonij vocibus, vt eundem exprimeret conceptum; quantumuis ex earum natura ad aliud, vel ad aliud immutassent sensorium illarum nationum; quia sicut Deus vnico verbo potest facere, vt plura naturaliter significentur; ita potest eundem conceptũ exprimere, etsi ex natura sua ad aliud, vel ad nihil immutaret; nam magis videtur difficile primum, quàm secundum; & tamen vnico verbo scripto Deus plura significat in Sacra Scriptura.

28 *Vel*, quòd potentia auditiua illarum diuersarum nationum meritis Antonij, fuerit eleuata ad prædicationem, & ad percipiendas illas voces, quæ naturali lingua ab eius ore procedebãt, quid reuera significarent in proprio, & vsitato modo loquẽdi; & sic Germanus, exempli gratia, fuit eleuatus ad intelligendam linguam Italicam, & ita de omnibus, qui ibi aderant. Hoc secundum mihi non valdè probatur: quia hoc opus mirabile non esset tunc ex parte sermonum Antonij; sed ex parte auditorum. Melius esset dicere, quòd voces illæ immissæ miraculosè fuerunt eleuatæ, vt immutarẽt sensorium auditorum, & intelligerent illum eundem conceptum, quem Sanctus volebat exprimere; ita quòd auditores non solùm intelligerent materiale ipsius soni, seù vocis sonoræ; sed etiam formale. Et in hoc præcisè consistit miraculum.

29 *Nota*: quòd inter mirabilia

mirabile est cognoscere secreta cordis; & hoc fecit magnus noster Pater Sanctus Antonius; licèt enim tàm intellectus humanus separatus, quàm Angelicus secundùm Scotum, si sibi dimittantur, possint naturaliter cognoscere secreta cordis, & cogitationes nostras, imò, & mysteria gratię: regulariter tamen hoc Deus non permittit, sed hoc sibi reseruauit iuxta illud: *Tu solus nosti corda filiorum hominis, &c. Non dubitat tamen asserere*, quòd, nisi Angeli impedirentur, naturaliter scire possent omnia secreta cordium humanorum, & quæcumque mysteria gratiæ, ex quo posita sunt in effectu; ita quòd naturaliter posset Angelus integritatem Mariæ tàm in carne, quàm in mente cognoscere; sicut etiam illam esse Matrem, & consequenter incarnationem Dei; non autem Verbi, vel alterius personæ, quia potest cognoscere, illam humanitatem non esse personatam personalitate propria, & videret illam communicatam *vt quod*; ergo illam naturam à Deo suppositante conseruatam. *Ita Scotus in 4. dist. 10. quæst. 8. ad tertium, & in secundo dist. 9. quæst. 1. & q. 2. ad primum argumentum principale.*

30 *Probatur*: quia obiectum adæquatum intellectus Angeli est ens, inquantum ens: sed secreta cordium continentur sub ente; ergo, &c. *Item à simili*: visus potest in omne visibile, quando est debitè approximatum: ergo intellectus in omne intelligibile. *Item*. Si Diuina essentia esset naturale obiectum nostrum, videndo Deum, cognosceremus Dei cogitationes: ergo à simili, cognita essentia Angeli, & animæ, cognoscitur, quidquid in illa est, & in corde ipsorum.

*Dices contra*: nunquam cognoscunt defacto; ergo nec de possibili. Patet consequentia: quia nunquàm Deus priuauit totam speciem in suis indiuiduis sua naturali cognitione: ergo, &c. *Negatur antecedens*: quia defacto Angeli superiores cognoscunt secreta Angelorum inferiorum; & si Deus non coagit cum eis ad cognoscendum, non est simpliciter negandum, quod nunquàm cognouerint; sed fatendum est, multos Angelos nouisse secreta cordium; & certè de Angelo Custode non habeo pro inconuenienti, quòd cognoscat omnia secreta cordis illius, quē custodit: cùm hoc non impediat, imò adiuuet effectum suæ custodiæ. *Dices*: saltem non possunt naturaliter Angeli cognoscere mysteria gratiæ, etiam in effectu posita: cùm sint entia supernaturalia. *Scotus vbi supra* ridet hoc argumentum, dicendo, quòd sint entia supernaturalia quòad modum: Quomodò autem intelligatur hæc doctrina Scoti; & quomodò ad aures ipsius dentur entia supernaturalia quòad substantiam, dixi in pro-

pria

pria disputatione de supernaturalitate.

31 *Scire mysterium prædestinationis*, mirabile est. Hinc *Concilium Tridentinum* dicit, neminem certum esse posse, seclusa reuelatione, de sua salute: ergo multò minùs de salute alterius; & tamen hoc sciuit Diuus Antonius, non solùm de homine actualiter iusto quoad communem vulgum, sed de homine actualiter iniusto, & peccatore. Scito, fuisse olim magnam difficultatem inter Theologos de certitudine gratiæ: *an scilicet aliquis possit habere aliquam certitudinem de sua iustificatione?* Et certum est, nullam posse haberi certitudinem, cui non possit subesse falsum, quæ vocari solet certitudo fidei; sed nec certitudine fidei humanæ, seù morali; & sic intelligendum est Concilium. *Quomodò autem Diuus Antonius* potuerit scire, talem fore infallibiliter saluandum, prædicendo ei martyrium, tanquàm medium infallibile ad finem? Difficultas est; *an scientia naturali posset hoc sciri; sicut dicunt Astrologi, se posse scire longitudinem, & breuitatem vitæ ex aspectione, &c. Respõdemus*: hoc sciuisse per scientiam infusam per spiritum Prophetiæ, cuius principalis conditio consistit in prænoscere futura.

32 *Mirabile est*, vt Brutum animal, relicto naturali obiecto, & delectabili, sua sponte declinet ad obiectũ improportionatum suæ potentiæ; & tamen hoc adhùc fecit Beatus Antonius, qui Brutum inedia afflictatum, relicto obiecto suo naturali, & delectabili, pronum adorauit Sacramentum; in quo erat Deus omnipotens per concomitantiam, cuius imperium sensit. An autem huiusmodi adorationis, & reuerentiæ actus fuerit factus, quia in phãtasia Bruti causatum fuit phãtasma ipsum terrens, & mouens irascibilem, vt auerteret potentiam à suo proprio delectabili cum dolore; vel mouens concupiscibilem, vt conuertat irascibilem ad obiectum, saltem negatiuè disconueniens? Magna difficultas. Ego credo neutrum verum; sed quòd imperante Deo, & intimante suum imperium illi Bruto, & secum coagente ad illam reuerentialem actionem, mouerit sinè vlla physica prædeterminatione, sed solùm concomitante per modum concursus exhibita.

## De efficacia verborum.

33 ADuertendum, quòd verba vocalia possunt dupliciter esse efficacia; vel ex naturali virtute, & sic non habent, nisi immutare potentiam per multiplicationem specierum

peruenientium ad organum auditus, vel ex morali quadam virtute, & hoc multipliciter. *Primò* virtute Diuina disponente, vt ad præsentiam talium verborum sequatur infallibiliter effectus, vt est in Sacramentis. *Secundò* virtute, & potestate Ecclesiæ; vt regulariter fit in benedictionibus, & exorcismis. *Tertiò* virtute verborum Sacræ Scripturæ, quæ aliquando causant effectum bonum, sed secundùm bonum motum, & ex intentione proferentis. Sed de his omnibus non est dubium. *Tota igitur difficultas est*, si ex vi verborum, vel characterum possent Dæmones compelli, vt intrent aliquem locum, vel expelli.

34 *Breuiter dico primò*, quòd ex naturali virtute verborum, vel characterum nō possunt impelli, vel coerceri nec boni, nec mali Angeli. Patet: quia omnis homo est inferior, & infirmior quolibet Angelo bono, vel malo; ergo nullam potest habere virtutem per verba, vel per characteres compellendi, vel coercendi eos: si enim homo nulla arte, aut vi verborum potest alium hominem compellere, vt intret, exeat, vel stet in aliquo loco determinato; ergo à fortiori nō poterit Angelum compellere. *Secundò*: si aliquando apud homines fuit, vel est ars cogendi Angelos, & præcipuè malos, verbis, aut characteribus, illam non habuerunt à Dæmonibus; non enim est verisimile, quòd Dæmones superbissimi vellent homines docere, quomodò possent compelli ab hominibus, detineri, includi, vel expelli ad eorum libitum. *Item*. Si Dæmones quandoque compelluntur, vel coercentur ad ingressum, vel egressum verbis, & charecteribus; hoc solùm fit à Deo, vel à bonis Angelis, vel fortè Dæmones inferiores compelluntur à superioribus; vel fingunt Dæmones, se compelli ab hominibus virtute verborū, qui spontè veniunt, & spontè discedunt. Quod etsi quādoque Dæmones compellantur virtute exorcismorum; hoc solùm est ex pacto, & voluntate Dei immediatè, vel per bonos Angelos ad nutum Dei, qui applicat suā virtutem ad præsentiam illorum Sanctorum verborum, tanquàm signum efficax, & practicum regulariter, quando non ponitur obex.

35 *Vndè falsum puto* dictum Bartholomæi Sybillæ dicētis: *Quòd in Christiana religione credere, esse aliquam artem coercendi Dæmones per exorcismos, & efficaciam habere in expulsione Dæmonum, superstitiosum esse*; nam vera superstitio, vana religio est; & tamen videmus, frequentissimè Ecclesiam determinare, & constituere aliquos exorcismos ad expellendos Dæmones; & defacto regulariter expelluntur. Non enim *apocriphè*, vt ipse ait, &

du-

*dubiè* est; aliud enim est dicere, quòd dubium sit, an apocriphè in Ecclesia fuerit, & esse huiusmodi Exorcismos, & per errorem esse hoc assertum; aliud est dubiè, & apocriphè non sequi effectum, & expulsionem; quod licèt verum sit, non prouenit ex inefficacia Exorcismorum, sed aliundè, vt infrà dicam: nam Deus ex assistentia, quam habet suæ Ecclesiæ, instituit ad præsentiam talium verborum, defacto coerceri, & expelli Dœmones. Verum est, verba talia non ex sua virtute, sed solùm diuina facere huiusmodi expulsionem, & coercitionem. Si quando videntur Dœmones virtute aliquorum verborum inclusi in imaginibus, anulis, &c. & dant responsa, &c. Non est naturalis, vel naturaliter ex vi verborum; sed est quoddã pactum initum, vel expressum inter hominem, & Dœmonem, videlicet, quòd si homo crediderit firmiter, Dęmonem esse Deum, colendum Diuino cultu, potentem obesse, & prodesse propria virtute hominibus; & cum tali fide fecerit imaginem, & consecrauerit ipsam talibus verbis, functionibus, characteribus, &c. tunc Dœmon, expleta consecratione, intrabit in illam imaginem, & in ea respondebit; & sic liberè, &c. & non virtute verborum, & quandiù voluerint, manent inclusi Dœmones; & hæc est ars, quam fingunt Magi, se inuenisse; cum tamen illam adinuenerit Diabolus ipse, cui se subijciunt.

36 *Nota*: quòd Exorcismi quandoque non expellunt Dœmones. *Primò* ex incredulitate assistentium. *Secundò* ex peccatis Energumenorũ. *Tertiò* ex negligentia Exorcizantium. *Quartò*, vt virtus Dei manifestetur in uno, & non in alio. Consulantur Doctores de hac materia tractantes. *Nota*: quòd uirtus exorcismorum est magna, sed seruari debent multæ conditiones. *Prima*, ut nihil, quòd ad Dœmonum inuocationem pertineat, uerba Exorcismi contineant. *Secunda*, nè uerba ignota nomina contineant, & complectantur. *Tertia*, nè materia uerborum aliquid contineat falsitatis; quia Deus, à quo exigitur effectus, non est testis falsitatis. *Quarta*, nè adducantur uana, & characteres in scriptis, præter signum crucis. *Quinta*, nè spes ponatur in modo proferendi uerba, nempè tali tempore, scribendi, ligandi, &c. cum nihil horum faciat ad Dei reuerentiam. *Sexta*, vt in recitatione verborum sanctorum solùm habeatur respectus ad Dei reuerẽtiam, & honorem, & ad eius uirtutem, à qua exiguntur effectus expulsionis. *Septima*, ut effectus expectatus, Diuinæ uolũtati, & beneplacito relinquatur.

37 *Obserua etiam*, quòd sicut nulla est naturalis uirtus in uerbis ad expellendos, uel coercendos

Dœ-

Dœmones; sic nec etiam in herbis, lapidibus, sono, &c. nulla enim istarum rerum potest in Dœmonem aliquid agere, per quod possit compelli. *Patet*: quia nullus spiritus à corpore separatus, potest à corpore pati; ergo, cùm Dœmon sit separatus spiritus, nulla res sensibilis potest directè, uel indirectè eum compellere. Si quandoque fiat uirtute aliquarum dictarum rerum cōpulsio; est immediatè à Deo, uel mediatè, scilicet mediantibus bonis Angelis, uel fortè à superioribus Dœmonibus, uel à se ipsis, ut supra uisum est.

38 *His non obstantibus*, potest aliqua res sensibilis, sicut melodia, uel uirtus herbæ uexationem Dœmonis mitigare; sed non agendo aliquid in Dœmonem, sed in ipsum uexatum; ita quod per illa sensibilia uexatio Dœmonis fiat leuior, seù leuiùs sufferant uexati. Patet: nàm omnis causa limitatæ uirtutis potest inducere effectum intensiorem, & remissiorem iuxta materiæ dispositionem: quia actiones fiunt in patiente disposito: sed Dœmon est finitæ uirtutis; ergo potest causare in uexato maiorem, uel minorem inquietationem secundùm diuersitatem dispositionū ad talem uexationem; & sic quantò magis homo habet contrariam dispositionem ad illam uexationem, tantò minùs affligitur; & quia melodia, herbæ, & aliæ res sensibiles multùm possunt dispositiones corporum immutare; hinc fit, ut maiorem sensibilitatem causent in uno, quàm in alio; & sic tales res possunt causare dispositionem contrariam in homine respectù illius uexationis, qua Dœmon conatur uexare, & per consequens homo poterit minùs uexari.

39 *Hinc patet* ad multas authoritates. *Prima de Saul*, à quo, quando Dauid pulsabat, Dœmon recedebat; ergo armonia, & sonus habebat uirtutem expellendi. *Secunda* ex Iosepho Historico, qui dicit, quendam de Exercitu Titi uirtute lapidis anuli expellere Dœmones à corpore obsesso. *Tertia de Tobia*, qui ex Iecore piscis posito super carbones, & fumo fugabat Dęmones. *Vltima de Salomone*, qui herbarum Exorcismos confecit ad expellendos Dœmones. *Ad primam*: quando Dæmon recedebat, non erat virtus melodiæ, sed Diuina, vel meritis Dauidis, benè verum est, quòd lenibat, seù leuiùs faciebat sufferre illam vexationem: quia ex melodia secundùm *Boetiū, & Aristotilē* causātur diuersæ passiones in homine, & sic poterat fieri contraria dispositio illi vexationi. *Vel* dicendū, quòd Dœmones recedūt à musica non coacti, sed voluntariè, vel ex sanctitate pulsantis; vel ex eorum molestia, quando est ad Dei reuerentiam. *Ad secundam* de anulo, erat virtute pa-

cti illa expulsio, sed voluntaria; nō coacta, per Artem magicam; scilicet per pacta inita cum Dæmonibus, tacita, vel expressa, quibus fingunt, se expelli. *Ad tertiam;* fumus Iecoris piscis expellebat Dœmonem per meritū Tobiæ, & Sancti Angeli Raphaelis, & immediatè à Deo. *De Salomone dico*; quòd vel faciebat tempore, quo erat Dei amicus, & tunc per merita sua, quorum intuitu mouebatur Deus ad expellendum, expellebat; vel tempore Idolatriæ, & sic expellebantur arte magica per illa pacta, vt dictum est. *His curiosè dictis.*

40 *Terminamus nostrum intentum principale*, dicendo, humanitatem Christi in miraculis faciendis non fuisse causam physicam principalem, aut instrumentalem, sed dumtaxat moralem. Vltimā damus probationem à definitione causæ moralis: nam ea est, quæ non attingit effectum, nec præuiam dispositionem, quę sit de genere dispositionis; producitur tamen effectus à causa superiori, si adsit causa moralis, quo modo se habet meritum ad præmium, & solutio pecuniæ ad liberationem captiui: sed in miraculis à Christo factis reperimus causam efficiētem, nempè Deum; & Christū hominem adhibentem ea, quæ nec disponebant, & tamen sequebatur effectus, vt, cum sputo liniuit linguam muti, & luto Cęci oculos, & digitum misit in aures surdi, vel orationem ad Patrem fudit; ergo Christus homo erat tantùm causa moralis. *Adde,* quòd instrumentum physicum debet habere naturalem proprietatem, qua proportionetur effectui: sed in Christi humanitate nihil fuit, quod naturaliter proportionaretur operibus miraculosis: nam miracula sunt, quæ omnes naturæ vires superant, & quamuis contra naturam non sint, præter eam tamen sunt. Impermixtæ sunt duæ in Christo naturæ, & hæc impermixtio deprehenditur ab effectis, ita ut humanitatis opera à Diuina cooperante non sint; ergo à pari opera, quæ à Diuinitate fiunt, non debent fieri ab humanitate, nisi tantùm in ratione causæ moralis. *Ex his constat,* omnium miraculorum causam efficientem physicam esse solum Deum; homines verò, per quos Deus miracula operatur, neque esset causas principales eorum, neque causas efficientes instrumentales, & minùs principales, sed simpliciter causas morales, &c.

# DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

## *De Dolore, & Tristitia Christi.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Verus in Christo dolor fuit, veraque tristitia, sed longè aliter, quàm in nobis.*

1 DOlorem, & tristitiam in Christo docebit vtriusque definitio, quam tradit D. Augustinus de Ciuitate Dei: *Dolor carnis tantũmodò est offensio animæ ex carne, & quadã ab eius passione dissensio, sicut animi dolor, quia tristitia nũcupatur, est dissensio ab ijs, quæ nobis nolentibus, accidunt.* Ex his Augustini verbis cõstat, tristitiam dici debere dolorem, & inter vtramque harum passionum, hoc esse discrimen, quòd dolor propriè dictus inest animæ in parte sensitiua, quæ connexionem cum carne, & corpore habet: hinc est passio consequens animalitatem; vndè dolor communis est hominibus, alijsquè animantibus; fitque tunc, cùm alicui sensuum proponuntur obiecta disconuenientia, & dolor hic non inest animæ, nisi quandiù in corpore est. *Tristitia* verò appellatur dolor, vel impropriè, vel quasi species distincta à dolore propriè dicto. In hoc differt tristitia à dolore, quòd illa soli naturæ intellectuali adueniat, scilicet Angelo, & homini, generaturque, cùm cogitur uoluntas inuita ferre, atque pati disconueniens obiectum, & inest animæ rationali tàm in corpore, quàm extrà corpus existenti, &c.

2 *Hæc* cum ita se habeant, dolorem in Christo deprehendimus: nam erat ille homo in natura, & passionibus similis alijs hominibus, & tenera eius caro offendebatur ab obiectis disconuenientibus; hinc recens natus, frigoris iniuriam subijt non sinè dolore: alapa percussus doluit, flagellatus, crucifixus, felle potatus, fœtorem loci suscipiens, contumeliosa uerba audiens, dolorem sensit. Tristitiam uerò ipsemet testatur tunc, cum uidens Ciuitatem, fleuit super illam: Lazarum suscitaturus, infremuit spiritu, & ingemuit. In horto oraturus, paulò ante passio-

sionem dixit: *tristis est anima mea vsque ad mortem*. Has passiones doloris, & tristitiæ verè in Christo fuisse, fides Catholica docet; qua monemur, huiusmodi passiones cùm Deo tribuuntur, metaphoricè intelligendas, ita ut illæ passiones verè in Deo non sint; in eo tamen esse, dicuntur, quando Deus circa creaturam ita se gerit, sicut se gereret, si in eo hæ passiones locum haberent, & sicut solent homines se gerere, quando huiusmodi passionibus affligantur; ita intelligenda sunt, quæ de seipso dicit Deus apud Genesim: *pœnitet me fecisse hominem*. Absit, vt eodem modo interpretemur dolores, & tristitias Christi hominis: nam sicut verè homo fuit; ita verè passibilis tàm in corpore, quàm in anima, & verè passionibus subiectus.

3 *Vnus est D. Hilarius, qui lib. 13. de Trinitate* videtur docere, Christum neque doluisse, nec tristitiam habuisse, nisi duntaxat secundùm apparentiam: sed alij Patres Catholici interpretantur mentem tanti Doctoris, quasi ipse non negauerit, has passiones in Christo, sed dumtaxat illas, voluerit, in Christo non fuisse ob eandem rationem, qua sunt in nobis: nam est in nobis dolor, & tristitia ex peccato, itaut, si homo non peccasset, has passiones non sensisset; Christus verò sinè peccato huiusmodi subijt passiones. Longè aliter, quàm in nobis, fuerunt in Christo dolor, & tristitia; dolor quidē quàm maximus in Christo fuit sinè absorptione rationis: siquidem doloris intensio, & magnitudo pendent quidem ex sensu exquisito, & perspicacitate intellectus: nam quò delicatior caro est, & sensus subtilior, eò faciliùs læditur ab obiecto disconueniente; & intellectus, quò perspicacior, eò solidiùs iudicat de indignitate iniuriæ: Christi caro delicatissima fuit, & quilibet illius sensus exquisitissimus, habuitquè intellectum perspicacissimum: vndè minima læsio suæ carni inflicta, maximū dolorem incutiebat. Quarè optimè concludunt Theologi: omnium Martyrum dolores esse inferiores dolore Christi ex teneritudinis defectu, & perspicuitatis in intellectu. *Tristitiæ* Christi magnitudo proueniebat ex dignitate suæ personæ, & ex indignitate iniuriæ sibi factæ.

4 *Hæ passiones* sunt alitèr in nobis, quam in Christo, & alio medio: nam in nobis aliquando præcedunt rationem, atque voluntatem: aliquando absorbent iudicium rationis; aliquando proueniunt ex obiecto, quod ex natura sua non est natum producere tales effectus, quia non est naturaliter disconueniēs obiectum: viceuersa in Christo huiusmodi passiones sequebantur dictamen rationis; imò imperiū voluntatis, quod notant Euangeli-

geliſtæ, cum dicunt: *cœpit contriſtari, & mæſtus eſſe*: quaſi dicerent, tunc ſolùm contriſtatum fuiſſe Chriſtum, quando id iuſtum iudicauit intellectus, & acquieuit; & in huiuſmodi paſſionibus nunquàm abſorpta fuit ratio Chriſti; nec unquàm doluit, & contriſtatus fuit irrationabiliter, ſed dolorem, triſtitiāquè concepit ex obiecto diſconuenienti; undè Theologi has paſſiones in Chriſto malunt appellare propaſſiones, quia paſſio eſt ſinè uitio. *Ex his ſoluitur ille textus*, qui ex Prouerbiorum 12.n.21.contra ueritatē doloris, & triſtitiæ Chriſti obijci ſolet: *non contriſtabit iuſtum, quidquid ei acciderit*. *Reſpondetur* ſiue hic textus præcisè de Chriſto ſit intelligendus: quia ſolus Chriſtus uerè, & propriè iuſtus eſt; ſiue intelligi debeat de quolibet homine iuſto, & per Antonomaſiam de Chriſto: uerum eſt, non contriſtari iuſtum triſtitia abſorbente uſum rationis, & quæ præcedat rationis dictamen, & quæ proueniat ex obiecto, quod in ſe diſconueniens non eſt; non negat tamen hic textus, iuſtum contriſtari ea triſtitia, quæ ſequitur intellectus iudicium, & ſubeſt imperio rationis, & oritur ex obiecto, quod triſtitiam parere natum eſt.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Abſolutè triſtabatur Chriſtus de peccatis alienis, & ex hypotheſi de paſſione propria, idquè tàm ſecundùm portionem ſuperiorem, quàm inferiorem.*

5 QVænam ſint cauſæ triſtitiæ: qui ſubtiliùs inquirunt, multas reperiunt; ita tamen, ut nequaquam inter eas admittant deſperationem ſalutis, & fruitionis diuinæ priuationem: nam horrendum illud peccatum, quod impiè Caluinus imponit Chriſto, longè remouendum eſt ab eo: ſiquidem qui morte ſua nobis merebatur fruitionem, & ſalutem; quomodò de ſua non erat ſecurus; ſi in Cœlo exiſtentes, & multi in Eccleſia militante ita ſunt confirmati in gratia, ut neque peccare, neque à gratia excidere ualeant; quomodò erit conditio Chriſti peior? Si ex ſententia Caluini eſſentialis ratio fidei con-

consistit in certitudine infallibili propriæ salutis, ut futuræ saluationis ( etsi erroneè ) quomodò Christus, qui caput est fidelium, non erit de sua salute certus? Si Christus in Cruce pendens, certò pollicetur latroni conuerso introitum in Regnum suum; quomodò potest ipse sibi timere expulsionem ex eodem Regno? Si Christus longè ante passionem, Ioannis 6.n.63. dicit: *Si ergo videritis filium hominis ascendentem, vbi erat priùs*; quibus uerbis testatur, se in Cœlum ascensurum; quomodò de effectu ascensionis dubitatur?

6 *Non fauent* Caluiniano errori uerba, quæ Christus protulit in Cruce, sumpta ex psalmo 21: *Deus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti, longè à salute mea verba delictorum*; nam desperati hominis uerba hæc non sunt, ut Caluinus interpretatur; sed illis uerbis ostēdit Christus; se eatenùs à Patre derelictum, quatenùs denegauit illi Pater auxilium illud peculiare ad ferenda tormenta, quod nulli Martyrum denegauit; uel per hanc derelictionem intelligenda mors est: quasi diceret Christus Patri; *quare me dereliquisti*; scilicet, quare me, pateris, mori morte ignominiosa, & inter latrones, quasi in eadem culpa sim cum illis; non est extorta hæc explicatio: cum eodem sensu dixerit Simeon: *nunc dimittis seruum tuum Domine*, scilicet permitte, ut moriar. Quæ sequuntur uerba: *longè à salute mea, &c.* nec ipse quidem Caluinus auderet interpretari de peccatis à Christo commissis, ac proindè non in propria persona, sed totius Ecclesiæ redimendæ uerba hæc sunt, adeòque Christum non offendunt, sed sicut delicta sua non sunt, ita salus longè à se non est, illi uerò longè à salute sua sunt, qui pondere delictorum premuntur.

7 *Prima causa* tristitiæ Christi peccata sunt aliena, pro quibus expiandis uenerat: objiciebantur intellectui Christi omnia peccata humanæ naturæ ab ipso mundi exordio commissa, & committenda usque ad finale judicium: judicabat intellectus, ea esse detestanda, & hoc modo proposita uoluntati, eliciebat uolūtas Christi nolitionem, ex qua nolitione, & auersione uoluntatis sequebatur tristitia, tàm in portione superiori, quàm inferiori, eratquè huiusmodi nolitio, & tristitia in uoluntate Christi absolutè: quia omne peccatum est malum, ac proindè naturaliter detestandum: nam quidquid per se tale est, ubicumque fuerit, semper tale est, & non potest sub aliqua conditione fieri bonum, & appetibile.

8 *Secunda causa* tristitiæ Christi fuit passio illius imminens, quæ tamen tristitia non fuit ex absoluta nolitione: cùm enim

sciret Christus immutabile Diuinæ voluntatis decretum, absolutè voluit mori, vt esset sua voluntas conformis Diuinæ; tamen ex conditione ex hypothesi noluisset mori, nam voluntas, quatenus natura est in corpore existens, nollet ab eo separari, & hæc separatio mors est. Volũtas, quatenus libera est, propter coniunctionem, quam habet in corpore cum appetitu sensitiuo, mortem horret, & ex affectione commodi nõ potest mortem appetere. Hinc Christus, quamuis absolutè, & ex affectione iustitiæ mori vellet, tamen ex affectione commodi, & ex hypothesi mori nolebat; & hæc conditionata nolitio sufficit, vt res sit inuoluntaria, & ex inuoluntario sequatur tristitia.

9 *Quæret aliquis*: quomodò in Christo potuerit esse gaudium maximum, & perfecta fruitio cum summa tristitia? *Respondemus*, gaudium, & tristitiam non sibi inuicem opponi, nec se expellere, nisi sint respectù eiusdem, & eodem modo se habentis. Hinc mirum non est, si Christus sibi maximè complacebat in morte, & tamen displicebat sibi in eadem, quia complacentia ex affectione iustitię, & displicentia ex affectione commodi pariebatur. Deinde ex miraculo prohibebatur redundantia gloriæ, & beatitudinis tàm in actum voluntatis cõditionatum, quàm in corpus; vndè cogimur admittere, Christum fuisse viatorem, & comprehensorem ita, vt quatenus comprehensor erat, esset totius tristititiæ expers; quatenus autem viator, tristitiam admittebat.



DISPV-

# DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

## *De Christi mortalitate, & morte.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Mortalis erat Christus, quia homo; & naturalem corruptionem non prohibebat vnio facta cum Verbo; sed prohibebat redundantiam gloriæ in corpus.*

1 SI consideremus Christum hominem, nemo mirabitur eius mortalitatem. Mortale enim est omne illud, quod materia constat, quæ prædita non sit forma explente, & satiante illius appetitum, & cuius forma ab agente extrinseco exagitatur: talis fuit Christus materiali corpore constans, cuius neutra forma, scilicet corporeitatis, & animæ rationalis, non magis explere poterant appetitum materiæ, quàm vtraque in nobis. Corruptibilitas in quolibet viuente prouenit ex duplici causa, nempè ex continuo defluxu, & cótinua deperditione aliquarum partium, nec non ex reparationis necessitate per conuersionem nutrimenti in rem aliquam. Perpetua conflictatio inter natiuum calorem, & humidum radicale, & impuritas alimenti sunt causa deperditionis; nec non (eò quòd agens omne in agendo repatiatur) efficiunt; vt virtus nutritiua paulatìm deficiat, & vt extrinseco corrumpenti non possit corpus resistere: hinc naturalis est homini corruptio, seù corruptibilitas; neque ea ex peccato prouenit, quamuis actualis corruptio sinè peccato nunquam fuisset. *Ita* intelligendus est Diuus Paulus Romanorum 5. ***Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors;*** mortalis namque est homo naturaliter, sed nunquàm moreretur sinè peccato. Naturalem esse homini mortalitatem, constat ex eo, quòd in statu innocentiæ, nec non in statu gloriæ non minùs sit homo mortalis, quàm in statu peccati.

2 *Ex his* videre est, Christum in

in primo instanti sui esse fuisse mortalem, & cum perpetuó manserit verus homo, verè quoque mortalem fuisse habentem in se omnes causas mortalitatis, & Verbum Diuinum assumpsit hominem mortalem. Hæc est ratio difficultatis, quarè, & quomodò Verbum Diuinum assumens humanitatem, non abstulerit mortalitatem: nam si Christus ab instanti suæ formationis beatus fuit, & videatur beatitudo, seù gloria sufficiens causa prohibēs mortalitatem, & mortem; quæ poterit reddi ratio mortalitatis, & mortis Christi? *Facilis responsio*: est Deus causa libera, qui, cùm nō necessariò operetur, non producit omnes effectus cōsequentes suam præsentiam. Hinc verum est, intimè præsentem esse Deum Christo homini in ratione obiecti beatifici, & tamen non esse ei concessam incorruptibilitatem: quia Diuinitas prohibebat redūdantiam gloriæ non tantùm in corpus, sed etiam aliquo pacto in animam, vt satis testantur dolor, & tristitia Christi. Hæc prohibitio gloriæ redundantis manifestata est in transfiguratione, quæ miraculosa non fuit, sed miraculi cessatio: nam si Verbum Diuinum ab instanti suæ Incarnationis non cohibuisset gloriā suā, & nō impediuisset redundantiam gloriæ in corpus, Christus in toto decursu vitæ suæ talis fuisset in corpore, qualis in trāsfiguratione describitur.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Violenta morte obijt Christus, habens moriendi necessitatem ex vi tormentorum, fuit tamen voluntaria mors.*

3 IN morte violenta expirasse Christum, cùm affixus Cruci occubuerit, nulla potest esse dubitatio; sed an violenta morte obierit, scilicet vtrùm acerbitas tormentorum animā à corpore expulerit, non ita perspicuum est: tamen nobis non licet dubitare; quia eodem modo se habebat anima Christi ad suum corpus, sicut animæ nostræ ad nostrum: erat enim forma corporis illius, sed permanente in nobis temperamento corporis, pacificè in eo habitat anima; quando autem ab agente contrario extrinseco dissoluitur, cogitur anima egredi, ita ut vis illata corpori necessitatem egrediendi inferat animæ, & necessariò sequatur mors: ergo similiter in Christo factum est, &

acer-

acerbitas tormentorum dissoluentium temperamentum corporis animam egredi coegit. Idipsum colligere possumus partim ex defectu virium suarum, quibus Crucem proprijs humeris baiulare non potuit: partim ex eo, quòd citiùs mortē subijt, quàm latrones duo in eodem existentes supplicio: vndè notat Euangelista, miratum Pręsidem, quòd tàm citò obijsset: siquidem defectus virium in Christo, & mortis acceleratio acerbitati tormentorum tribui debet: nàm multò crudeliùs sæuierunt in Christum Carnifices, quàm in duos latrones.

4 *Ita dicimus*, non potuisse Christum non mori ex vi tormentorum, & ita violentam facimus illius mortem, vt tamen eam fuisse voluntariam, prędicemus; & Christum tunc obijsse, cum voluit, affirmemus: quia moriendi necessitas supponit prohibitionem redundantis gloriæ, & hæc prohibitio erat voluntaria: nam si Diuinitas in Christo existens non cohibuisset redundantem gloriam, nulla fuisset tormentorum vis. Deindè mortuus est Christus, & habuit moriendi necessitatem ex acceptatione; vndè Propheta: *Oblatus est, quia ipse voluit*: voluit autem ipso conceptionis momento, quandò homini Christo ostensum est decretum æternum de eius morte secūdùm omnes circumstantias temporis, & loci. Propterea ait Christus: *potestatem habeo ponendi animam, & iterum sumendi eam*, scilicet, cùm voluero, morior, & cum voluero, reuiuisco. Si concipiat mens nostra, eandem Christi mortem modo dicto fuisse violentam, & spōtaneam, facillimè respondebimus quærenti: *quomodò sit meritoria mors Christi* si violenta fuerit. *Respondebimus* enim, non fuisse meritoriam, quatenus violenta erat, sed quatenus spontaneè assumpta.

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Cruci affixus inter latrones duos æquinoctio verno congruentissimè voluit mori Christus.*

5 NE quis putaret, humana persequētium Christum, & iudicantium voluntate hoc genus mortis eum subijsse, & reliqua in morte eius accidisse, affirmat Diuus Petrus Actuū 4. nu. 27. hæc omnia voluntate Diuina fuisse facta his verbis: *Con-*

*Conuenerunt verè in Ciuitate ista aduersùs sanctum puerum tuum Iesum, quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri*. Quibus monemur, æterno consilio, & decreto statuisse Deum, quo genere mortis, & cum quibus circumstantijs moreretur filius eius homo factus; cùm omnia statuat Deus consilio sapientiæ suæ. Illam in passione Christi inquiramus. Crux eligitur: vt qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur: vt quale futurum erat medium certum ad promerendam cœlestem gloriam: cùm enim Crucifixio infamis, & pro maledicta haberetur, ea moriens Christus, fideles docuit, teneri eos ad ferenda quæcumque maledicta, si salui esse vellent: vt non minùs aerem, in quo Dæmones habitant, eleuatione sui corporis expurgaret, qui suo sanguine in terram defluente, terram lauaret: & tandem, ut se esse uiam, qua itur ad Cœlum, ostenderet. Vndè affirmat Ioannes 12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

6 *Inter latrones duos* Cruci affixos, quorum unus meruit ueniam, alter uerò in damnatione remansit, mori uoluit Christus, ut quid futurum erat in finali iudicio, ostenderet: nam hinc indè adstabũt boni, & mali; Christus uerò in medio positus, habita ratione meritorum, alios in infernum dimittet, alios in Cœlum deducet, ut hoc numero ternario Crucis, & dispari ratione crucifixorum doceret, tria esse genera hominum, qui in hoc sæculo patiuntur, & quod eorum fugere, quoduè amplecti debeamus: nam latro, perseuerans in peccato, pro malo punitur, & malum suffert, & malè moritur: hunc imitantur, qui debitas peccatorum pœnas soluunt sinè fructu propter perseuerantiam in peccato. Bonus latro pro malo culpæ malum pœnæ patiebatur, non tamen malè; quia resipiscens, meruit ueniam, & gloriam: hunc imitantur, qui pro peccatis castigati; patienter emendationem ferũt, ad eorum salutem respicientes. Christus sinè malo culpæ multa mala pœnæ ferens meritoriè sibi, alijsque: omnes in uita fideles, ut in persecutionibus gloriari possint, se innocentes esse, & non ad expiationem culpæ, sed ad maiorem gloriam cruciari. *Aequinoctio verno*, quo tempore mundus creatus, & quo singulis annis uirescunt, & florescunt omnia, mori uoluit Christus, ut se mundi Creatorem, & reparatorem esse, nec non sola præsentia gloriæ suæ animas nostras bonis operibus fluere, & abundare posse, doceret.

# DISPVTATIO DECIMANONA.

## *De humana Christi voluntate, & oratione.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *In Christo, præter Diuinam voluntatem, admittere debemus eandem humanam, quam in nobis ipsis experimur.*

1 SOli illi Hæretici, qui Christum esse verū hominem, negarunt, eundem carere voluntate humana, affirmarunt. Omnes verò Catholici, sicut Christum verum hominem agnoscunt, ita veram voluntatem humanam habuisse, firmissimè credunt; ait enim Christus Ioannis 2. *Descendi, non vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me, Patris*. Et in Horto: *Non mea voluntas fiat, sed tua*. Certum est, voluntatem Filij eandem esse cum voluntate Patris, ac proindè si alia est voluntas Christi, quàm Patris, alia erit voluntas Christi à Diuina; ergo humana. *Deindè* de intrinseca ratione hominis est humana voluntas, vt ex definitione hominis constat: nam *rationale*, quod in ea ponitur, non solùm indicat intellectum, qui est formaliter ratio, sed etiam voluntatem, ad quam dirigendam data est ratio; ergo aut Christus non fuit verus homo, aut habuit voluntatem similem nobis, eiusdem videlicet naturæ cum nostra. *Deindè* mutuò se sequuntur intellectus, & voluntas, vt à sufficienti enumeratione, Dei, Angeli, & hominis videre licet. Intellectum creatum in Christo fuisse, eius scientia docuit, & visio beatifica. Intellectum sequitur voluntas creata; hoc stabiliunt summa gratia, summa gloria, summa potentia: nam gratiæ immediatum subiectum est creata voluntas, & fruitio creata est actus voluntatis creatæ beatificus, & ex ea deprehenditur magnitudo potentię Christi, quia facere potuit, vt homo, quidquid voluntate creata, fieri voluit.

2 *Quæ, qualis, & quotuplex volūtas sit in Christo*, frustrà quæreretur:

nã ſicut eiuſdem ſpeciei nobiſcũ fuit Chriſtus, ita idipſum ſentire debemus de illius voluntate, quod de noſtra tradunt Philoſophi; eſt autem in nobis triplex voluntas, quarum prima dici debet voluntas ſenſitiua, ſeù appetitus animæ noſtræ, quatenus corpori coniuncta eſt, & condelectatur ſenſibus, diciquè ſolet portio inferior; ſed hic appetitus non debet dici voluntas, niſi impropriè: alioquìn animalia, quæ ratione carent, voluntatem haberent: cùm huiuſmodi appetitum habeant. Secunda voluntas dici debet naturalis, eſtquè voluntas rationalis, quæ naturaliter, & ſinè deliberatione fertur in ſibi conueniens. Tertia eſt rationalis libera, quatenus ſe determinat. Nihil vetat, has tres voluntates in Chriſto homine fuiſſe; nam quãtùm ad primam, mouebatur naturaliter ab obiectis ſenſuum, complacebatquè obiectis delectationem afferentibus, & obiectis diſconuenientibus aduerſabatur. Hinc legimus, in Chriſto dolorem, gaudium, & triſtitiam. Quantùm ad ſecũdã, anima Chriſti horrebat naturaliter, quæ illã à corpore ſeparare poterant, & illi placebant, quæ quietam habitationẽ in corpore concedebant. Quantùm ad tertiã, niſi illa in Chriſto fuerit, bellua, non homo dicendus eſſet.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Voluntas humana Chriſti Diuinæ voluntati contraria non fuit.*

3 SVbijciebatur quidem Diuinæ voluntati, & ordinationi voluntas creata Chriſti, quatenus creatura erat; ita tamen, vt ex ea ſubiectione nihil de formali ſua ratione, ſcilicet libertate, & indifferentia perderet. Nam ſicut voluntas noſtra à ſeipſa determinatur, & non magis à Deo, quàm ab intellectu, phantaſmate, aut quocumque alio agente extrinſeco: ſimili modo voluntas Chriſti, ſicut à nullo agente creato, ita neque à Deo ipſo, quantùm ad indifferentiam, & libertatem determinabatur, neque hypoſtatica, & perſonalis vnio efficiebat, vt volũtas hominis Chriſti plus in ſuis operationibus penderet à Diuina voluntate, quàm ſinè vnione: non enim potuit conditio voluntatis peior eſſe, quàm aliarum facultatum animæ, imò & potentiarum ſenſitiuarum: ſed omnes iſtæ potentiæ, non obſtante vnione hypoſtatica, gaudebant ſuis priuilegijs naturalibus:

bus: ergo & voluntas. Hæc voluntas ita semper conformis fuit Diuinæ voluntati, vt ei nunquam contraria fuerit, quamuis videatur Christus multa voluisse, quæ Deus nolebat.

4 Ait enim Christus: *non sicut ego volo; sed sicut tu &c.* ergo, inferet aliquis, volebat aliquid Christus, quod Pater nolebat, & ita hæ duæ voluntates contrariæ sunt. *Claudicat hæc argumentatio*: siquidem tunc solùm contrarietas est, cùm circa idem obiectum sub eadem ratione, vna voluntas elicit velle, alia nolle; quando verò sub diuersis rationibus obiectum vni placet, alteri displicet, tunc solùm est discrepantia, seù differentia. Hoc ipsum experimur in nobis in vnica videlicet voluntate: siquidem voluntas aliqua non est sibi contraria, quamuis idem nolit, velitquè sub diuersis rationibus consideratum. Libenter admittimus differentem fuisse voluntatem Christi à Diuina, non tamen ibi fuit contrarietas, aut oppositio: nam Christus v.g. horrebat mortem, aliaquè ratione nolebat, alia Pater Cœlestis volebat ipsum mori; imò & ipse Christus eadem voluntate humana volebat affectu iustitiæ mori, & nolebat affectu commodi. Et hæc disparitas rationis, sicut impedit, nè sit sibi ipsi cōtraria volūtas Christi, ita nè sit contraria Patri, prohibet.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Orauit Christus in Terris: orat nunc in Cœlis: semper eius oratio exauditur, si ex absoluta voluntate manauerit.*

5 ORatio pertinet ad Latriam elicitiuam, siue materialiter; & est magnæ vtilitatis, & meriti apud Deum, cōtra *Pelagium* dicentem, orationes fusas pro infidelibus, & peccatoribus, vt conuertantur, esse inutiles, cùm sufficiant vires liberi arbitrij. Conditiones orationis sunt, quòd sit pia ad vtilitatem animæ, humilis, frequens, & perseuerans. *Ouandus* dicit, plus prodesse orationem applicatam vni, quàm pluribus, *Nos dicimus cum Scoto quolibeto 20.* quòd applicatio facta alicui in gradu priori, non tollit aliquid ab eo, cui applicatur in gradu posteriori, &c. *lege Scotum*. Scito tamen, solam orationem sinè alijs operibus à Christo institutis minimè sufficere ad salutem: etenim est necessaria obseruantia mandato-

rum Dei: susceptio Sacramentorum, &c. Moneo, *orationem esse actum immediatum voluntatis; licèt prærequiratur cognitio intellectus*. *Patet*: nam est actus Religionis, seù Latriæ contentus sub iustitia: sed iustitia pro subiecto habet voluntatem: ergo, &c. *Dices*: Oratio est quædam locutio mentalis cum Deo: igitur spectat ad actum intellectus practici. *Respondetur*, quòd oratio potest concipi pro desiderio obtinendi aliquid à Deo; & sic est ascensus animæ intellectiuæ ad Deũ, qui est voluntatis, vt elicientis, & intellectus, vt dirigentis: vel potest cõcipi prædictum desiderium, vt propositum Deo per modum supplicationis; & sic actus intellectus elicientis, & voluntatis, vt mouentis; & quia oratio definitur à Damasceno, quòd sit petitio decentium à Deo; immediatè, & formaliter spectat ad actum voluntatis, & directiuè ad actum intellectus.

6 *Solet difficultari*: an ita sint connexi isti actus intellectus, & voluntatis in oratione mentali; vt implicet non solùm naturaliter, sed etiam supernaturaliter; vt aliquis sit vnitus cum voluntate ipsi Deo sinè vllo actu intellectus: sicut defacto contingit esse per vitalem actum intellectus vnitum aliquem Deo absq; actu subsequente volũtatis? *Dicimus*; quòd licèt naturaliter repugnet, vt aliquis vniatur Deo per amorem, qui sit actus volũtatis, & non sit vnitus per actum intellectus: quia voluntas non fertur, nisi in præcognitum, & habeant huiusmodi actus essentialem ordinem; supernaturaliter tamen non repugnat; ita tradit *Diuus Bonauentura 2 tomo de mystica Theologia*, vbi distinguit de duplici via ascendendi in Deum per vnionem affectiuam; vnam vocat scholasticam, alteram mysticam. Prima est naturalis per naturalem inquisitionem, & studium hominis, qui ex cognitione rerum inferiorum attingit Dei cognitionem; & sic voluntas sequitur intellectum, nec potest esse, & durare affectus sinè præuia cognitione; sed in via mystica potest affectus, seù voluntas præire, & reperiri sinè cognitione præuia: quia tunc immediatè mouetur à Spiritu sancto, ut uniatur Deo per ardorem, & ignitam affectionem.

7 *Probatur ex Dionysio de mystica Theologia*. Potest homo ignotè cõsurgere ad eius vnitionem, qui est super omnem substantiam, & cognitionem. *Item*: anima gradatim ascẽdit in Deum, priùs attingendo, & participando, quod est ultimum, seù quasi ultimum in ipso Deo: sed ultimum est persona Spiritus sancti, qui est amor; & secunda est persona Filij, qui est per cognitionem: ergo anima priùs ascẽdit per affectum, quàm per cognitionẽ. *Item*: in suprema Hyerar-

rarchia primus ordo est seraphinorum, qui affectu excellunt, & ardent; ergo signum est, in vnione ad Deum præcedere affectum, & subsequi intellectum.

8 *Suarez* pugnat in contrarium: quia contradictio est, appetitum vitalem elicere actum sinè præuia cognitione proportionata propter essentialem ordinem, quem habent istæ duæ potentiæ intellectus, & voluntas; nunquã enim voluntas ferri potest, nisi in præcognitum. *Item*: dependentia voluntatis in operando à suo obiecto non solùm, tanquàm à termino, sed etiam tanquàm à principio in suo ordine, est adeò essentialis, vt sinè illo esse non possit: obiectum autem voluntatis non potest eam allicere, neque esse principium eius, nisi sit cognitum, igitur. *Breuiter dicimus ad istas rationes*, quòd nullus est essentialis ordo inter istas potentias, sed solùm sic à Deo præfixus; nec enim voluntas pendet ab obiecto cognito, tanquàm à principio volendi, quia est totalis causa suæ volitionis; sed solùm prçexigitur cognitio obiecti, quæ nec debet esse proportionata, sed disparata sufficit, vt præcedat aliqua præcognitio. Altiùs volitando forsitan conciliabimus ad inuicem has opiniones in doctrinã Scoti; vel enim voluntas se habet actiuè, & sic etiam per Diuinam potentiam fieri nequit, vt intellectus, & voluntas agant, & non seruent ordinem in suis actionibus; & tunc non poterit volũtas vniri per affectum, quin priùs vniatur per actum intellectus; vel se habent passiuè; ita ut à Deo immediatè recipiãt actũ; & tunc, cùm sint absolutæ istæ potentiæ, & actus, potest actus amoris infundi in volũtate, nullo præcedente actu intellectus; & tunc erit vnita per amorem, nulla præcedente vnione, & actu in intellectu. *Hæc sint probabiliter dicta*.

9 *Orationem mentalem* esse vtilem, & meritoriam (quod etiam dictum volumus de oratione vocali) est de fide; ita quòd omni iure, Diuino, & humano, licitũ, & sãctũ sit, vocales orationes ad Deum fundere, si debita fide, & intentione fiant. Patet ex vsu Ecclesiæ, quæ alta voce orat, & psallit. Et habetur ex mille locis Sacræ Scripturæ; sed debet fieri debita fide, & intentione. Quando oramus voce sensibili, non est ad excitandum Deum, quasi verò indigeat signis sensibilibus, vt nostra desideria cognoscat. Oramus ergo ita. Primò, vt nosipsos excitemus ad deuotionem. Secundò, vt nosipsos admoneamus, quantùm in hoc desiderio profecerimus, &c. Vide Augustinum apud Suarez. Tertiò, quia sicut corpore, & spiritu constamus; sic etiam spiritu, & corpore orare debemus, vt vtroque modo Deum colamus. Nota etiam contra non-

nul-

nullos Hæreticos, quòd non solùm debet admitti in Ecclesia Dominica oratio, qua Christus voce tenùs vsus est; sed licitæ sunt omnes aliæ orationes publicæ, & priuatæ, quibus Deus interpellatur, dummodò aptæ sint ad pium, & sanctum animi affectum, vel desiderium explicandum.

10 *Si dicatur*: Christus instituit verum modum orandi, vniuersalem, quem dedit Discipulis, scilicet: *Pater noster, &c.* ergo omnis alius modus est superfluus, & illicitus. *Respondetur*, quòd dedit perfectum, ac eximium modum orandi, qui excellit authoritate, breuitate, perfectione, & efficacia omnes alios; nòn tamen cæteras orationes vocales prohibuit: nullo enim verbo, vel facto hanc prohibitionem significauit, nec Sancti Patres tradiderunt. *Dices*: saltem habetur, quòd sit melius, & congruentius, omni alia dimissa, vti solummodò oratione instituta Christi verbis. *Negatur consequentia*: licèt enim sit consilium dicendi *Pater noster*, saltē semel in die, nō tamē est præceptum; & sic ad tempus congruentior est alia oratio, puta, propter humanam cōditionem, cui repetère semper idem, affert nauseam. *Item*: in specie non possumus petere, quod desideramus: cùm ibi sint graduales petitiones. *Item*: frequenter orationes diriguntur ad Virginem, & ad alios Sanctos, vt intercedant. Patet ergo, quòd maximè vtilis sit varietas orationum.

11 *Nota etiam*, quòd ad orationem mentalem requiritur intentio orandi, idest, propositum orandi, seù petendi à Deo aliquid. Patet: quia est actus moralis, & humanus; ergo debet oratio esse intenta. *Item*: cùm sit locutio, non erit talis, nisi cum intentione dirigatur sermo ad Deum; sicut nullus loquitur alteri, nisi habeat intentionem ordinandi ad illum suum sermonem, & propositum. *Verum tamen est*, quòd talis intentio nō est necesse, vt sit expressa, seù formalis, sed implicita, & virtualis. Patet: quia ad faciendum actum moralem benè etiam circumstantionatum sufficit intentio virtualis.

12 *Difficultas est*: an talis intentio debeat esse simpliciter bona ad hoc, vt vocalis oratio sit bona? Certè videtur necessaria: quia oratio non est bona, nisi sit bona intentione. *Suarez putat*, de substantia orationis non esse simpliciter necessarium, vt sit cum bona intentione; siquis enim habeat intentionem orandi proferendo vocaliter verba sufficientia pro cultu, & reuerentia Dei, & faciat ex intentione laudis humanæ, vel alicuius cōmodi temporalis; verè orat, quamùis non benè orat. Probat: nam sicut alij actus imperati, vt est eleemosyna, ieiunium, &c.

&c. non declinant à substantiali bonitate; quantumuis non habeant omnes circumstantias; sic oratio, &c. *Respondetur distinguendo*; quòd vel intentio est respectû alicuius obiecti indifferentis ad bonum, vel malum, & sic potest esse bona oratio, absque bona intentione, vt sic; sed si est respectû obiecti mali simpliciter, & determinati, nec est oratio, nec bona oratio.

13 *Nota etiã*, quòd ad orationem non solùm requiritur necessariò intentio, sed attentio, quæ variè solet distingui. Diuus Bonauentura distinguit in superficialem, litteralem, & spiritualem. Prima est ad materialia verba, vt rectè, & integrè dicantur; secũda est ad sensum litteralem verborum; tertia est ad sensum spiritualem verborum. Alij distinguunt, in Spiritualem, Diuinam, & humanam, quæ est proprij commodi, &c. Hinc ergo certum est, ad orationem vocalem aliquam attentionem, siue formalem, siue virtualem esse necessariam, vt sit bona oratio; & sic attentio est de substantia orationis. Patet: nam oratio vocalis est quædam adoratio, seù cultus quidam externus; ergo debet fieri in spiritu, & veritate; ergo requirit attentionem mentis; aliàs fieret solo corpore, & non spiritu. Dixi: *formalis, vel virtualis*: quia non semper necessaria est actualis aduertentia. *Concludo*, quòd ad veram orationem, quæcumque attentio ex tribus dictis sufficit: quia ad faciendum actum moralem minima attentio sufficit; ergo quãtumùis non habeatur melior, sufficit bona.

14 *Dices*: uel iste orans non habet meliorem; quia incapax est, & quando est in minima aduertentia, & attentione ad sola uerba rectè dicta, non potest habere attentionem spiritualem; & certum est, talem benè orare; uel potest orans aduertere ad sola uerba, & uoluntariè carere meliori attentione: quia uult alijs rebus uacare; & de hoc est dubium; an benè oret? nam licèt minima attentio sufficiat ad orandum; hoc tamen est sinè præcisione uoluntaria melioris attentionis, & hoc uidetur Caietanus sentire; & Nauarrus dicit, quòd saltìm peccet ueniali ter; dùm uoluntariè uacat alijs, & solùm contentus est minima attentione. *Suarez putat*, esse nimis rigidam hãc sententiam: quia homo non tenetur meliori modo, quo potest: ergo non tenetur habere meliorem intentionẽ, sed sufficit, quòd habeat minimam attentionem. *Distintione proposita, soluimus difficultatem*; uel talis contentus est sola minima attentione, ut possit uacare alijs rebus noxijs, uel distrahentibus à meliori attentione; & sic certum est, esse peccatum sic orare; uel nè nimis fatigetur ad habendam meliorem, uel

uel optimam; & sic non peccat.

*Reuertamur ad nostram propositionem.*

15 *Orasse Christum, quando cum hominibus conuersabatur*, Sacra testatur pagina. Videntur aliqui negare, Christum uerè orasse, quasi simulauerit orationem, & quamuis non oraret, tamen fecisse id, quod facere solent, qui orationes suas coram Deo fuderunt. Absit, ut putemus tale; quod disertis uerbis testantur Euangelistæ. Solùm enim ostendunt discrimen inter Christum, & nos. Nos enim necessariò oramus; Christus uerò non necessitate compulsus, nisi quatenus æterno decreto sancitum fuerat, Christum habiturum aliquid mediante oratione; ut uidere est in psalmo 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam*; quasi Pater æternus Christo filio diceret: sum tibi daturus in hæreditatem omnes gentes; non tamen dabo tibi, nisi oraueris, & petieris. Hoc discrimen inter Christum, & nos quantùm ad orationis necessitatem, ut in humanis uidere est. Paratus est Pater dare filio suo etiã non petẽti, quæ illi sunt necessaria; exigit tamẽ ab eo honorarias preces; sed seruo nihil paratus est dare, nisi seruus obnixè pceptũ obseruauerit. Nostrę orationes, quia serui sumus, necessarię sũt, si quid uelimus à Deo accipere. Orationes Christi, quia filius est, honorarię potiùs sunt, quàm necessariæ.

16 *Orare etiam nunc* Christum in Cœlo, testatur Diuus Paulus Romanorũ 8.n.34. *Qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*; & primæ Ioãnis 2.n.1. *Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum, iustum*. Non tamen conueniant Patres, dùm explicant modum, quo Christus orat in Cœlis: sunt enim, qui putent, eum orare sola ostensione plagarum suarum, & continua oblatione passionis suæ. *Alij* hunc modum concedentes, addunt alium, uoluntquè, Christum mentali, & vocali oratione certis temporibus Patrem orare, sicut orabat, cùm in terris degeret. *Ego libenter vtrumque precandi modum in Christo agnosco*: tùm quia verba Sacræ Scripturæ non repugnant: tùm quia oratio est perfectissimus actus religionis: vndè quilibet orandi modus dicit perfectionem Christo in Cœlis existenti non denegandam; cùm ea in omnibus Beatis reperiatur.

17 *Orationes Christi omnes exaudiri*, & exauditas fuisse, quando absolutè aliquid petijt; testatur ipse Ioãnes c.11.n.42. *Ego autem sciebam, quoniam semper me audis*. Confirmatur ex illo ad Hebręos 5. *Exauditus est pro sua reuerentia*. Videntur nostris dictis repugnare aliquæ Christi orationes irritæ, & non exauditæ: nam con-

constat, Christum petijsse, non leui quadam postulatione, sed iterata, & ex intimo cordis affectu liberationem à morte, quæ tamen concessa non est. ***Non placet*** aliquorum responsio, qui dicunt, Christum semper exauditum fuisse, etiam in hac postulatione; non quòd impetrauerit petitam liberationem, sed quia in compensationem obtinuit à Deo æquiualens, imò maius, scilicet Angelicam cõsolationem, & sessionem ad Patris dexteram. Quo modo isti putant, etiã omnes fidelium preces exaudiri: quia vel obtinent, quod petunt, si necessarium, & vtile eis fuerit; vel quia datur eis aliquod maioris necessitatis, & vtilitatis.

18 *Quærenda nobilior responsio*, quę præsupponit, tripartitam in Christo voluntatem, vt dictum est nu. 2. & tres orationis ab ipso factæ species, cum sit oratio interpres voluntatis. Petijt aliquando Christus ex voluntate sensualitatis, aliquando ex voluntate rationali deliberata dumtaxat secundùm quid, ob aliquam videlicet specialem rationem: aliquando ex voluntate rationis deliberatæ simpliciter, & absolutè. Ingenuè dicimus, orationes Christi factas ex duabus voluntatibus prioribus non fuisse semper exauditas, qualis fuit illa oratio de liberatione à morte, quam absolutè non petijsse, constat ex eo, quòd Christus, postquàm dixit: ***Pater si possibile est, transeat à me Calix iste***: subdit: ***Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.*** Vndè videre est, præcedentem orationem fuisse sub conditione, & ex affectu partis sensitiuæ. Omnes tamen, & solæ orationes, quæ à voluntate deliberata absoluta, & efficaci manarunt, sunt exauditæ; & hoc solo sensu veri sunt illi duo textus ***Ioannis 2. & Hebræorum 5. supra citati.***

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Orant sancti pro nobis, & vident nostras orationes.*

19 DE modo, quo sancti videant nostras orationes, magna est controuersia. ***Scotus in 4. dist. 45. q. 3. dicit primò***: quòd anima separata potest naturaliter acquirere notitiam non solùm abstractiuam, sed etiam intuitiuam, non solùm sensibilium, seù potentia intelligibilium, sed actù intelligibilium; & quia quodcumque ens creatum est sibi naturaliter proportionatum, quantùm ad intelligibilitatem; igitur om-

nem nostram orationem, siue vocalem (quam & coniuncta poterat cognoscere) siue intellectualem, seù mentalem, quæ nunc est sibi magis proportionata, potest intuitiuè cognoscere; nisi tamen immoderata distantia impediat: quod certè *Scotus tradit quæstione 2. sub D, & respondendo ad tertium*: dicit enim, quòd immoderata distantia obiecti impedit illam intellectionem obiecti intuitiuam. Et Augustinus ait, quòd animæ illę nesciunt, quæ hìc aguntur, nisi ab Angelis discant, vel ab alijs animabus denouo ad eas venientibus. *Dices ex Boetio*. Per se notum est, incorporalia in loco non esse; ergo in operatione sua nec exigent præsentiam, nec distantiam localem. *Respondetur*, quòd sicut entia incorporalia sunt in loco per præsentiã diffinitiuam; sic etiam in eorum operatione requiritur mutua præsentia, & mutua distantia, secundùm contactum virtutis; non autem secundùm contactũ substantiæ; & sic requiritur in intelligendo debita distantia;

20 *Petes*. Quomodò etiam in proportionata distantia in genere proprio possint animæ separatæ naturaliter cognoscere nostras mẽtales orationes: quia mentalis oratio nihil est, nisi desiderium oblatum Deo ea intentione, vt ab ipso habeatur optatum, vt Scotus dicit hìc: sed tale desiderium, cùm sit actus intellectus, & voluntatis, sunt occulti cuicumque creaturæ; quia sunt intimi ipsi creaturæ in essendo, & in hærendo: ergo non possunt naturaliter cognosci tales mentales orationes?

*Respondetur*, quòd tales actus non sunt occulti animæ separatæ; nam sicut non sunt occulti actus intellectus mei intellectui meo; multò minùs intellectui altioris status, sicut est animæ separatæ. *Et cùm dicitur*, quòd sunt intimi in essendo, & in hærendo. *Respondetur*, quòd hinc sequitur, non posse regulariter cognosci, sicut secreta cordis; sed naturaliter sibi dimissus intellectus separatus potest cognoscere, cùm contineantur sub obiecto suo.

21 *Nota*, quòd Scotus secundò dicit; quòd anima separata ex vi Beatitudinis, seù vndè beatus est homo, nec regulariter, nec vniuersaliter videre habet nostras orationes in Verbo, seù in Diuina essentià relucentes. *Patet*: quia de ratione Beatitudinis est, vt videant, quæ spectant ad statum Beatitudinis ex parte obiecti Beatifici, quæ solùm sunt ratio fruendi, quæ est essentia, & rationes fruibiles, quæ sunt omnia, quæ ex natura rei sunt in essentia, & sibi identificata; sed nostræ orationes sunt omninò impertinentes pro ratione obiecti Beatifici: ergo, &c. Neque necessarium est, quòd Deus reuelet

uelet Sanctis tales orationes: nam illud tenetur facere Deus pro perfecto statu Beati, quod ad Beatitudinem consequitur, sed ad Beatitudinem nō consequuntur nostræ orationes, quia omninò impertinētes sunt; etenim, vt ait Scotus, Beatitudo intellectus in obiectis creatis non transcendit illa, quorū essentia visa, est necessaria ratio videndi.

22 *Moneo tamen*, quòd Diuinæ Bonitati congruit; vt quia Beati sunt coadiutores Dei in procurando salutem nostram eo modo, quo potest sibi competere, reuelare Beatis nostras orationes, quæ sibi specialiter offeruntur: quia specialiter innituntur meritis eorum, vt tanquàm mediatores, impetrent, quod specialiter petimus ab ipso Deo; & hoc modo probabile est, quòd Deus Beatis reuelet nostras orationes ipsis, vel Deo ipsi in nomine eius oblatas: ad hoc, vt earum intuitu, ex vinculo charitatis, & ardenti desiderio, quo flagrant ad procurandam nostram salutem, impetrēt nostra iusta, & pia desideria. *Dices*: Isaiæ 63. n. 16. *Abrahā nesciuit nos, & Israel ignorauit nos, &c.* vbi *Augustinus ait*, quòd mortui, imò sancti nesciūt, quid faciant viui. *Dicit Scotus*, quòd tunc Abraham nō erat Beatus, sed in limbo, vbi non erat necessaria illa reuelatio; nec per immoderatam distantiam poterat naturaliter cognoscere, &c. *Augustinus* sic etiam interpretandus est. *Replicabis*: solus Deus nouit secreta cordis: sed mentalis oratio est cordis secretum: ergo &c. *Respondetur, vt supra*, quòd solus Deus independenter ex sua perfectione nouit secreta cordis; Angelus autem, & animæ separatæ noscunt dependenter, quando sibi naturaliter dimittuntur, & maximè loquendo de Beatis, quibus congruit talis reuelatio nostrarum orationum mentalium; vel tāquàm Beatitudinem eorum augens; vel tanquàm pertinens ad causalitatem eorum respectū Beatitudinis aliorum. *Contra*: ideò debent cognoscere nostras orationes, vt possint pro nobis orare: sed non possunt, quia sunt extra statum meriti: ergo, &c. *Dicit Scotus*, quòd oratio potest esse meritoria, & impetratoria; oratio Beati non est meritoria pro se, sed impetratoria pro alijs: oratio enim Beatorū est dispositio de congruo, vt propter eam Deus concedat illud, quod impetrant, ei, cui petunt: *Scito*, vt supponimus, Beatos videre nostras orationes.

23 *Restat difficultas*: an orent pro nobis? Et prima facie videtur, quòd non: nam vel Beati vidēt, quòd Deus vult exaudire eos, vel habet actum nolendi, idest non vult exaudire, vel habet actum suspensiuum, scilicet nec velle, nec nolle: si primum, non orabunt Sancti; quia

frustra esset oratio, dùm Deus vult exaudire: si secundum, non orant, quia non orabunt pro aliquo nolito, quod Deo displicet: si tertium, nesciunt sancti, quod illa, circa quæ Deus habet actū suspensiuum, non euenient: ergo nec orabunt. *Scotus respondet*, quòd sancti orabunt pro nobis semper, loquendo de oratione habituali, quia talis perpetua est in eis, & generalis pro omnibus electis, & forsan, licèt non efficaciter pro non electis, sicut inefficaciter vult illos Deus saluos fieri. *De oratione autem actuali speciali*, quam habet aliquis sanctus, cui Deus reuelauit, aliquem inuocare, est difficultas; & certum est, talem sanctum actualiter orare pro aliquo in speciali, qui illum inuocat: nam talis oratio impetratoria non impedit Beatitudinem: quia nō orat pro se, sed pro alio, qui capax est, stante liberalitate Dei, quæ pro minori bono retribuit non tantùm maius bonum; sed etiam plura bona.

24 *Cùm autem dicitur in argumento*: Beatus, aut videt, Deum velle, aut nolle, vel non velle; nullum membrum est concedendum: non enim sequitur: Deus reuelat Petro, Ioannem nunc orare, & petere à Deo per merita Petri talem rem: ergo reuelat Deus, velle, vel nolle, eum exaudire; & ideò potest, vt sic orare, & petere, quod suæ expedit pietati. Imò dato, quòd reuelaret, velle, vel nolle exaudire; non sequitur: ergo frustra orat: quia si vellet exaudire, determinauit eum exaudire per talia media, scilicèt per orationem Petri; si autem non vult exaudire, Petrus non orat; si autem non reuelat, quòd neque nolit, neque velit; Petrus orando, expectat, vt per suam orationem consequatur, quid velit Deus, ad hoc vt possit orare, nec nè.

# DISPVTATIO VIGESIMA.

## *De merito Christi.*

SOlius voluntatis creatæ est elicere actus, & imperare meritorios, tàm sibi, quàm alijs: fuit in Christo voluntas creata: vndè nostrum est examinare: *an Christus meruerit, quid, & quibus?* Vt eius dignitas, & obligatio nostra erga eum omninò elucescat.

PRO

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Præmittitur definitio meriti de condigno.*

1 *Meritum de cōdigno ita diffinio: est opus liberum, bonum, iusti Viatoris ex charitate factum propter Deum, cui ex promissione debetur vita æterna.*

Dicitur *opus liberum*: vt excludantur opera, quæ voluntati non subsunt: quippè nec formaliter, nec participatiuè sūt talia, verbi gratia, opera vegetatiuæ potentiæ. Hanc conditionem in terminis posuit *Scotus in 3.* vbi intendens probare, Christum in primo suæ conceptionis instanti potuisse mereri, inter ad meritum requisita enumerat vsum liberi arbitrij; est tamen verum, quòd, *teste Scoto in 4. dist. 6. quæst. 6. littera B. & in 3. dist. 15.* potest quis mereri actum, circa quem solùm habet intentionem virtualem; vt petens, deuotionis gratia, Diuum Iacobum in Cōpostellam, licèt in itinere actualiter non cogitet de Diuo Iacobo, tamen ordinatè ad illum finem, verbi gratia, deambulando, & simul cogitando de Patria, meretur in illa deambulatione. *Item*. Martyr exponens se pro fide Christi ad mortem, licèt in atroci dolore tormentorum minimè vtatur ratione, tamen meretur. *Videatur Scotus in 3. dist. 18. Respondendo ad secūdum, & 4. & dist. 12. ad secundum, & dist. 17. ad primum.*

2 *Moneo tamen*, libertatem multipliciter intelligi: alia quippè est ad contradictoria, vt ad velle, & ad non velle. Alia ad contraria, vt ad velle; & ad nolle. Alia appellatur libertas quædā complacentię, quo modo volūtas complacet sibi in aliquo, etsi illius, in quod complacet, non sit causa. Hinc dixi in Tractatu de Trinitate, voluntatem Diuinam habere complacentiam in productione creaturarum in esse cognito, inquantùm in illis est quædam participatio Diuinæ essentiæ. *Concludo ergo*, libertatem arbitrij esse necessariam ad meritum. Fauet cōmunis Theologorum consensus; & etiam probatur ex illo Ecclesiastici 15. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere malum, & non fecit: ideò stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*. Hinc Tridentinum semper exigit libertatem. *Adde*, quòd; *teste Philosopho*, in his, quæ nobis insunt a natura, nec laudamur, neç vituperamur, & hoc propter defectum libertatis.

3 Di-

3 Dicitur *Opus bonum*. Hoc intelligo nedùm de bonitate in genere, sed etiam de bonitate morali, & gratuita. *Videatur Scotus in 2. dist. 7. quæst. vnica.* Ratio est: quia odit Deus, qui operantur iniquitatem, & odio est Deo impius, & impietas eius.

Dicitur, *Iusti*. Necessariò requiritur, vt ille, qui meretur de condigno, sit in gratia. Ita omnes Theologi *in 2. dist. 24. 27. 28. & 29. Concilium Tridentinum sessione 6. Canone 32.* vndè *Pius Quintus, & Gregorius XIII.* dãnant sententiam Michaelis Baij, qui ad meritum de condigno vitæ æternæ in persona merente non requirebat, vt conditionem necessariam, gratiam Spiritus Sancti inhabitantis in corde filiorum Dei, sed sufficere, dicebat, obedientiam legis. Videantur propositiones Baij 13. 14. 16. & 18. *Fauet nostræ conclusioni Scotus in 3. dist. 18. in primo dist. 17. quæst. 1. in secundo dist. 7. quæst. 1. in 3. dist. 13. quæst. 3. legatur quolibeto 17. § de secundo dico, littera D.* vbi probat, nostram propositionem ex illo Genesis 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Obseruat Scotus, Deũ primò respexisse personam, seù sanctitatem personæ operantis, quàm munera illius, quod clarè demonstrat prærequiri sanctitatem, seù gratiam in persona merente de condigno. Facit pro ista veritate, quòd defacto homo, qui non est in statu gratiæ, est in statu peccati: at homo in peccato, est inimicus Dei, & indignus vita æterna: ergo minimè acceptatur ad præmiũ. *Adde*, quòd inimicus, prout est in statu inimicitiæ, nequit de condigno aliquid mereri ab inimico.

4 *Duo nobis obijcit argumenta Baius*. Primum, quòd ad meritum de condigno solùm consideranda est iustitia operis, & bonitas illius; hæc autem eadem est in opere eiusdem rationis, facto ab homine peccatore, & ab homine iusto: ergo sanctitas operantis minimè est necessariò præsupponenda in merente de condigno. Suam propositionem confirmat Baius scripturis, in quibus promittitur præmium, nulla facta mentione status gratiæ, Matthæi 19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata;* ad Romanos: *Factores in legis iustificabuntur*. Item. *Reddet vnicuique secundùm opera eius*. Facit pro Baio, quòd eodem tenore bonis, & & malis operibus promittitur præmium, & pœna: sed in malis operibus demeritum consideratur ex qualitate operis, siue persona merens sit iusta, siue iniusta: ergo idem dicendum de bono merito.

5 *Respondetur*, ad meritum de condigno non solùm considerandam esse iustitiam operis boni, & bonitatem illius, sed etiam esse spectandam conditionem personæ merentis. Rem ita se ha-

habere; patet clarè exemplo Abelis: respexit quippè Deus primò ad Abel, deindè ad munera eius; quamuis ergo in scriptura non semper exprimatur talis conditio personæ; non inde benè infertur, eam non esse necessariam: sufficit quippè ad valetudinem nostræ propositionis, quòd aliquo in loco Sacræ Paginæ dicatur necessariò requisita sanctitas operantis. *Dices*: si quis laboret in vinea sui inimici, merebitur apud illum præmium: ergo impertinens est ad meritum status operantis. *Respōdetur*, quòd hoc valet, cùm quis meretur per modũ pretij, & stipendij, quòd propriè est meritum mercenarium, ac proindè non requiritur amicitia inter personas: at res non ita se habet de merito per modum obsequij; ad hoc enim est necessaria amicitia. *Replicabis*: si quis grauiter offendat Alexandrum, & priùs quàm illi reconcilietur, exponat propriam vitam, vt liberet Alexandri filium à morte; ille certè merebitur apud Alexandrum; ergo iam habetur ratio meriti, non præsupposita ex parte operantis amicitia. *Respondetur*, quòd in casu posito præsupponitur amicitia: quippè cùm primò ille homo disponit se ad præstandum tale obsequium Alexandro; statim vi talis dispositionis redditur Alexādri amicus. *Paritas desumpta* ex demerito, claudicat: quia meritum habet rationem boni, & cōsequenter multò plura requirit: etenim bonum est ex integra causa, malum autem ex quocumque defectu. Moneo, quòd etiam ad meritum attenditur status personæ: nam peccatum commissum à persona publica, vel digniori, cæteris paribus, magis demeritorium est, quàm commissum à persona particulari, & minùs digna.

6 *Audiamus secundum argumentum Baij: teste Diuo Augustino libro primo de libero arbitrio cap. 6.* lege naturali statutum est præmium vitæ æternæ bonis operibus, & æternum supplicium malis: ergo, cùm lex naturalis nihil dicat de statu gratiæ sanctificantis, sequitur, gratiam illam non necessariò esse exigitam ex parte personæ operantis. Facit etiam ad rem præsentem, quod habet idem *Augustinus libro de natura, & gratia cap.* 2. vbi docet, quòd, si homo suis valeret viribus, & sinè fide adimplere legem, foret securus de vitæ æternæ præmio: quia non est iniustus Deus, qui fraudet mercedem; ergo ad aures Augustini habetur, non prærequiri necessariò ad meritum gratiam in persona operante. *Ad primam authoritatem Augustini dicimus*, sermonem non facere de lege naturali, quæ dicitur esse in naturali lumine rationis, sed de lege nunquàm mutabili, & æterna, prout est in mente Dei, quæ etiam dictat de spiri-

spiritu adoptionis filiorum Dei, & statuit, vt debita præmia condignis meritis reddantur. *Ad secundam*; intentio Augustini eo in loco est, ostendere contra Pelagianos, non posse hominem viribus naturæ totam legem implere; & ad hoc probandum, assumit illam hypotheticam propositionem, scilicet, quòd si homo potest sibi sufficere ad seruandam totam legem, etiam illius foret vigoris, ut ex solis naturæ uiribus obtineret uitæ æternæ præmium, quod repugnat. Augustinus ergo nil habet contra nos.

7 *Moneo tamen*, quòd, si sermo sit de omnipotentia Dei, gratia habitualis intrinseca minimè est necessaria ad meritum de condigno. Ita dicendum in schola subtilium docentium, posse diuinitùs hominem constitui filium Dei adoptiuum adoptione extrinseca: nam si ita constitueretur, actus charitatis, qui produceretur ab illo homine, foret meritum condignum respectû gloriæ non minùs, quàm actus productus à persona sanctificata per gratiam intrinsecè inhærentem. *Confirmatur*: nam opera talis hominis essent opera filij Dei: ergo haberent proportionem cum præmio. *Adde*, quòd, etsi ea filiatio in esse naturæ esset diuersæ rationis; tamen in esse moris foret eiusdem rationis. *Moneo etiam*, quòd defacto nemo meretur de condigno primam gratiam habitualem; nam defacto nemo constituitur filius Dei, nisi per intrinsecam gratiam habitualem: ergo communiter priùs homo condecoratur intrinseca gratia habituali, quàm mereatur de condigno.

8 *Volumus tamen*, quòd posset quis mereri primam gratiam habitualem de condigno, quando constitueretur filius Dei per acceptationem extrinsecam. *Probatur*: tunc enim sicut mereretur de condigno gloriam, sic nullum urget obstaculum, quò minùs sic etiam mereretur primam gratiam habitualem. *Dices*, primam gratiam habitualem esse principium meriti, & consequenter non potest cadere sub merito. *Respondetur*, quòd antecedens est uerum defacto; non tamen in sensu nostræ propositionis, quæ agit de potentia Dei absoluta.

10 *Noto etiam*, quòd iusti merentur primum gradum gloriæ, & non solùm augmentum eius. *Probatur ex scripturis*, quibus uita æterna simpliciter, & non tantùm augmentum eius bonis operibus, tanquàm corona, & merces promittitur. Fauet Tridentinum sess. 6. Can. 32. *Si quis dixerit, hominis iustificati bona opera, ita esse dona Dei, vt non sint etiam bona ipsius iustificati merita, aut ipsum iustificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam, & Iesu Christi meritum, cuius viuum membrum est, fiunt, non verè mereri*

*reri augmentum gratiæ, vitam æternam, & ipsius vitæ æternæ consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum: Anathema sit, &c.* His in verbis ponderandum ad nostrũ propositum, iustum dici per bona opera mereri augmentum gratiæ; quia prima gratia non cadit sub merito de condigno; quandoquidem præsupponatur tali merito: non verò dicit, bona opera mereri augmentum gloriæ: quia nimirum intelligebat non tantùm augmentum gloriæ cadere sub merito de cõdigno, sed etiam primum gradum eius. *Fauet ratio*; quia augmẽtum gloriæ non habet vllam specialem distinctionẽ à primo gradu eius, ratione cuius potiùs caderet sub merito, quàm primus gradus; ergo sicut conceditur, quòd augmentum gloriæ cadat sub merito; ita etiam dicendum de primo gradu.

11 *Dices*: augmentum glorię tàm differre à primo gradu, quam augmẽtum gratiæ à primo gradu gratiæ; ergo sicut quis meretur augmentum gratiæ, quamuis non mereatur primam gratiam; ita etiam est dicendum de augmento gloriæ, & primo eius gradu. *Contra*: quia quòd aliquis non mereatur primam gratiam, non oritur ex eo, quòd non possit quis illam mereri, si præcessissent cõditiones defacto requisitæ ad meritum de condigno; sed ex eo, quòd non præcesserunt istæ conditiones, quarum vna est, quòd quis sit in gratia habitùali; præexistunt autem conditiones prærequisitæ ad meritum rèspectù primæ gloriæ, seù primi gradus eius; ergo non est eodem modo de ipsa, & de prima gratia quantùm ad hoc discurrendum. *Replicabis*: prima gloria debetur primæ gratiæ: ergo sicut non datur meritum ad primam gratiam, ita neque ad primam gloriam. *Negatur consequentia*: quia sicut augmentum gloriæ, & gratiæ electorum debetur meritis Christi, & tamen electi etiam proprijs actibus illud merentur; ita etiam quamuis prima gloria debeatur primæ gratiæ; tamen cum hoc potest deberi meritis procedentibus à gratia. *Replicabis*: hinc sequeretur, quòd essent duæ causæ adæquatę respectù eiusdem effectus, nimirũ gratia habitualis, & meritum de condigno; quod tamen falsum esse, suppono ex secundo Physicorum, vbi fuit demonstrata repugnãtia productionis eiusdem effectus à duplici causa totali. *Respondetur*: distinguendo sequelam: respectù eiusdem effectus eodem modo considerati; nego; diuerso modo; concedo, & nego subsumptum. Itaque prima gratia esset causa adæquata gloriæ, vt datæ ex misericordia, seù, vt non haberet rationem coronæ, aut mercedis, quo modo datur infãtibus. Meritum verò esset causa adæquata ipsius, vt daretur per modum

coronæ, & mercedis; neque aliquid impedit, quominùs ob varios titulos daretur vnum præmium.

12 Requiritur ad meritum de condigno *ratio Viatoris*. Hanc conditionem notaui ad excludendos Beatos, & existentes in Purgatorio, quia non sunt in statu merendi; huius nulla alia est ratio, nisi Diuina voluntas, quæ statuit, tempus meriti, & demeriti esse præsentem vitam iuxta illud: *veniet nox*, scilicet tempus post mortem, *in qua nemo potest operari* (scilicet meritoriè). *Videatur Scotus in 3.dist.18.quæst.1. & in 2.dist.7. in fine aliqualiter, & in 4.dist.43.qu.4. articulo 3.ad vltimum*. Volo tamen admonitos legentes, quòd ista conditio minimè est simpliciter necessaria: nam posset Deus de potẽtia absoluta acceptare opus alicuius Beati, vt meritorium; ita habet *Scotus in 3. vbi supra*. Ratio pro nostra propositione desumitur à *Scoto in 3*. Quia meritum ex ordinatione Diuina est via ad gloriam acquirendam, ideò sicut habito termino, cessat motus, qui est via ad terminum; ita habita gloria perfecta, cessat via, scilicet meritum.

13 *Quòd verò* de potentia absoluta minimè sit necessarius status viatoris. Probatur ex eo, quòd nulla possit assignari ratio, cur ex natura rei operibus viæ tantùm mereri valeamus; non verò operibus Patriæ: ergo tantùm fuit ex lege; & ex institutione Dei, qui voluit operibus viæ promittere præmium. Antecedens probatur: etenim si solam naturam operum attendamus, non minorem dignitatem habent opera elicita in Patria, ac proindè non minùs meritoria erunt opera Patriæ, quàm viæ; quinimò multò meliores sunt actiones Patriæ; quippè à maiori charitate procedentes; ergo quòd actiones Patriæ non sint meritoriæ, prouenit ex eo, quòd Deus illis non promisit præmium. *Vrgetur ratio*; quia non potest assignari ratio ex natura rei impediens meritum in operibus Animarum Purgatorij. *Nec dicas*, Beatos non mereri ex natura rei, quia non habẽt libertatem ad peccatum. *Hoc enim nullius est momenti*; quia libertas ad meritum sufficit sinè indifferentia ad malum, vt videbimus in Christo Domino. *Nec dicas*, Beatos non mereri ratione status, quia iam sunt in termino, ad quem cum quis peruenerit, vltra mereri non valet. *Contra est*, quia terminus meriti non est præfixus ab ipsa rei natura, quasi ex natura rei non sit aliquid in Patria potens cadere sub merito Beati: possent enim, si Deo placeret, vlteriorem beatitudinis gradum mereri; imò alijs viatoribus beatitudinem: ergo terminus ille à sola Dei voluntate est præfixus. Firma ergo restat conditio ista à nobis in

meri-

meriti definitione posita.

*Petes. Vtrùm opera via ex promissione facta, an verò ex condignitate operis sint meritoria vitæ æternæ?* Vt respondeamus.

14 *Dico*, ad meritum requiri valorem fundamentalem, seù bonitatem moralem, & non sufficere nudam ordinationem, vel promissionem ex parte Dei præmiantis.

*Non me latet* oppositum huius nostri dicti tribui Scoto, quasi fuerit opinionis, quòd meritum integrè tàm materialiter, quàm formaliter saluetur in sola Dei acceptatione, quasi verò ad meritum sit satis actus, siue bonus moraliter, siue indifferens, siue malus. Errant tamen toto cœlo sic dicentes: siquidem in terminis oppositum habet subtilis Doctor. *In primo dist.* 17. *quæst.* 2. §. *sed nunc vlteriùs dubium est de isto habitu, &c.* dicit, requiri ad actum meritorium intensionem actus, substantiam actus, rectitudinem moralem, & hæc supponi ad acceptationem Diuinã, quam acceptationem infra vocat complementum meriti. *Item subtilis Doctor quæst. prima eiusdem distinctionis asserit*, meritum esse actum liberum elicitum à gratia, & acceptatum, vt præmiabilem beatitudine, & *ibidem dicit*, Deum esse quidem causã principalem meriti, quia ordinat actum ad præmium; nõ tamen dicit, Deum esse causam totalem, nec meritum consistere in sola Dei acceptatione, sed hanc esse vltimum complementum. *Item in secundo dist.* 41. *dicit*, bonum meritorium supponere bonum morale in actu. *Idẽ habet in* 3. *dist.* 18. *& quolibeto* 17. *&* 18. *& in* 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *per totam supponit*, satisfactionem consistere in actibus bonis pœnalibus æquiualentibus, si sint charitatis perfectæ, & idem sæpiùs habetur in sua doctrina.

15 *Quòcirca in primo dist.* 17. *qu.* 2. *articulo* 1. §. *ad solutionem huius quæstionis*; respondens ad quæsitum ibi positum, scilicet: *an debeat poni aliquis habitus supernaturalis gratificans naturam beatificabilem*; infra *versiculo dico igitur, &c.* asserit, quòd prętet acceptationem specialem, qua anima iusti habitualiter est acceptata ad vitam æternam; præter acceptationem actualem actus eliciti ab anima Christi, oportet, ponere vnum habitum supernaturalem, quo habens formaliter acceptetur à Deo, & quo actus elicitus acceptetur, tanquàm meritorius. Eccè clarè affirmat subtilis Doctor, actum, vt acceptetur, vt meritorius, debere habere in se dignitatem, & valorem superuenientem ab habitu gratiæ. *Item* infra §. *sed tunc*, ex supradictis colligit, ad actum meritorium concurrere, vltrà substantiam actus, & rectitudinem moralem, acceptationem Diuinam, quæ ratio nec est precisa ratio meriti, sed partialis

completiua meriti. *Item* infra *versiculo ad primum, &c. lit. KK.* asserit: *Dico, quòd actus, qui est meritum, est in potestate mea, supposito libero arbitrio, & gratia;* postea addit: *per idem dico ad secundum, quòd licèt principalius, scilicet vltimum, & completiuum in merito sit à Deo* (loquitur de acceptatione) *non sequitur tamen, ergo Deus meretur: quia meritum est actus potentiæ liberæ, & secundùm inclinationem gratiæ elicitus, acceptatus à Deo, vt præmiabilis beatitudine, &c.* & versiculo sequenti, cùm obiecisset: *ergo saltem principalius in merito est à Deo*, respondens, asserit: *si principalius dicatur vltimum completiuum, concedatur; si verò dicatur prima realitas, vel perfectior realitas, negetur: quia actus est absolutum quid, & priùs natura ista acceptatione passiua, & magis ens ea.* Quid clarius potuit dicere subtilis Doctor, vt demonstraret, acceptationem non esse integram, & totalem rationem meriti, sed partialem tantùm, meritumque cōpleri ex acceptatione, & dignitate actus? *Item* infrà versiculo *respondeo in hoc, &c.* expressè ait, *quòd semper Deus præmiat vltrà meritum condignum: vniuersaliter quidem vltrà dignitatem actus, qui est meritum, quia quòd ille actus sit condignum meritum, hoc est vltra naturam, & bonitatem actus intrinsecam ex mera gratuita acceptatione Diuina.* *Item* infra *versiculo vlteriùs*, ait: *Accipiendo actum secundùm rationem meritorij, potest dici, quòd principaliter illa conditio conuenit actui ab habitu gratiæ, & minùs principaliter à voluntate: magis enim acceptatur actus, vt dignus præmio, quia est elicitus à charitate, quàm quia est à voluntate liberè elicitus.* Denique non minùs clarè in Reportatis; dicit enim libro 3. dist. 18. quæst. 1. litera A: quòd *sicut meritum non consistit solùm in actu, sed in conditionibus aliquo modo personæ elicientis; sic acceptatio Diuina non solùm respicit actus, sed conditiones accidentales suppositi elicientis.*

16 *Ex his conclude*, quantùm errauerint Doctores imponentes oppositum subtilissimo Scoto. Fundantur Aduersarij in quadā doctrina *Scoti in 3. dist. 19. §. in ista quæstione, lit. B.* vbi hæc habet Scotus: *Quantùm ergo valuit illud meritum ad sufficientiam? Dico, quòd sicut omne aliud à Deo, ideò est bonum, quia à Deo volitum, & non è conuerso; sic meritum illud tantùm bonum erat, pro quanto acceptabatur, & ideò meritum, quia acceptatum; non autem è conuerso, quia meritum est, & bonum, ideò acceptatum, & tantùm potuit acceptari passiuè, quantùm Trinitas potuit, & voluit acceptare actiuè.* Hæc Scotus. Illa verba intelligenda sunt de merito formaliter sumpto, quatenùs dicit ius ad meritum præmij, quia sic illa causalitas est vera; ideo dicit ius, & debitum præ-

mij,

mij, quia acceptatum; nam, seclusa acceptatione, non fundaret ius ad pręmium, nec esset bonum formaliter meritorium, esset tamen fundamētaliter, quòd supponunt sequentia verba: *tantùm potuit acceptari passiuè, quantùm tota Trinitas potuit, & voluit acceptare actiuè:* sed ex formali ratione sua, quā habuit, nō potuit acceptari in infinitū, & pro infinitis, sed pro finitis. Hìc subtilis Doctor supponit rationem aliquā bonitatis in merito proportionatā ad acceptationem, & præmium, quæ, quoniam finita est, non potuit acceptari à Trinitate in infinitum, & pro infinitis, quia deficit proportio bonitatis fundamentalis, quæ æquiualeret præmio, & acceptationi infinitæ; quare subdit, ob circumstantiam personæ Christi fuisse congruitatem, vt acceptaretur meritum eius pro infinitis, quæ proportio non esset in merito personæ creatæ, nec ex parte operis, nec ex parte operantis. Falsò igitur tribuitur Scoto, quòd non requirat actum esse bonum moraliter, imò vult, hāc bonitatem esse fundamentum proportionis determinatæ secūdùm determinationes ipsius bonitatis ad acceptationem, & præmium.

17. *Vt pleniùs res intelligatur*, *moneo*: bonitatem, & valorem fundamentalem inesse actui meritorio ex subiecto, fine, & alijs circumstantijs in genere moris, nihilquè esse aliud, quàm ipsam bonitatem, ratione cuius actus est laudabilis, & proportionatus præmio, si ad illud ordinetur; valor autem formalis, quem Scotus negat, actum habere ex ratione sua formali independenter ab acceptatione, est ius, quod fundatur in operibus ad præmium, seù debitum præmij. *Succedat iam probatio* nostræ propositionis: de ratione meriti respectiuè ad Deum est, vt actus imputari possit operāti ad laudem; ergo de ratione eius est, vt sit bonum moraliter: quia sic solùm imputari debet ad laudem. Antecedens patet: quia videtur congruere bonitati, & iustitiæ Diuinæ, vt non præmiet actum, nisi sit bonus, & imputabilis; & seruata proportione, quò magis bonus est actus, eò magis præmiet ipsum; ita ut excessus in præmio, præsupponat excessum meriti quòad bonitatem. *Veritas nostræ propositionis* fundatur in illis Sacræ Paginæ dictis: *si vis perfectus esse, vade, & vende omnia tua, & da pauperibus: si vis vitam ingredi; serua mandata: diligite inimicos vestros, & erit merces vestra multa nimis*; pręcepta enim Dei, & lex dirigunt hominem ad finem per actus virtutum, & propterea charitas dicitur plenitudo legis. Si loquamur de merito de condigno, vltra bonitatem moralem præsupponitur defacto status adoptionis per gratiam sanctificantem, & requi-

requiritur acceptatio particularis Dei. *Sed de hac re infra* agendo de distinctione inter meritū de condigno, & meritum de congruo.

# PROPOSITIO SECVNDA.

*Licèt opera procedentia ab habitu gratiæ aliquem valorem, & dignitatem habeant respectu vitæ æternæ; tamen talis valor, præciso pacto, & promissione Dei, qua vitam æternam promisit Iustis, in ratione perfectionis, & æstimabilitatis, non sunt æqualis perfectionis cum vita æterna.*

18 EX hac propositione collige, me non negare operibus elicitis ex gratia aliquem valorem antecedenter ad acceptationem Diuinam: nam sunt opera elicita ex gratia: sunt ordinis supernaturalis: sunt elicita à filio adoptiuo Dei; ergo habent aliquam proportionem cum præmio supernaturali, scilicet cum gloria. Volo tamen, hanc proportionem, seù condignitatem, vel valorem augeri ex Dei ordinatione, & promissione, qua ab æterno statuit, vt homini in gratia benè operanti deberetur gloria in præmium; & sicut defacto ex Diuino pacto debetur homini operanti in gratia gloria in ęternū duratura; ita potuisset Deus statuere, vt tali merito corresponderet gloria duratura per aliquod tempus tātùm. *Rem explico*: certum est, quòd moneta aurea ex propria natura habet aliquem valorem; & etiàm est certum ex beneplacito Principis posse crescere valorem talis monetę, estò entitatiuè minimè crescat moneta, vnde si primò valebat triginta carolenis, iam ex Principis lege, possūt ei esse debiti trigintatres carolenis: ita discurrēdū in re præsenti.

19 *Accedant probationes nostræ propositionis*. Primò fauet nobis illud ad Titum 3. n. 5. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm misericordiam suam saluos nos fecit*. Hic ponderandum, quòd per opera iustitiæ intelliguntur opera facta in gratia. Ponderandum etiam, Apostolum asserere, quòd, etsi talia opera facta sint in gratia, tamen non essent digna vita æterna: cuius

cuius ratio est; quia aliàs Deus non gratis daret vitam æternã. Pro nobis est Athanasius in vita Sancti Antonij ita dicens: *nec vniuerso orbi renuntiantes, dignum aliquid habitaculis cælestibus compensare possumus.* Facit Augustinus in Psalmo 39. aliquantulum ante finem explicans versum vigesimum: *nunquid adhæret tibi, &c.* vbi ita habet: *quanto labore digna est requies, quæ non habet finẽ? si verum vis comparare, & verum iudicare, æterna requies æterno labore rectè emitur* (subdit) *verum hoc est sed noli timere, misericors est Deus.* Parùm infra ita legit Augustinus: *sempiterna requies æterno certè labore digna est comparari.* Adde Bernardum sermone primo de Annuntiatione ita dicentem: *quid sunt merita omnia ad tãtam gloriam?* Cõcludo ergo, istos Sanctos Patres putare, quòd actus elicitus ab homine existẽte in gratia, minimè habet sufficientem valorem, vt illi sit debita gloria; quòcirca est necessaria diuina acceptatio, qua Deus velit eleuare nostra merita ad maiorem valorem, sicut ex beneplacito Principis eleuatur moneta.

20 *Probemus nostrum assumptum,* & primo ex illo celebri dicto D. Pauli ad Romanos 8. num. 18. *Non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis;* his in verbis, sine dubio sermonem facit Paulus de bonis operibus iustorum, vt à gratia procedentibus; agit enim de operibus illorum, qui sunt Filij Dei, & cohæredes Christi; de his operibus sentit Paulus, quòd licèt in se, & difficilia, & & præclara sint; si tamen secundùm suam intrinsecam dignitatem considerentur; sunt longè minora beatitudine ea, quam pro illis promisit nobis Deus. Ita explicant locum Pauli multi Sancti Patres; vnde Hyeronimus super hunc locum pulchram adducit analogiam huius rei; inquit enim: *sicut omnes operationes, & passiones naturales, exigui sunt pretij, si ad vitã naturalẽ cõparẽtur: ita oẽs operationes, & actiones Iustorum in hac vita deficiunt à dignitate, & præstantia vitæ futuræ.* Chrysostomus Homilia 14. prædictũ locum ad nostrum intentum explicat. Sanctus Fulgentius libro primo Admonium cap. 10. super hunc locum inquit: *Vitam æternam congruè vocari gratiam.* Rationẽ reddit his verbis: *Quia non solũ donis suis Deus dona sua reddet, sed quia tantùm illis gratiæ Diuinæ retributionis exuberat, vt incomparabiliter, aut ineffabiliter omne meritum, quantumuis bonum, & ex Deo datum humanæ voluntatis, atque operationis excedat.*

21 *Nostrũ discursum* clariùs prosequitur idem Apostolus 2. Corinthiorum 4. nu. 17. *Quod momentaneum est, & leue tribulationis nostræ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Quibus in verbis faciens

ciens comparationem inter merita nostra, & præmium gloriæ conferendum, talemq; asserit, esse distantiam, vt hoc sit excellentissimum, illud verò leue sit, & exigui ponderis respectù præmij. *Accedat* illud cōmune Theologorum axioma, quo asseritur, *Deum præmiare iustorum opera vltrà condignum, malum verò punire citrà condignum*; quod proloquium fundatur tùm in Sanctis Patribus, tū in Sacra Scriptura; hinc Matthæi 5. Dominus ait: *Gaudete, & exultate: quia merces vestra copiosa est in Cœlis.* Tale sit argumētū: Deus præmiat bona supernaturalia iustorū (de his enim sine dubio loquitur axioma) vltrà condignum; sed hoc non ita debet intelligi à Theologis, quòd Deus suo tempore conferat iustis maiorem gloriā, quàm pro illis promisit, & ordinauit; ergo debet intelligi secūdùm nostram sententiam, ita scilicet, quòd tunc Deus dicatur præmiare nostra bona opera vltra condignum, quia si opera attēdantur secundùm intrinsecum valorem, quem habent ex suis principijs respectù gloriæ, lōgo interuallo à gloria superātur.

*Confirmatur* hæc ratio ex proportione inter præmium bonorum, & pœnam malorum; quia si mali considerent pœnas eis impositas ob mala perpetrata, inuenient maiorem pœnam illis esse debitam, diminutam tamen fuisse ex benignitate Dei, & ita eos puniri à Deo citrà condignum; sic iusti introspiciētes ipsorum bona opera comparata ad æternam fœlicitatem, reddētur certi, fœlicitatem eis concessam longo interuallo excedere bona opera, & sic Deum præmiare vltrà condignum.

22 *Nostram propositionem ita impugnabis.* Meritum de condigno ex infra dicendis dicit obligationem iustitiæ: Sed iustitia petit æqualitatem inter datum, & acceptum: ergò opera iustorum debent dicere æqualitatem respectù præmij vitæ æternæ. *Respondetur primò*, inter meritū, & præmium vitæ æternæ vel seruari iustitiam distributiuam, vel commutatiuā. At si loquamur de distributiua, non requiritur, vt præmium dicatur deberi merito, quòd detur absolutè, & simpliciter æqualitas inter meritū, & præmium; sed sufficit quòd detur æqualitas proportionalis, seu illius ordinis cum præmio, quidquid præmium excedat; vnde supposita promissione, verè dicitur quis dignus eo præmio. Si autem loquamur de commutatiua, hæc quidem, licèt seruetur inter Deum, & homines in retributione gloriæ; tamen certum est, non seruari perfectè, & rigorosè: quoniam de ratione cōmutatiuæ iustitiæ est mutua datio, & acceptio æqualis cum mutua translatione dominij, ita vt res vnius fiat alterius; quæ omnia in Deum cadere non possunt. Vn-

Vndè estò inter meritum nostrum, & prēmium vitæ æternæ non detur æqualitas absoluta, seu arithmetica, quæ consistit in omnimoda æqualitate meriti ad præmium;datur tamen geometrica, seu proportionis, seu eiusdem ordinis, quod sufficit etiam,vt dicatur, accedēte promissione secundùm iustitiam commutatiuam, vitam æternā mereri: etenim homo restat, quòd potest dare in ratione cōpensationis,& meriti etiam in illo ordine gratiæ pro vita æterna, ac proinde accedente pacto de tanta gloria,& mercede, seu ex obligatione iustitiæ, complectur meritum ex iustitia,seu de condigno:

23 *Sit secunda responsio*, quòd licèt opera de se non dicāt ęqualem condignitatem respectù beatitudinis;tamen accedente promissione,pacto, seu ordinatione diuina,qua illa opera, voluit ordinare,vt merita propria respectù vitæ ęternæ, talia opera iam obtinent æqualem valorem, & dignitatem cum præmio vitæ æternæ,& non illā, quam petit vera,& propria iustitia commutatiua. Valorem operum crescere ex promissione, seu ex ordinatione Dei, patet argumento desumpto ab humanis ad diuina: quia valor rerum, & personarum crescit ex institutione Principis; nostris enim temporibus audimus,ex institutione Regis valorem monetæ crescere; ac proinde ex sola institutione Principis plus valet modò moneta, quàm anteà. *Hoc idem constat in personis*: nam si priuatus homo fieret authoritate Regis, supremi Tribunalis Regēs,actus honorifici,quibus priùs illum homines prosequebātur,iam nō essent illi æquales; quinimò forent illi debiti multò præstantiores. Ita in casu nostro Deus Rex Regum,& Dominus dominantium,ex eo quòd instituit, & ordinauit, vt opera iustorū tantùm valeant, quantùm ipsa gloria;iam opera nostra,& gloria æquiparantur,

24 *Replicabis*, quòd si ex promissione, & pacto Dei opera de se non condigna,& æqualia, efficerentur æqualis dignitatis, ac proinde condignè meritoria,sequeretur,quòd quotiescumque Deus promittit aliquod pro aliquo bono opere,illud opus foret meritorium de cōdigno tali remuneratione; hoc autem dicet nemo; multis enim operibus bona temporalia sunt promissa, quæ tamen minimè dicuntur condignè meritoria tali remuneratione:Eleemosynæ quippè, & alijs operibus peccatorum promissa est remissio peccati, cū tamen talia opera non sint meritoria de condigno. Item Sanctis Patribus, præsertim Abrahamo volenti immolare filium suum, promisit Deus redemptorem Christum, vt patet Genesis 22.*per me metipsum iuraui, quia*

*fecisti hanc rem &c.* Quod Paulus interpretatur de Christo ad *Galatas* 3. cùm tamen aduentum Christi nec Patres antiqui, nec Abraham meruerint de condigno. *Respondetur*, duplex esse genus promissionis diuinæ. Altera est promissio, quæ solam dicit fidelitatem, & hæc non immutat, nec auget æstimabilitatem operis, pro quo fit promissio. Altera promissio est, quæ habet vim legis tribuentis augmentum, & æstimationem operi. Primo genere promissionis promissa est remissio peccatorum actibus assignatis in obiectione. Secundo verò genere promissa est vita æterna operibus iustorum. Hoc duplex genus promissionis etiã reperitur in humanis: multoties enim Rex aliquid promittit pro aliquo opere sola promissione fidelitatis, quod postea non tribuitur ex iustitia, seu merito cõdigno. Aliquando autem institutione, & lege eleuante opus, & illud reddente condignæ æstimationis respectũ remunerationis, vt cõtingit in exemplo monetæ, & alijs multis, vt quando proponit aliquid, vt brauium, vel stipendium.

25 Petes: *vnde constet nobis hæc distinctio promissionis?* Respõdetur, quòd ex Scriptura, Concilijs, & Patribus: eo enim ipso, quòd Deus promiserit vitam æternã, vt brauium, coronam, stipendiũ, & mercedem reddendam ex iustitia à iusto Iudice exercente officium iustitiæ, & eò quòd illam proposuit, vt venalem pro operibus iustorum, clarissimum signum est, illam non esse simplicem promissionem, sed etiam tribuentem valorem operibus, quibus quasi emitur iustè Regnum Cælorum. Remissio autẽ peccatorum non sic promissa est operibus bonis personæ peccãtis, imò nec opera illa capacitatem habebant ad recipiendum talem valorem, erant enim opera hominis inimici. Vnde patet, quàm sine fundamento dicat *Vasquez*, nos sine vlla ratione has duas distinguere promissiones; habemus enim expresse scripturam, Concilia, & Patres pro hac differentia. *Nec vrget*, quòd infert Vasquez, immota omninò actione, & solo verbo Dei, non posse fieri maioris æstimationis. *Nam si Rex terrenus* suo solo verbo facit crescere monetam in suo valore, & personam vilem constituit in gradu sublimi; quare idem nõ poterit facere Deus?

26 *Replicabis*, si Deus decerneret, se in futurum pœnam maiorem daturum, quàm peccatũ ex sua natura expostularet; non ex eo cresceret dignitas peccati respectũ pœnæ; ergo neque ex promissione crescit dignitas ad præmium. *Respondetur*, quòd ex cõminatione, quæ habet virtutem legis, & pacti antecedentis ad opus, benè potest crescere dignitas peccati respectũ pœnæ; imò hoc de facto fuit in Adamo,

mo, in quo eius peccatum, si excludatur pactum, & lex de fundanda iustitia etiam posteris, illud peccatum soli Adamo nocere potuisset; postquam autem ex lege Dei constitutus est Adā caput morale; & pro se, & posteritate sua accepit legem, eique eodem modo promissio iustitiæ pro præmio, vel comminatio mortis pro pęna facta est: per peccatū meruit de cōdigno, nō solùm sibi, sed etiā posteris pænas omnes peccato originali coniunctas: quod etiam contingit in humanis; sicut enim potest Princeps augere dignitatem ad mercedem, sic ad pænam, stabiliendo suam legem. Vtique verum est, quòd, vt augeatur dignitas in opere, vel ad præmiū, vel ad pænam, requiritur fundamentale aliquod, & proportio, vt non censeatur irrationabiliter factum, hinc peccatum veniale minimè valeret fieri dignum pæna æterna: quia est inferioris ordinis.

27 *Accedat aliud argumentum*: secundùm nos est constituta lex de danda gratia iustificante peccatori benè se disponenti ad illam; ergo gratia iustificans de lege debetur, & correspōdenter dispositioni peccatoris; igitur dispositio peccatoris non solùm habet rationem meriti de congruo, sed etiam de condigno. *Respondetur*, quòd gratia iustificans non ita de lege correspōdet, & debetur dispositioni peccatoris, vt si de facto Deus non largiretur gratiam iustificantem peccatori disposito, & attrito, contra iustitiam faceret. Ratio est: quia fides, & opera peccatoris pręcedentia iustificationem, non habent in se, nec ex natura rei, nec ex extrinseca ordinatione, & acceptatione diuina valorem, & condignitatem respectù gratiæ iustificantis; sicut è contra opera iustorum ab extrinseca ordinatione diuina, & ex vi inhærentis charitatis habent talem valorem, & condignitatem respectù beatitudinis; ita ut si aliquis homo moreretur in gratia, iniustus esset Deus, (stantę suo decreto) nisi exhiberet illi suam beatitudinem; licèt à Deo sit constituta lex de semper, & infallibiliter danda gratia iustificante peccatori benè disposito; tamen lex illa data est à Deo ex sua liberalitate, & benignitate; vt inde peccatores de ipsorum iustificatione certitudinem habentes, faciliùs, auidiùsque detestarentur peccata.

28 *Replicabis*, quòd sicut lex de semper danda peccatori benè disposito gratia iustificante est à Deo ex sua mera benignitate constituta; sic etiam ex eadem benignitate, & fauore beneuolo data est à Deo lex de infallibiliter cōferenda beatitudine homini decedenti in gratia; ergo attritio peccatoris, & actus meritorius personę iustæ, erunt vniformes quantum ad condigni-

tatem, vel non condignitatem. *Tùm* quia ex eo quòd Deus cõstituit legem de semper danda gratia iustificante peccatori disposito, contra suam legem, & decretum faceret, si defacto nõ daret peccatori attrito gratiam iustificantem, & per consequens faceret contra iustitiam: quia iniustitia non potest attendi ex alio capite, nisi ex transgressione legis.

29 *Respondetur*, quòd licèt vtraque lex à Deo sit constituta ex sua mera liberalitate,& benignitate; tamen cum lege de exhibenda beatitudine morienti in gratia concurrit alia lex, & decretum diuinum, quo scilicet Deus decreuit, nostra esse merita, quæ sunt ipsius dona, vt inquit Concilium Tridentinum. Hìnc clarè colligitur, quòd cùm ex vi decreti,& ordinatione Diuina dona Dei sint nostra merita, scilicet, quòd cùm opera ex charitate facta,& decreto Diuino sint de condigno meritoria vitæ æternæ, & ex eodem decreto ita sunt nostra, ac si essent facta ex naturalibus nostris; iniustus vtique esset Deus, si non exhiberet beatitudinem decedenti in gratia. Opera tamen præcedentia iustificationem, nõ habent ex decreto Diuino, quòd sint nostra merita; ideò, si per impossibile Deus defacto non daret gratiam iustificantem peccatori attrito, nullam faceret ipsi iniustitiam. *Ad aliud respondetur*, quòd si Deus per impossibile non daret gratiam iustificãtem peccatori attrito, esset vtique transgressor sui decreti, scilicet non exequeretur, quòd decreuit; sed ex tali transgressione, vel non executione sui decreti, nulla foret in Deo iniustitia: quippè opera nostra præcedentia iustificationem, quantumcumque procedant ex impulsu Spiritus Sancti, non sunt ordinata à Deo, vt sint propria peccatoris merita respectù gratiæ iustificantis, scilicet non sunt ordinata à Deo, vt ab ipso debeant acceptari, tànquàm peccatoris merita, respectù gratiæ iustificantis. Benè tamen deberet tunc admitti mutatio in Deo, cum executioni non mandaret suum decretum. Deus igitur defacto non dãdo peccatori attrito gratiam iustificantem, nulla esset iniustitia notandus.

30 *Dices*: opera præcedentia iustificationem sunt ex impulsu Spiritus sancti: ergo non potest Deus non acceptare illa. Huic difficultati iam fuit satisfactum. *Ad abundantiorem doctrinam*, nego consequentiam, & ratio est: quia quamquàm ex eo, quòd peccator non possit ex naturalibus suis disponi,& præparari ad gratiam iustificantem, indigeat præueniri impulsu Spiritus sancti excitantis,& mouentis illum ad conuersionem in Deum; tamen ex vi illius impulsus, opera præcedentia iustificationem, non ha-

habent; vt sint propria merita peccatoris attriti: quia ex vi illius impulsus non habetur, Deũ decreuisse, vt merita ipsius peccatoris forent propria ipsius merita. *Hinc collige breuiter*, in quo differant meritum de condigno, & de congruo, & dic, quòd meritum de condigno includit duplicem habitudinem; vnam ad benignitatem, & liberalitatem diuinam, quatenus ex Dei gratuita ordinatione habẽt opera iustorum, vt includant condignitatem, & valorem: Alteram ad aliud decretum diuinum, quo Deus benignissimè decreuit, vt opera ex charitate facta, vt nostra sunt, includerẽt condignitatem. Meritum verò de cõgruo vnam tantùm includit habitudinẽ ad Dei benignitatem; ex qua voluit, & decreuit, semper, & infallibiliter acceptare dispositiones, & præparationes ad gratiam iustificantem. *Sed de hac re infrà.*

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Meritum formaliter sumptum, vt fundat condignitatem, seù ius, & debitum præmij, dicit necessariò particularem Dei acceptationem.*

31 PRobatur ex locis supracitatis Scoti. Meritum de condigno nõ solùm dicit respectum ad mercedem, sed etiam ad personam præmiantem: ad mercedem, vt debitam; ad personam verò præmiantem, vt debitricem: sed Deus non potest esse debitor tribuenti mercedem pro aliquo opere creato, nisi interueniente eius promissione, seù pacto; ergo condignum meritũ apud Deum, præter dignitatem operis, necessariò requirit pactũ, seù promissionem Dei. Maior patet ex definitione meriti de condigno; nec vllus est author, qui neget, de ratione meriti esse constituere debitorem illum, in cuius obsequium fit: nam esset contra illud Pauli ad Romanos 4. n. 4. *Ei autem, qui operatur, merces, non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum*; vndè Augustinus *super Psalmum* 87. *in fine* tractando verba Pauli: *Quam reddet mihi Dominus in illa die iustus index*; sic ait: *Indulgentiam donabit: coronam reddet: donator est indulgentiæ, debitor coronæ.* Libro de gratia *cap.* 23. affirmat, *ideò pugnare gratiam esse ex merito; quia si gratia est, non ex debito est.* Minor de se clara est:

re-

repugnat enim oppositum eius summo, & absoluto dominio, quod habet Deus in nos, & in quascũque operationes nostras. Colligitur etiam ex illis verbis Christi Matthæi 20. *nonnè ex denario conuenisti mecum; tolle quod tuum est, & vade*; vbi totam rationem æquitatis, & iustitiæ inter laborem, & mercedem posuit Christus Dominus in conuentione, quæ idem est, ac pactum, seù promissio sub conditione laboris; & expresse habetur apud Augustinum: nam *sermone 16. de verbis Apostoli*, de Deo loquens, ita ait: *Deus debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid, quod ei placuit, promittendo*; & in enarratione in *Psalmum* 109. *Fidelis Deus, qui se nostrum debitorem fecit, non aliquid à nobis accipiendo, sed multa nobis promittendo.*

32 *Secunda probatio*: opera meritoria habentur dependenter ab ope ipsius Dei: ergo si non accedat ordinatio, & promissio Dei, minimè inducent nostra merita obligationem in Deo, vt teneatur ad dandum præmium. *Item*: opera meritoria sunt debita Deo varijs titulis, *verbi gratia*, ratione supremi dominij, vltimi finis, &c. ergo non possunt de se obligare Deum. *Item*. Opera meritoria debentur Deo titulo gratitudinis: ergo non possunt ex natura rei obligare Deum. Antecedẽs patet; nam tenemur Deo gratias agere pro donis acceptis.

*Accedat tertia probatio*. Opera Christi fuerunt defacto meritoria promissionis benefactorum pro hominibus, & non pro Angelis; nec potest assignari ratio, cur defacto Christus non satisfecerit pro peccatis Angelorũ, nisi, quia ibi non adfuit acceptatio, seù promissio Dei; ergo præter dignitatem operis, ad completam rationem meriti requiritur acceptatio, & promissio Dei. *Dices*, Christum non meruisse Angelis remissionem peccatorum, quia non obtulit pro illis sua opera, sed potiùs illos exclusit. *Contrà*: quia licèt hæc sit ratio proxima, tamen non excludit remotam, quæ alia esse nequit, quàm acceptatio, seù ordinatio Dei: nam si quis iterum ab illis authoribus petat: cur Christus sua opera non obtulit pro remissione peccatorum Angelorũ, supposito, quòd potuit? necessarium est, vt respondeant: quia Christi voluntas in omnibus est conformis voluntati Dei, & Deus opera Christi in sua æternitate non acceptauerat pro remissione peccatorũ Angelorum. *Item* Probatur nostra propositio ex vulgari illa sententia: *Tanta est misericordia Dei, vt nostra voluerit esse merita, quæ sunt sua dona*. Hanc sententiam habet *Tridentinum sessione 6. cap. 17. Cœlestinus Epistola prima cap. 12. & Augustinus cap. 105.* ergo ex misericordia Dei oritur, vt opera nostra, quæ sunt sua

dona,

dona, sint meritoria vitæ æternæ, & consequenter non obligant ipsum, nisi, quia ipse acceptat, & vult.

33 *Dices*, si Petrus daret Paulo equum, & Paulus deberet Petro decem scuta; posset Paulus satisfacere Petro absque vlla acceptatione, aut pacto, reddendo ipsi eundem equum, vel decem scuta ex eius pretio, nec Petrus posset non acceptare: ergo potest fieri satisfactio alicui (idem est de merito) ex ipsius bono. *Respondetur*, distinguendo consequens; alicui, cui ex pleno, & vniuersalissimo dominio omniũ rerum, non deberentur omnia multis alijs titulis; concedo cõsequentiam; alicui, cui sic deberentur omnia, cuiusmodi est Deus, à cuius dominio, eo quòd sit perfectissimum, & vniuersalissimum, nulla creatura eximi posset: nego consequentiam, & nego, inter ipsas etiam creaturas idem esse quòad hoc de merito, & satisfactione; nam Paulus, licèt posset tunc satisfacere sinè vllo pacto, aut acceptatione antecedenti: quia satisfactio solùm requirit, vt restituatur tantum, quantum debetur, tamen non posset mereri aliquid à Petro, nisi accedente acceptatione ipsius Petri.

34 *Item* ex Tridentino loco citato: benè operantibus vsque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tanquàm gratia filijs Dei per Iesum Christum misericorditer promissa, & tanquàm merces ex ipsius Dei promissione, bonis operibus ipsorum, & meritis, fideliter reddenda: ergo opera nostra, quà merita nostra, vitæ æternæ dicunt promissionem, & misericordiam Dei, consequenter non sunt de se talia formaliter, seclusa Dei misericordia, & promissione. *Item* Concilium Senonense asserit, iustitiam meritorum nostrorum non fundari in absoluta dignitate nostrorũ operum, sed magis in liberali, & gratuita promissione Dei, qua conuentione facta, conduxit operarios. *Item. Augustinus sermone 16. de verbis Apostolorum*, loquens de Deo, dicit: debitor factus est, non aliquid à nobis accipiendo, sed aliquid, quod placuit, promittendo: aliter enim dicimus homini, debes mihi, quod dedi tibi, & aliter dicimus Deo: debes mihi, quod promisisti mihi: ergo Deus non deberet nobis aliquid, nisi primò promisisset. *Item*: opera iustorum non habent ex se condignitatem, valorem, seù perfectionem æqualem cum gloria, vt vidimus propositione antecedenti; ergo ex se non possumus completè habere ius meriti, & iustitiæ respectù gloriæ, nisi adsit promissio Dei. *Item*: quoniam, etsi actiones elicitæ in patria extra præsentem statum, vt quas eliciunt existentes in Purgatorio, & Enoch, & Elias, sint

ex

ex se condignæ; tamen ob nullam aliam rationem, non sunt formaliter meritoriæ; nisi quia non adest diuina promissio, & ordinatio illarum ad præmium, in qua formaliter fundatur ratio iuris, & iustitiæ, in quo consistit formalis ratio meriti de cōdigno. *Ad pleniorem intelligentiam* moneo, per hanc Dei promissionem, quam, dicimus, esse necessariam, & complere rationem meriti, non intelligi ipsam promissionem, quæ est formaliter de præmio dando: quia ita non haberetur sufficiens ratio distinguendi meritum de condigno à merito de congruo: nam huic etiam aliquando est coniuncta promissio; sed aliam distinctam, & coincidentem cum acceptatione particulari Dei, à qua accipit opus esse meritorium de condigno.

35 *Nostra dicta impugnabis. Primò*: si ius ad præmium in nostris meritis fundaretur in acceptatione diuina; non referret siue opus esset perfectum, siue imperfectum; nec quis per opera perfectiora magis mereretur, quàm alius per opera minùs perfecta, quod dicet nemo. *Vrgeo argumentum*; sequeretur, quòd vbicumque interuenit promissio Dei cum conditione operis boni, illud opus esset meritum de condigno, quod tamen est falsum, vt patet de promissione veniæ peccatorum factæ, eleemosynæ, orationi, contritioni, condonationi iniuriarum, & multis alijs, &c: *Deindè* ipsis operibus iustorum sæpè fit promissio alicuius rei, respectû cuius non sunt merita de condigno, vt patet de promissione facta Abrahę, quòd ex semine eius foret Christus propter obedientiam, qua voluit immolare filium ex mandato Dei, & ex promissione, qua Christus promisit Patribus Sanctis; cùm tamen nec Abraham, nec Patres fuerint meriti de condigno.

36 *Respondetur primò*, negando sequelam maioris pro vtraque parte. Ratio primæ partis, patet ex dictis: nam si Deus nequeat acceptare opus indifferens; multò minùs post acceptare opus imperfectum (loquendo de imperfectione politiua) nam si sermonem facimus de imperfectione negatiua, quæ est tantùm negatio maioris perfectionis, quæ reperitur in altero opere, ad quod cōparatur opus, quod dicitur sic imperfectum; eadem est ratio vtriusque partis sequelæ maioris; *vndè ad secundam dico*, pactum, & acceptationem diuinam interuenire cum conditione operis boni, & supponere eius honestatem, ac valorem fundamentalem, & illis commensurari; ita vt opus perfectius, proportionaliter ad suā perfectionem, ordinetur ad perfectius præmium, quamuis nullum alioquin præmium mereretur, nisi accederet ista acceptatio.

tio. *Ex hoc succedat secunda respõsio.* Distinguo sequelam maioris, si ius meriti ad præmium fundetur in ratione solius acceptationis sine ullа proportione ad opus, concedo; si non fundetur in sola ipsa acceptatione, nisi cum proportione ad opus, & conditione ipsius operis; nego sequelã: vnde opus crescit tàm in valore formali, quàm fundamentali.

37 *Ad confirmationem dicimus*, habere difficultatem tãtũ in sententia eorum, qui non requirunt vllam promissionem, vel acceptationem moraliter dignificãtem opus distinctam à promissione, quæ est formaliter de ipso præmio dando. Hanc difficultatem non habet in sententia nostra: quia concedimus, illam acceptationem distinctam à promissione præmij esse necessariã ad meritum de condigno; & ex defectu huius conditionis, seu acceptationis particularis, dicimus, iustos non mereri de condigno sibi ipsis, nec alijs auxilia alia, nec plura alia dona tam spiritualia, quàm temporalia, quę sępissimè sibi, & alijs impetrant, licèt opera ipsorum habeant coniunctam promissionẽ talium bonorum: nulla est enim ratio, cur iusti, mediantibus suis operibus, aliquando impetrent talia dona, & aliquando non, nisi, quia Deus promittit, & vult aliquando concurrere, & aliquãdo non. Et quamuis contritio habeat virtualiter coniunctam promissionẽ remissionis peccati, tamen non est meritum de condigno: quia adiunctam non habet, saltem de facto, hanc particularem Dei acceptationem; gratis enim iustificamur ex Apostolo: quia docet Tridentinum: *Nil eorum, quæ iustificationem prę-cedunt, ipsam iustificationis gratiã promeretur*, scilicet de condigno; sed tantùm impetratoriè, & dispositiuè, vel de congruo; peccatores enim non merentur, vt exaudiantur: quia sunt inimici: Deus tamen ex sua liberalitate, & misericordia conuersioni ipsorum promisit veniam. Vnde licèt sit obligatus obligatione etiam distincta ab illa, quæ oritur ex pura fidelitate ad remittẽdum peccatum, supposita conditione operis, quia est obligatio cum conditione operis onerosi; tamen non obligatur ex iustitia, sicut obligatur ad prę-miãdum opera iustorum, quibus secundùm Scripturam, & Tridentinum proponitur vita ęterna, vt merces, & præmium à iusto iudice reddendum. *Constat ergo ex Tridentino*, esse maximam differentiam inter opera iustorum, & peccãtium in ordine ad obligationẽ præmij conferendi, quãtumuis vtrisque operibus annexa sit promissio præmij; hæc verò diuersitas oritur ex eo, quòd opera iustorum acceptentur, & dignificentur ad accceptationẽ ex ordinatione iam suprà expli-

cata: Opera verò peccatorum non acceptantur vt sic,nec fortè acceptari possunt, quia status peccatoris impedit, quominùs Deus possit ipsi obligari ex iustitia,aut alio modo, quàm ex sua volitione. Legantur, quæ dixi propositione antecedēti in fine. *Oppones nobis*, Hæreticos, quos damnat *Tridentinum sessione 6. can 6.* admittere opera meritoria vitæ æternæ ex sola promissione Dei. *Respondetur*, sensum Hæreticorum longè differre à sensu Scholasticorum; Hæretici enim negant valorem fundamentalē in operibus:quia licèt admittāt, alia esse bona ex obiecto; dicunt tamen,semper vitiari ex circumstantia aliqua praua. Hoc damnauit Tridentinum.

38 *Secundum argumentum*. Sicut opus bonum se habet ad præmium,ita peccatum ad pœnam: sed ante omnem acceptationē, & ordinationem Dei est in peccato debitum pœnæ de condigno ex natura rei: ergò in opere bono est debitum præmij ante acceptationem. Minor probatur: quia, si Deus comminaretur pœnam æternam ob peccatum veniale, non ideo illud esset dignum tali pœna; ergò de se peccatum est dignum, non ex Dei ordinatione. *Respondetur primò*, negando maiorem, quia per opus bonum obligatur Deus creaturæ, Deus autem obligari nequit, nisi ex sua ordinatione, & voluntate; è contra res se habet in opere malo: peccator enim fit debitor Deo, cui rigorosè obligari potest de iustitia ex natura rei,seclusa omni acceptatione particulari Dei distincta à prohibitione,vel pręcepto, siue naturali,siue positiuo obligante ad faciendum, vel non faciendum. *Respondetur secundò*, distinguendo minorem,si loquamur de cōdignitate formali,qua culpa ordinatur actù ad pęnam in specie,vel de obiecto obligante ad talem pęnam infligendam propter peccatum, nego minorem; hęc enim obligatio consurgit tātùm ex lege, & voluntate Dei; hinc namque oritur, quòd peccata viatoris tantùm puniantur, peccata autem damnatorum nō puniantur.Si verò loquamur de fundamentali condignitate,considerato ordine iustitiæ,concedo minorem,& eodem sensu consequentia est vera: quia bonum opus habet independenter ab acceptatione fundamentalem condignitatem ad præmiū, quæ abusiuè cōdignitas dicitur: quia condignitas includit ius ad pręmium;hoc autem ius non habetur,nisi dependenter ab acceptatione,& ordinatione Dei; licèt enim ex natura ipsius rei sit cōgruitas, vt opera mala puniantur,& præmientur bona; nil tamen necessitat Deum, vt ita faciat independenter à sua ordinatione. *Ex his patet ad probationem minoris*,quia requiritur proportio in opere ad pœnam, & præ-

præmium. Vnde peccatum veniale nequit puniri vita æterna, quia est peccatum leue, & Deus citrà condignum punit, licèt vltrà condignum præmiet. Si tamen Deus prohiberet sub pæna æterna illud, quod de facto tantùm est peccatum veniale; hoc ipso redderetur materia grauis, & transgrediens peccaret mortaliter.

39 *Aduertendum tamẽ hìc est:* quòd peccatum dicetur esse condignum, vel habere debitum pęnæ independenter ab ordinatione illius, qui debet punire, & meritum habere condignitatem, & debitum præmij; maximam esse disparitatem inter vtranque cõdignitatem, vel debitum: nam condignitas peccati consistit in hoc, quòd habens potestatem puniendi peccantem, possit ipsum iustè, & sine vlla iniustitia punire, siue teneatur ad hoc, siue non. Condignitas verò meriti de condigno non consistit in eo, quòd tale meritum possit præmiari: nam meritum etiam de congruo potest pręmiari; sed cõsistit in eo, quòd debeat ex iustitia pręmiari; seu quòd inducat obligationem, & debitum iustitiæ respectũ pręmij; itaut præmiũ debeatur ex iustitia merẽti; talis aũt obligatio nequit esse ex parte pręmiantis independenter à sua voluntate, & acceptatione. Vnde tametsi peccator possit puniri secundùm iustitiã, & sinè iniuria pęna peccato proportionata indepẽdẽter ab omni ordinatione particulari antecedente ipsam culpam; tamen nullus tenetur ex iustitia præmiare opera bona alterius, nisi ex parte eius præcedat pactum, & acceptatio talium operum. *Hac doctrina posset tertiò responderi ad obiectionem*, negando maiorem, & assignando disparitatem; quòd scilicet condignitas meriti inferat obligationem iustitiæ ex parte præmiantis; ad condignitatem verò peccati sufficere, quòd possit sinè iniustitia puniri.

40 *Succedat tertium argumentum.* Infantes baptizati habent ius ad vitam æternam: Sed hoc ius non fundatur in acceptatione diuina; ergo acceptatio diuina non requiritur, vt iusti mereantur vitam æternam. *Respondetur distinguendo maiorem*: habent ius fundatum in gratia sanctificante ex meritis Christi, qui meruit nobis ipsam gratiam, & vitam æternam (accedente tamen acceptatione) concedo maiorem; fundatum in meritis proprijs; nego maiorem: distinguo similiter minorem, & nego consequentiam; aliud enim est, quòd vita æterna debeatur gratis iusto ratione gratię, & meritorum Christi; aliud verò, quòd debeatur ipsi, vt corona, merces, & præmium meritorum propriorum.

41 *Quartum argumentum*; si requireretur promissio, seu pactũ ad meritum vitæ æternæ, sequeretur,

retur, multos iustos per bona opera non meruisse vitam æternam. Sequela patet: quia pactũ, vt inducat obligationem iustitiæ, debet esse notum, & acceptatum ab eo, cui aliquid ex iustitia tribuẽdum est: alioquin liber maneret ab obligatione, qui aliquid promisit. *Confirmatur*: quia potest quis non scire tale pactum, taléquè ordinationem Dei. *Respondetur*, non esse necessarium, vt singuli iusti in particulari cognouerint, & acceptauerint explicitè promissionem; sed sufficit, acceptatam fuisse ab Ecclesia medijs aliquibus, qui semper habuerunt notitiam huius promissionis; isti autem ab eo acceperunt potestatem, vt nomine Ecclesiæ, quatenus continet omnes fideles, acceptarent compactum, & promissionem; hoc sæpiùs præ manibus habetur in humanis: sufficit enim, quòd Rex publico nomine omnium ciuiũ acceptet aliquid medijs Senatoribus, vt omnes acquirant ius ad rem promissam, reliqui autem, sufficit, quòd referantur ad contractum cum prioribus. *Et ita esse pactum in re nostra*, dictat ratio prouidentiæ diuinæ, qua Deus gubernat Ecclesiam, & quia, aliàs promissio foret otiosa, nisi ab aliquibus acceptaretur. *Adde*: quòd pactum, seu promissionem videtur insinuare parabola patrisfamilias secundùm illud: *Ite & vos in vineam meam, & quod iustum fuerit dabo vobis, &c.* His in verbis non fuit facta expressa conuentio de diurno denario cũ omnibus, sicut cum prioribus, sed virtualis solùm, qua tenebatur soluere etiam posterioribus ex iustitia, seruata proportione temporis, & laboris. Pactum hoc conditum esse, patet ex illa vulgata sententia: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Rem declaro: Si quis publicaret edictum, quòd quicumque laboraret in vinea sua, pro labore diurno reciperet tantam pecuniam; Certè absque alijs verbis, vel pactis, qui laboraret in vinea, de facto assentiret illi petitioni, & ex iustitia fieret creditor pro suo labore. Ita in proposito: Deus publicauit legem; qui præcepta seruauerit cum gratia, habebit vitam æternam; ergo cùm homines se applicant ad illa opera cum auxilio Dei, consentiũt pacto, & fit contractus, ex quo oritur obligatio in Deo ad remunerandum. *Hinc fit satis his*, quæ contra nos adducit *Pater Vasquez*, quòd nimirùm multi sint meriti, qui explicitè non cognouerunt promissionẽ præmij; sufficit enim, quòd fuerit acceptata ab Ecclesia; quod etiam sufficit, vt omnes mereamur augmẽtum gratiæ, imò & reuiuiscentiã meritorum mortificatorum.

42 *Quintum argumentum.* Si quis videat hominem laborãtẽ in sua vinea, & laborem approbet, vel iubeat, illũ laborare; tenetur Dominus vineæ ex iustitia soluere mer-

mercedem, quamuis expressam conuentionem cum ipso non habuerit; cum ergo Deus videat iustos in ipsius vinea laborantes, & non solùm non resistat, quinimò etiam laudet, consilii præbeat, & interdùm recipiat laborem, eo ipso tenebitur ex iustitia id compensare; ac proindè absque cōuentione, & pacto, iusti merentur præmium. *Confirmatur*, quia in puris naturalibus absque vlla promissione merentur omnes præmium naturale; ergo & supernaturale.

*Respondetur*, *hoc argumentum* confirmare sententiam nostram: nam in humanis nunquàm est obligatio ex iustitia, nisi sit pactum explicitum, aut implicitum; ergo non erit in Deo obligatio iustitiæ sine pacto. *Declaratur exemplo*. Quoniam si Dominus vineæ videat aliquem laborantem, qui nec illius seruus, nec filius sit, aut taliter obligatus, & tunc laborantem suadeat, aut præcipiat, eo ipso intelligitur fecisse pactum cum illo de retributione mercedis; æquiualet enim hoc pacto explicito: nam apud homines satis constat, non solere exhiberi gratis huiusmodi obsequia; si autem qui laborat, sit seruus, aut filius Domini vineæ; quantumuis Dominus videat, suadeat, & præcipiat; tamen nemo prudens iudicabit, manere obligatum ex iustitia ad retributionem mercedis; eo quòd iure filiationis, aut seruitutis ille tenetur præstare illud obsequium, & Dominus, seù pater habet ius, & pactum filiorum, & seruorum operibus in his, quæ non excedunt paternam potestatem, & dominium, nisi faciat pactum de præmio, quo censetur cedere iuri suo. *Ad propositum*, cùm Deus sit Pater, & Dominus omnium, & iusti omnia opera bona debeāt Deo, vt optimo parenti, & Domino, quamuis eos Deus videat laborantes, licèt consulat, & præcipiat bona opera; non statim censebitur fecisse pactum de retribuenda mercede, sed alijs titulis ea opera acceptare potest; ergo nisi Deus iustis promittat ob bona illorum merita præmium; nullo modo ex iustitia eam cōferre tenebitur. *Secundò responderi potest*, quòd gratis concesso in merito, quo homo de homine meretur, nullum pactum esse necessarium; tamen respectù Dei maxima disparitas est: homo enim homini potest sola iuris, & obsequij efficacia induere verum debitum, & obligationem retributionis; Deo autem minimè, nisi ipse sua promissione, voluerit se obligare. *Ad confirmationem dico*, quòd homo in puris naturalibus per bona opera sinè pacto non mereretur propriè præmium naturale, taliter quòd ibi intercesserit ratio iustitiæ. Haberetur ergo tantùm tunc ratio communis prouidentiæ.

43. *Sextum argumentum.* Sola gratia sufficit ad hoc, vt actus sit meritorius; ergo non est necessaria acceptatio Dei. Antecedens probatur: filio naturali, & legitimo, nec demerenti, ipso iure debetur hæreditas, nec ea potest priuari sinè iniustitia: sed gratia constituit filios Dei: ergo actus elicitus ex gratia est de se meritorius,. Maior probatur ex illo ad Romanos 8. *Si filios, & hæredes. Respondetur primò* (quidquid sit de filiatione naturali) non vrgere de filiatione adoptiua habita per gratiam. *Secundò dico*, qualitatem gratiæ non facere filium adoptiuum ex propria natura, sed ex beneplacito Dei. *Tertiò dico,* quòd vltra statum gratiæ requiritur acceptatio Dei, qua nostra merita eleuentur ad valorem correspondentem præmio; nam (vt aliàs dixi) opera nostra elicita ex inclinatione charitatis non habēt sufficientem valorem, &c. non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam. *Item* requiritur acceptatio, qua Deus velit, quòd illa opera, quæ multis titulis erant Dei, sint nostra. *Item* requiritur, quòd Deus sua promissione se obliget ad acceptanda illa opera, & illorum intuitu det nobis gloriam.

*Dices*: indè sequitur, quòd Christus deberet orare Patrem non solùm, vt nobis conferat gratiam ad benè operandum, sed vlteriùs deberet orare, vt nostra acceptet opera. *Respondetur*. Argumentum supponere falsum, videlicet, quòd post factam operationem ex inclinatione charitatis, Deus se obliget ad ea acceptanda. Dico ergo, quòd obligatio acceptationis non est in tempore, sed ab æterno. Quò fit, vt, cum statim ac Deus vult dare gratiam, velit etiam se obligare ad acceptanda illa opera: sufficit, inquam, quòd rogetur Deus ad dandam gratiam: etenim statim intelligitur obligatus ad acceptanda nostra merita. *His præmissis de merito, sit*

## PROPOSITIO QVARTA:

### *Operationes Christi Domini habuerunt veram, & propriam rationem meriti.*

44 EST communis Theologorum, & patet ex Scriptura, & Patribus dicentibus, Christum satisfecisse pro nobis: redemisse

misse nos in sanguine suo, & liberasse nos à peccatis nostris; quæ omnia indicant, opera Christi fuisse meritoria. *Tridentinum sessione 6. cap. 6.* dixit, Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis, & meruisse nobis iustificationem. *Fauet ratio*: quia nil defuit operibus Christi necessarium ad veram, & propriam rationem meriti: erant enim actus honesti, procedentes à gratia, & à persona Deo summè grata: erant liberi: referebantur ad præmiū: propterea enim venit, & actus bonos elicuit, vt nos à peccatis redimeret, & Cœlum nobis aperiret; erat illis facta promissio Isaiæ 53. n. 10. *Si posuerit pro peccato animam suam; videbit semen longæuum*. Ex quo loco Doctores colligunt pactum inter Christum, & Patrem.

45 *Dices primò*, Christum fuisse comprehensorem; statum verò viatoris esse necessarium ad meritum: vndè extra meritum sunt; qui iam beatitudine cœlesti gaudent: dicunturquè comprehensores, qui vltrà nil merentur, quantumuis benè operentur, vel circa Deum, vel circa nos propter Deum; quia mercedem à Deo receperunt, quæ vltrà condignum est talis, ac tanta, vt ex recepta mercede, teneantur ea omnia bona facere, quæ faciunt. Vndè *Scotus in 2. dist. 5. quæst. 1.* docet, quòd Angeli per obsequia hominibus præstita nil sibi merentur: quia ea opera sunt redundantia ex perfectione beatitudinis, & non sunt ordinata ad vlteriorem perfectionem, sicut est de actibus generatis ab habitu perfecto, qui actus non intendunt habitum, cùm iste iam sit perfectissimus, sed tantùm procedunt ex plena perfectione ipsius habitus; *& in 3. dist.* 18. dicit, quòd Angeli, & Beati, licèt habeant operationes circa nos, non merentur per illas: quia sunt actus inclusi in beatitudine illorum, & ex illius plenitudine, & collatione obligantur nobis à Deo. In inferno existentes, nec nō in puerorum Limbo sunt extra statum merendi: quia non solùm carent gratia iustificante, sed etiam habere eam non possunt ex decreto Diuinæ iustitiæ; cùm tamen gratia necessaria sit ad meritum. In Purgatorio existentes, quamuis sint in statu satisfaciendi, non tamen sunt in statu merendi; non quòd minimè operentur bonum, quia non sint in gratia; sed quia decreuit Deus, opera animæ extra corpus existentis non acceptare ad remissionem: si enim anima in Purgatorio existens mereri posset, fieret, vt quæ ad plures annos in Purgatorio maneret, plura quoque haberet merita; hinc iniuria fieret ei, si quis Deū rogaret pro illius liberatione, & si in æternum manere posset in Purgatorio, posset merita habere, quasi infinita. Soli homines

in

in hoc mundo existentes, qui viatores dicuntur, sunt in statu merendi, & si cum gratia iustificante operantur, defacto merentur. Illi autem soli dicuntur meriti capaces, qui non sunt in termino, & decreuit Deus eorum acceptare operationes, siue sint ex præcepto, siue ex diuino consilio omnibus facto, aut alicui personæ per internam monitionem, & quasi propria intentione operantis. Isto sensu intelligenda sunt verba Isaiæ 3.n.10. *Dicite iusto, quoniam benè, quoniam fructum adinuentionem suarum comedet.*. Cum ergo Christus fuerit comprehensor, videtur, minimè potuisse habere actionem meritoriam.

46 *Vt respondeamus*; nostrum est inquirere; quomodò conditio cōprehensoris prohibuerit meritum. *Nota*. Christus, quātumuis comprehensor esset; tria tamen in se habebat, quorū quodlibet per se sufficeret, vt verè mereri posset: nam volūtas sua, quatenus est voluntas sensualitatis, non erat completè beata, vt colligitur ex doloribus, quos patiebatur, qui, cùm repugnarent appetitui sensitiuo, & eas placato animo ferebat Christus, referebatquè in Dei gloriam: tot erant actus meritorij, quot erant actus repugnantes affectui commodi, acceptati nihilominus ex affectu iustitiæ. Hinc vigiliæ, pernoctatio in oratione, esuries, lassitudo, & alia id genus opera fuere in Christo meritoria. *Est alter secundus modus*, quo monemur, Christum secundùm portionem inferiorem non fuisse completè beatum, vt colligitur ex tristitia eius, quæ ex multiplici capite oriebatur, scilicet Matris afflictione, Apostolorum dispersione, Petri negatione, Iudæ desperatione; hæc, & alia similia, cùm diplicerent affectui commodi, & ea propter Deum suscipiebat ex affectu iustitiæ, erant opera in Christo meritoria. *Tertius superest modus*, qui immediatus attingit voluntatem Christi secūdùm partem superiorem, secundùm quā verè beatus erat. Dictum sanè est, comprehensoris statum pugnare cum statu merendi; sed quis nesciat, nullam esse regulam tàm generalem, quæ suam non patiatur exceptionem? Alij comprehensores, quia omnimodam mercedem, & beatitudinem perceperunt; mirum non est, si apud Deum eorum opera non sint meritoria; sed Christus, quantumuis beatus, non habebat omnimodam gloriam in anima, & corpore; idcircò hæc peculiaris ratio facit, vt Christus etiam secundùm portionem superiorem posset mereri. Idipsum probat Christi dignitas cum summa humilitate coniuncta: *Est argumentum Diui Pauli ad Philippenses tertio*: cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo,

sed

sed exinaniuit semetipsum, &c. Quæ verba docent, conuenisse Christo statum comprehẽsoris, & viatoris taliter, vt vnus alteri damnum non inferret, & esset propterea peculiare priuilegiũ Christo, posse mereri, etsi beatus esset. *Adde*: conditionem viatoris (scilicet eius, qui adhuc est in via, & vlteriùs tendit) requiri ad rationem meriti tantùm de lege ordinaria: posset enim Deus, si vellet, acceptare opera beatorum, tanquàm meritoria de condigno; nam earum valor augetur potiùs ex perfectione status, & mediorum operandi, quàm minuitur: vndè sicut dispensatum fuit Christo in multis alijs quòad legem ordinariam, poterat etiam cum ipso dispensare Deus, quòad statum merendi. *Adde*, Christum fuisse viatorem vsq; ad mortem: quia nõ fuit perfectè in termino, cùm non habuerit gloriam corporis, nisi post resurrectionem, vel passionem.

47 *Dices*: Christus non potuit peccare: ergo nec mereri; consequentia patet à paritate. *Respondetur* negando consequentiam, & paritatem: quia licèt visio beatifica excludat ab eo, in quo est, potestatem se auertendi positiuè à fine vltimo: non necessitat tamen ipsum physicè ad prosecutionem finis, nec ad voluntaria propter finem. Et hoc maximè verum est, si non obstante visione, aliquis sit adhuc viator, qui possit pati, & cui possit accidere aliquid contra affectionem commodi; nam tunc posset illud ordinatè velle, & acceptare, atque adeò mereretur. Nos etiam, qui cum Scoto tenemus, beatis minimè cõpetere ex intrinseca ratione beatitudinis, non posse à dilectione Dei clarè visi cessare, sed hoc solùm illis conuenire ex manutenentia Dei, qualis est continuatio auxiliorum efficacium ad non cessandum, & consequenter dilectionem, qua vult Deum clarè visum, esse simpliciter liberam, saltem quòad exercitium, licèt defacto nunquàm ab illa cessent propter illam manutenentiam, seù continuationem auxiliorum efficacium: consequẽter possumus dicere id, quod approbat *Scotus in 3. dist. 18. qu. vnica littera D. versiculo ad tertiũ cum dicitur, &c.* scilicet Christum meruisse per actum beatificum dilectionis Dei clarè visi, nec illi actui defecisse libertatẽ ad meritum necessariã: quia manutenentia Dei, seù auxilia efficacia compatiuntur cum libertate. Hinc in via Scoti, qui tenet, humanitatem Christi ex vi vnionis non fuisse formaliter impeccabilem, sed hoc ei competere ratione dilectionis Dei beatificæ; & cùm in eadem via Scoti dilectio Dei clarè visi sit simpliciter libera quòad exercitium, & possit Beatus simpliciter ab illa cessare, quamquàm defacto

id nũquàm eueniat propter impotentiam moralem ex manutenentia Dei, seu (quod idem est) ex continuatione auxiliorum efficacium; consequenter dicendum est secundùm ea principia, etiam ipsam adimpletionem præceptorum fuisse Christo simpliciter liberam. *Dic etiam*, quòd Christus potuit mereri ex dispensatione; & ea dispensatione poterat etiam peccare, &c.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Christus meruit nobis actibus exterioribus sensitiuis imperatis à voluntate.*

48 PRobatur actus exteriores imperati à volũtate sunt participatiuè liberi, & laudabiles: ergo & meritorij; ergo & in Christo. *Item*. Opera nostra sensitiua, vt subsunt imperio volũtatis, sunt digna retributione: ergo & opera Christi. *Item*. Christus glorificatus est in sensibus etiam ante mortem; ergo. *Item*, qui nulla necessitate compulsus facit aliquod bonum, meretur; Christus multa fecit bona, exercendo sensus exteriores, & non frustrà, nec necessitate compulsus, ergo meruit. *Dices*: potentia determinata ad vnum tantùm non habet in suo actu laudem, vel vituperium: potentiæ sensitiuæ sunt determinatæ ad vnum actum: ergo in eis nullum reperitur meritum. *Respondetur*, maiorem propositionem esse veram de potentia sensitiua sine ordine ad volũtatem; est tamen falsa de illa, quæ operatur ad imperium voluntatis. *Replicabis*: actus imperatus est coactus: sed coactio non est digna laude; ergo nec meritoria præmij. *Respondetur*, quòd duplex est actus imperatus, scilicet spontaneus, & non spontaneus; secundus dicitur coactus, sed non primus: actus sensitiui subduntur imperio voluntatis spontaneitate quadam, & propterea solent vocari liberi participatiuè; ergo iure merito illos, dicimus, meritorios in Christo. *Replicabis*: actibus exterioribus Christus non potuit demereri, ergo nec mereri. *Negatur consequentia*; Quia quòd Christus potuerit mereri, fuit ex dispensatione, sicut ex dispensatione fuit, cùm esset comprehensor, quòd simul esset viator, & licèt non potuerit demereri, quia beatus; tamen dispensatiuè potuit mereri.

PRO-

# PROPOSITIO SEXTA.

## *Christus fuit meritus actibus interioribus imperatis à voluntate.*

49 PRobatur. Eleuatio mentis in Deum imperata à voluntate est meritoria nobis; ergo & Christo. *Item* iuxta dictum Christi apud Matth. 10. *Omnes capilli electorum numerati sunt*; ergo multò magis cogitationes Christi apud Deum numeratæ sunt, ergo & remunerandæ erunt; sed non remuneratur, nisi meritum: ergo meritoriæ sunt. *Item*: quibus demeremur, eisdem meremur, & meruit Christus; sed demeremur cogitationibus: ergo & cogitationibus meremur; ergo & suis cogitationibus meruit Christus. *Item* (Supponatur vnum concessum ab omnibus Theologis, nempè, quòd Christus meruit ab instanti suæ conceptionis). Nunc tale sit argumentum. Ab instanti suæ conceptionis Christus non meruit actibus exterioribus (nullum enim tunc habuit) ergo meruit actibus interioribus. *Item*. Opus voluntatis non est laudabile, nec meritorium, nisi sit conforme rectæ rationi, ergo multò magis actus imperatus intellectus à voluntate, & intellectui, seù rationi cõformis, erit meritorius. *Dices*: sicut simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: sed actibus interioribus præscindendo ab exterioribus, non competit esse magis, vel minùs meritorios; ergo nec simpliciter dicendi sunt meritorij. Minor probatur: si essent dicendi magis meritorij, dicerentur tales comparati ad actus exteriores, quibus sunt perfectiores: sed hoc est falsum: ergo, &c. Minorem probo: quia laudabilior est, qui actû dat eleemosynam, quàm qui tantùm cupit dare eleemosynam, dum potest, & non tenetur dare. *Respondetur*, quòd actus interiores sunt simpliciter meritorij, & magis meritorij, quàm exteriores. Ad probationem dico; quòd mensura meriti non sumitur ab actu, sed à charitate, & voluntate. In exemplo de eleemosyna, benè concluditur, quantùm est ex parte voluntatis: quia feruentiùs vult, qui dat, quàm qui tantùm cupit dare.

# PROPOSITIO SEPTIMA.

## Christus meruit fruitione.

50 PRobatur. Dilectio Dei propter se est perfectior actus, qui possit elici à voluntate informata charitate: ergo est actus meritorius.

*Dices*: Christus non meruit ratione suæ dignitatis personalis, & tamen est acceptabilior quocumque actu; ergo nec meruit actibus interioribus. *Respondetur*; quòd acceptabilitas est duplex, scilicet per modum excellentiæ, & per modum meriti; dignitas personalis est acceptabilior primo modo; sed secundo modo non est acceptabilis; fruitio verò secundo modo est acceptabilis. *Replicabis*: meritum, & præmium relatiuè dicuntur; quomodò ergo eadem fruitio, quæ datur à Deo, tanquàm præmium, potest esse meritoria. *Respondetur*, quòd fruitio est duplex, scilicet secundùm statum viæ, & ista est meritoria; alia est fruitio patriæ, vel secundùm statum patriæ, & hæc est præmium alterius; non ergo eadem fruitio est meritum, & præmium. *Replicabis*: si Christus meritus fuit fruitione; Deus diceretur mereri. *Probatur*: quia actus voluntatis fruentis sequitur actum intellectus cognoscentis obiectum formalem: sed ille actus est à Deo; ergo & actus voluntatis fruentis est à Deo: ergo Deus meretur. *Respondetur*, argumentum nihil concludere: quia fruitio viæ sequitur cognitionem viæ. *Adde*, quòd si fruitio viæ sequeretur cognitionem patriæ, non propterea esset operatio Dei totaliter, & immediatè; quia quomodocumque præsentetur obiectum voluntati, ipsa est causa totalis sui actus. In proposito tamen esset causa partialis, & eius concausa est summa gratia Dei.

51 *Dices secundò*: fruitio viæ ita fuit necessaria Christo, sicut & fruitio patriæ: meritum est quid contingens: ergo fruitio Christi non potuit esse meritoria. Assumptum probatur; quia Christus non potuit peccare; ergo eius fruitio fuit ordinata, vel neutra; non neutra: quia imperfecta; si ordinata; ergo fuit actio necessaria. *Respondetur*, quòd fruitio Christi fuit actio necessaria. Ad minorem dico, illam esse veram de communi lege, & ordinaria; non tamen dispensatione, & extraordinaria. *Replicabis*: si doctrina hæc esset vera; nonnè etiam Beati, & ipsemet Chri-

Christus modò mereri posset? *Respondetur*, quòd non: quia modò Christus non est viator, nec Beati sunt viatores; de ratione autem meriti est, quòd persona merens sit in statu viæ; hinc *Scotus in 3. dist.* 18. ad meritum exigit conditionem personalem; quæ conditio non est alia, nisi quòd persona non sit in termino; qui enim est in termino nec mereri, nec demereri potest. *Replicabis*: ergo Christus non potuit mereri. Probo consequentiam: persona constituta in termino, non potest mereri, nec demereri; persona Christi fuit in termino; quippè quatenus homo, fuit beatus, & comprehensor: ergo non potuit mereri. *Respondetur*, quòd esse in termino statu gloriæ, propriè dicit reperiri in statu beatitudinis sinè molestia; Christus fuit beatus, & comprehensor, sed non eo modo, quo tandem potuit esse, scilicet procul à molestia corporis, & animæ; idcircò non fuit omnibus modis comprehensor.

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Chistus meruit vsu.*

52 PRobatur ex illo Matthæi: *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata*; & ex illo: *Plenitudo legis est dilectio.* Nunc ita: dilectio est vel circa Deum, vel circa creaturam, & vtraque sub præcepto est; ergo quādo Christus dilexit creaturam in ordine ad Deum, habuit actionem meritoriam. *Dices*: obiectum meriti, & præmij debent distingui; sed non distinguerentur, si creaturæ mererentur vsu; ergo &c. *Respondetur*, negando maiorem: constat enim, quòd idem Deus per se amatus est obiectū dilectionis meritoriæ; ita creatura est obiectum vsus, & meriti, & præmij. *Secundò dico*, quòd obiectum meriti non est creatura dilecta, sed ipsa dilectio creaturæ, cuius terminus est ipsa creatura; obiectum autem præmij istius dilectionis est gratia Dei, vel aliud bonum tribuendum creaturæ ob meritum ipsius Christi. *Dices secundò*, seruiens alteri, eique benefaciens, si meretur, sibi ipsi meretur, & nō ei, cui inseruit: sed Christus per vsum creaturæ faciebat benè ipsi creaturæ, eiquè seruiebat, ergo si meruit, sibi ipsi meruit: at non meruit sibi suam beatitudinem, nec gloriam corporis sui, ergo per vsum creaturæ nihil meruit. *Respondetur*, quòd per vsum creaturæ, duo meruit

Chri-

Christus; vnum à Deo, cuius legem adimplebat,& cui seruiebat, mediante huiusmodi dilectione, & per hoc meritum dignus fuit exaudiri,& dignus obtinere creaturæ cœlestia bona. Alterum,quod meruit, fuit gratiarum actio, laus nominis sui, &c.

# PROPOSITIO NONA.

## *Christus meruit nobis acerbissima passione tolerata.*

53 Dicimus,etiam Christum esse meritum laboribus voluntariè sumptis, videlicet fame, & siti ieiunando, & fatigatione itinerando. Notanter dixi, *tolerata*, ad differentiam eiusdem passionis ab ipso Christo excogitatæ post mortem. Probatur primò: humilitas passionis secūdùm *Augustinū Tract.* 13. *in Ioannem*, claritatis est meritū, claritas humilitatis est præmium; subinfero: sed Christus clarificatus est in seipso, & in suis fidelibus; ergo Christus sua humilitate, & passione meruit nobis; minor patet quoad secundam partem ex illo Ioannis 17. *Et ego claritatem, quam tu dedisti mihi, dedi eis*. Quicumque in gratia constitutus patitur propter iustitiam,ex hoc ipso meretur sibi salutem; ergo Christus de sua salute securus, sua passione propter iustitiam tolerata, nobis meruit salutem. *Item* Christus meruit passione acceptata; ergo & passione tolerata: quia tolerantia passionis nihil aliud est, nisi quædam specialis, & efficax acceptatio.

54 *Dices*: principia passionis non sunt in nobis:sed non meremur, nisi per id, cuius principium in nobis est; ergo nec Christus meruit passione tolerata.*Respondetur*, quòd principium passionis est duplex, scilicet actiuum, & passiuum. De passione, quæ dicitur dolor, concedo, quòd in nobis non sit principium actiuum.Si tamen in patiente sit facultas vitandi dolorem, & non vitandi ad bonum finem, & secūdùm debitas circumstantias, sic dicitur in ipso esse principiū aliquo modo actiuum passionis; vt Nauta secundùm *Aristotelem in primo de Anima* dicitur causa salutis nauis per suam præsentiam, & per absētiam causa submersionis;sic in Christo fuit aliquo modo principium suorum dolorum, quos, si voluisset, vitare potuisset. *Dices*: cum quis iam meruit, superfluum est memereri: sed, vt supponimus, Christus ab instanti conceptionis

nis meruit quidquid per passionem potuisset mereri; ergo superfluum fuit, hoc ipsum mereri per suam passionem. *Respondetur*, quòd in opere meritorio duo sunt, scilicet laus Dei, & valor ad obtinendum nobis bonum; ratione primi passio Christi non fuit superflua; ratione secundi potest dici superabundans, sed non superflua: propriè enim superfluum est id, quod cognoscimus inutile. *Vel posset dici*, quòd à principio Christus meruit sufficienter iuxta magnitudinē diuinæ liberalitatis, meruit tamen etiam patiendo iuxta exigentiam diuinæ seueritatis, & rigoris iustitiæ. *Altera ratio*: radix meriti est charitas; at non fuit in Christo maior charitas tempore passionis, quàm antea; ergo non magis meruit in passione, quàm antea; ergo & inutiliter patiendo meruit. *Respondetur*, quòd meriti duplex est radix, scilicet charitas, & feruor voluntatis; & cæteris paribus, nempè stante eadem mensura charitatis, & eodem feruore voluntatis non crescit meritum; at crescente efficacia voluntatis, & stante charitate in priori termino, crescit & meritum.

## PROPOSITIO DECIMA.

### *Christus meruit magis vno, quàm alio actu.*

55 DEclaratur sic: comparādo duos actus eiusdem voluntatis Christi procedentes ab eadem charitate, v.g. actum diligendi Deum, & actum diligendi creaturam. Quæritur: *Vtrum alter sit altero magis meritorius?* Affirmantem partem docet nostra propositio. Probatur primò. Plus meremur perfectioribus operibus: sed vnum opus Christi fuit perfectius altero: ergo. *Item*: quod dicit perfectionem in nobis, non est negandum Christo: aliquis autem actus in nobis includit essentialiter alterum actum, & includens est melius incluso: ergo vnus actus in Christo includens alterum, fuit melior. *Item*: actus, quo magis exercetur charitas, magis est meritorius: sed inter actus Christi extiterunt quidam, quibus magis, & quidam, quibus minùs exercebatur charitas eius; ergo quidam fuerunt magis, quidam minùs meritorij.

56 *Dices primò*, à Christo remouenda est omnis imperfectio amouibilis, inæqualitas in actu meritorio inuoluit imperfectionem amouibilem; quia ponendo omne meritum esse summum, quia procedit à summa charita-

te

te ipsius saluatur perfectio meriti, & amouetur inæqualitas: ergo Christus minimè meruit plus vno actu, quàm altero. *Respondetur*, quòd ratio concluderet, si sola charitas esset principum formale; ideò negatur minor propositio. Ad probationem dico, quòd non est eadem ratio de summa gratia, & de merito. Vndè sicut ab eodem viro, & eadem fœmina potest produci fœtus perfectior, & imperfectior; ita ab eadem voluntate cum summa gratia potest procedere meritum maius, & minus, secundùm quòd actus voluntatis elicitur intensior à viribus naturalibus voluntatis.

57 *Dices secundò*: si vnum opus Christi meritorium excederet, quatenus est meritorium, alterum opus; effectus vniuocus excederet suam causam. Probatur: gratia est bonum morale, & meritum est bonum morale; ergo ambo sunt eiusdem rationis. *Vlteriùs* gratia Christi nō est summa; quomodò igitur meritum maius non excederet gratiam Christi? Meritū enim minus elicitur à voluntate Christi informata eadem gratia; & gratia, nō est principiū naturaliter causās? *Respondetur*, negando cōsequentiam. Ad primam probationem dico, quòd meritum, & gratia sunt eiusdem rationis genericæ; quia ambo sunt bona in genere morali, & ambo sunt bona supernaturalia; non tamen sunt eiusdem rationis specificæ: quia gratia est qualitas permanens, & meritum est operatio includens respectū ad debitas circumstantias. *Ad secundā probationem dico*, quòd maius meritum non adæquat perfectionem charitatis, cuius est effectus; loquendo de merito Christi præsertim; quia gratia reddit acceptabilem substantiam operantis, & opus eiusdem; meritum verò nō reddit acceptabilem substantiam operantis, sed recompensabilem; ideò vnum meritum potest esse maius altero iuxta maiorem remunerabilitatem.

58 *Replicabis*: per meritum de cōgruo aliquis fit acceptabilior altero; ergo multò magis per meritum de condigno: quia per ipsum meritum Christus potuit esse acceptabilis Deo: at per responsionem datam merita Christi fuerunt inæqualia; ergo Christus per aliquid fuit gratior, & per aliud minùs gratus Deo, quod est absurdum. *Respondetur*, quòd per meritum nullus efficitur acceptabilior: nisi ratione principij, vt puta virtutis, quæ est principium illius meriti. Simili etiam ratione valor meriti de condigno ponderatur iuxta principia eiusdem meriti. Nunc dico de merito Christi, quòd ratione suppositi operantis, omne opus ipsius fuit æqualiter acceptabile, & ratione charitatis similiter; at ratione voluntatis eli-

elicientis, non absurdè dicitur, quòd opus fuit acceptabilius iuxta maiorem, & minorem feruorem charitatis.

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## *Christus meruit per actiones portionis tàm inferioris, quàm superioris.*

59 MOneo, quòd nec portio superior, nec inferior est vna potentia simpliciter; quinimò sunt multæ in vnam collectæ: nam portio superior respicit æterna, & inferior temporalia: at potentiæ respicientes æterna non sunt vna, sed plures: quippè Intellectus, Voluntas, & Memoria possunt æterna respicere: similiter portio inferior non est vna potentia; quia prædictæ potentiæ respicere possunt adhuc temporalia, & tamen non sunt vna, sed plures; ergo nec portio superior, nec inferior est aliqua vna potentia: hinc istæ potentiæ distinguuntur secundùm diuersas comparationes, & in quacũque potentia potest concipi ratio portionis superioris, & inferioris. *Sed nota*, quòd superior, & inferior portio, si accipiantur strictè, sic sola æterna respiciũt, ita quòd volũtas, & intellectus, quatenus solùm pro obiecto habẽt res æternas, & versantur circa contemplationem, & volitionem illarũ, sunt portio superior; inferior è contra. Si autem largè accipiantur, prout respiciũt etiam Angelos, tunc portio superior est intellectus, prout iudicat, & discurrit de quibuscumque rebus secundùm regulas æternas, & voluntas, prout omnia volibilia refert ad æterna; & tunc portio inferior, prout distinguitur à superiore secundùm sensus est intellectus, & voluntas, quatenus considerat res temporales in se sinè vllo ordine ad superiora.

60 *Obserua*, posse fieri difficultatẽ, *secundùm quemnam modum poterant tristari, & gaudere istæ portiones?* Vndè notandum, quòd tristitia est in voluntate formaliter, & est qualitas quædam succedens ad actum de obiecto nolito, seù disconueniente, sicut dilectatio de volito, & conueniente.

*Quatuor modis* potest voluntas de aliquo obiecto tristari. Primò, quando aliquod obiectum est disconueniens simpliciter secundùm ordinationem naturalem; & sic voluntas Christi tristabatur de passione, & mor-

morte, quam nolebat: quia passio, & mors est obiectum simpliciter disconueniens secundùm naturalem inclinationem. *Secundò* potest tristari voluntas, quando obiectum est disconueniens sensitiuo appetitui primò, & per se, & per connexionem, & colligantiam potentiarum fit etiam disconueniens voluntati, seù appetitiui rationali; ita etiā Christus tristabatur de sua passione secundùm appetitum rationalem, quia dolebat secundùm sensitiuum propter dolorem,&c. *Tertiò* potest contristari, quando obiectum est liberè volitum, non absolutè, sed sub conditione,scilicèt, quia nollet, si benè, & rectè posset: vt proijciens merces nollet, si posset: proiectio mercium est liberè volita, sed sub conditione; & ita Christus tristabatur de passione: quia nollet,si posset, sed non poterat: quia sic erat voluntas Dei Patris, & sua; & hoc modo habuit tristitiam de sua passione, ideò dicebat: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste. Quartò* potest tristari, quando obiectum est simpliciter nolitum; hoc modo Christus non tristabatur: quia eius passio non fuit nolita simpliciter, & absolutè, sed volita voluntate efficaci, & sic potiùs delectabatur.

61 *Nota*, quòd primus modus tristandi,qui est,quando obiectum est simpliciter disconueniens secundùm naturalem inclinationem, propriè conuenit, seù appropriatur portioni superiori. Secundus verò modus, qui est, quando est disconueniens volūtati,quia primò disconuenit appetitui sensitiuo, appropriatur portioni inferiori. Nolle ergo simpliciter, & naturaliter aliquod,est tristari secundùm portionem superiorem: nolle verò aliquid ex compassione ad appetitum sensitiuum, est tristari præcisè secundùm portionem inferiorem: iste vterque modus tristandi competit voluntati, vt natura est, & sic vtraque portio secundùm vtrumque modum tristabatur. Probatur: obiectum disconueniens secundùm naturalem inclinationem, causat tristitiam,& appropriatur portioni superiori: obiectum nolitum respectū partis sensitiuæ causat tristitiam ex illa connexione, & appropriatur portioni inferiori: ergo vtraque portio Christi tristabatur de sua passione. *Dices:* mors Christi, & passio erant simpliciter, & magis bona, quàm vita: ergo secūdùm inclinationem naturalem erat magis appetenda; & sic saltem secundùm portionem superiorem non debebat tristari. *Respondetur*, quòd passio erat magis appetenda secundùm affectionem iustitiæ, non secundùm affectionem commodi: quia cōmodior erat Christo sua vita, & tamen inferebatur sibi passio; ergo secundùm affectionem com-

commodi tristabatur.

62 *Nota*, quòd præter duos modos dictos tristandi voluntatis, vt natura; remanent duo alij modi, vt est libera, & fiunt, quãdo obiectum est absolutè, vel conditionatè nolitum. Dicendum ergo, quòd voluntas Christi, vt libera, & secundùm portionem superiorem non fuit tristata de sua passione, & morte. Probatur: quia actu libero, & absoluto voluit suã passionem, ergo tunc non poterat tristari: erat enim obiectum eligibile secundùm regulas æternas, & vt sic considerabatur à suo intellectu, & practicè syllogizando proponebatur voluntati: ergo non debebat dissentire, sed velle passionem, & mortem, loquendo de voluntate libera absolutè; nam de voluntate conditionata, & spectata secundùm regulas æternas, & secundùm portionem superiorem, dicit Scotus, quòd talis portio nolebat (quantùm erat in se) passionem, si tamen omnia prospera, & iuxta secũdùm se appetibilia euenirent, seclusa passione. Probatur: quia obiectum potentiæ non est secundùm se eligibile, quia tunc non reperiretur patientia: quia patientia minimè est de his, quæ eligimus, sed de his, quæ nolumus. Patet ergo, quòd portio superior dupliciter refugiebat, seù nolebat passionem; & vt natura, & vt libera, sed volitione conditionata; & dupliciter fuit illa portio, seù voluntas Christi secũdùm illam portionem tristata. De voluntate verò secundùm portionem inferiorem, dico: quòd, vt natura, noluit passionem, quatẽnus erat discõueniens parti sensitiuæ; vt libera, quòad nolitionem conditionatam etiam nolebat, & multò magis, quàm portio superior, & sic secundùm utramque tristabatur.

63 *Tota difficultas est* de voluntate secundùm portionem inferiorem, & vt libera: *An potuerit nolitione absoluta nolle passionem, & mortem Christi*, scilicet, *An intellectus Christi secundùm portionem inferiorem sinè vllo respectu ad regulas æternas potuerit iudicare suã passionem non esse appetendam, & quòd voluntas noluerit, & consequenter tristari?*

*Pro solutione* moneo cum Scoto, quòd mors, & passio Christi possunt secundùm se considerari absolutè sinè vllo respectu ad æterna, & sic præcisè spectãt ad portionem inferiorem, quia sunt entia temporalia; & tunc credo, posse voluntatem, vt libera est, nolitione absoluta nolle, & consequenter tristari secundùm hanc portionem. Alio modo in ordine ad regulas æternas, quibus erant præfixa, & sic licèt in se sint entia temporalia; relatè tamen sunt æterna, & spectant ad portionem superiorem latè sumptam; & tunc est impossibile secundùm portionem inferiorem,

 rem,

rem, quòd voluntas, vt libera, absoluta nolitione nolit passionem,& mortem:quia tunc idem obiectum omninò inuariatum esset nolitum, & volitum absolutè, quod repugnat in terminis. *Hac doctrina restant soluta illa tria argumenta,quæ adducit Scotus.*

64 *Quorum principale est hoc:*portio inferior,& superior absolutè sunt vna potentia: sed in vna potentia non potest esse duplex qualitas contraria,nēpè nolitio, & volitio simul,& semel,& consequenter gaudiū,& tristitia;sed libera voluntas secundùm portionem superiorem volebat passionem; ergo secundùm inferiorem non poterat liberè nolle. *Respondetur*, verum esse, quòd potentia simul,& semel non potest habere oppositos actus de eodem obiecto, & quòd portio superior, & inferior est eadem potentia; sed non erat idem obiectum sub eadem ratione (scilicet passio Christi), quia portio inferior nolebat, quatenus erat disconueniens humanitati Christi; & superior volebat, quatenus erat volita à Deo propter bonū publicū, & sic ex diuersis circumstantijs variatur obiectū. *Dices*:quòd nullo modo poterat tristari anima Christi, nec ut natura, nec vt libera,nec secundū portionē superiorē,nec inferiorem; quia erat beata, & habebat summum gaudium:tristitia est opposita gaudio: duæ autem formæ contrariæ non possunt esse simul adhùc per diuinam potentiam, igitur. *Respondetur*, quòd gaudium, & tristitia non sunt formæ absolutè contrariæ, sicut calor, & frigus, sed solùm comparatiuè penès diuersa obiecta; & sic anima Christi gaudebat de beatitudine in summo, & tristabatur de passione: eccè duo obiecta; sicut enim non repugnant in intellectu scientia de homine, & ignorantia de lapide; sic nec in voluntate gaudium de Deo viso, & tristitia de passione inflicta.

65 *Replicabis*: contraria sunt talia ex natura sua independenter à causa, à qua producuntur; vt calor, & frigus parùm refert,an producantur à niue, vel igne; semper verum est, quòd sunt contraria: ergò similiter gaudium, & tristitia quantumùis procedant ex diuersis obiectis, semper tamen pugnant in eodem subiecto. *Respondetur*, quòd verum est de contrarijs absolutis, non autem de cōtrarijs, quæ simpliciter inuoluunt habitudinem, & respectum ad causam, à qua sunt, vt tristitia,& gaudium respectū obiectorum: non enim ista sunt purè absoluta, sed cum addito. *Dices*, saltem habetur, quòd de eodem obiecto non potest simul esse gaudium, & tristitia; & tamen in voluntate Christi secundùm portionem superiorem erant simul gaudium, & tristitia de eadem passione:nam

vt

vt natura, & vt libera conditionatè nolebat passionem, & sic tristabatur; vt libera absolutè, volebat, & sic delectabatur; ergo de eodem obiecto secundùm eandem portionem erat gaudium, & tristitia: *Respondetur*, quòd de eodem obiecto secundùm diuersas circũstantias erat gaudium, & tristitia; nam passio, vt erat destructiua Christi, erat nolita, vt autem erat ordinata à Deo ad bonum commune, erat volita, & ita erat variatum obiectum secundùm diuersas, & morales circumstantias; & vt nolita causabat dolorem, vt volita delectationem.

66 *Non prætereundum*, id esse controuersum inter Authores in determinando portionem superiorem, & inferiorem. *Aliqui* per superiorem intelligunt ipsam voluntatem rationalem; per inferiorem verò partem sensitiuã: *Alij* intelligunt per portionem superiorem voluntatem, vt respicit bonum supernaturale, vel finem vltimum; per portionem verò inferiorem eandem voluntatem, vt respicit bona creata. *Alij* per portionem superiorem voluntatem, prout respicit bonum infinitum, & alia in ordine ad ipsum, abstrahendo à cõmodo, vel incommodo partis sensitiuæ, & per portionem inferiorem eandem voluntatem, prout respicit partem sensitiuam, vel obiecta sensuum.

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Christus meruit quodammodò per ipsam fruitionem beatificam.*

67 PRobatur: vt aliquis actus dicatur meritorius, nihil requiritur, nisi quòd sit ex circumstantijs, & obiecto honestus; elicitus à persona grata mediante habitu gratiæ, & quòd sit liber: sed hæc omnia conueniunt fruitioni Christi secundùm Aduersarios præter libertatem; quam sic probo, non defuisse ipsi: eatenus non haberet hanc libertatem, quatenus obiectum beatificum, verbi gratia, Deus propositus determinaret physicè, vel moraliter, seù infallibiliter voluntatem ad amorem. Primum gratis dicitur; cùm obiectum nõ influat in voluntatem, nisi blandè, suauiter, & metaphoricè, ac persuasiuè tantùm. Secundum autem si dicatur, nõ tollit libertatem; ergo Christus videns Deum clarè, potuit liberè amare, vel non amare ipsum. Mino-

Minoris primâ pars patet. Secunda autem probatur: quia quando quis habet gratiam efficacem auxiliantem ad bonum. licèt moraliter, & infallibiliter sit bonum facturus, adhuc tamen liberè illud agit. *Itē* quamuis quis grauissimè tentatus ad peccandum, carensquè auxilio efficaci, moraliter, & infallibiliter peccabit, adhuc liberè peccabit secundùm fidem: ergo ex eo, quòd voluntas sit moraliter determinata ad aliquid, non sequitur, quin liberè illud agat. *Item* cognitio, qua obscurè per fidem cognoscimus, Deum esse summum bonum, non necessitat physicè voluntatem nostram ad amādum ipsum amore proportionato tali cognitioni; ergo similiter cognitio intuitiua Dei non necessitat physicè nos ad amandum ipsum. *Confirmatur* ratione desumpta ex *Scoto in primo dist. prima, quæst.* 4. Eadem voluntas, & cum eodem habitu charitatis est in patria, atque fuit in via: sed in via liberè eliciebat actum circa Deum obscurè apprehensum: ergo similiter in patria liberè eliciet actum circa Deum clarè visum. Consequentia probatur: quia eadem potentia manens sine vlla mutatione in natura sua, & ex parte sua habens idem medium, eodem modo se habebit in operatione circa idem obiectum.

68 *Dices*, quòd, cū diuersimodè proponatur Deus in patria, & in via; diuersimodè etiam mouet, & determinat volūtatem ad sui amorem: in via, quia solùm obscurè proponitur, voluntatem in sua libertate relinquit; at verò in patria, cùm proponatur clarè, necessariò restat mota voluntas ad sui amorem. *Contra*: obiectum esse visum, & non visum, solùm est quædam approximatio diuersa obiecti ad voluntatem; ergo obiectum esse clarè visum non necessitat voluntatem. Consequentia patet à simili: quia diuersa approximatio passi ad agens non causat necessitatem, sed tantùm intensiorem actum; sicut patet de calore respectù calefactibilium.

69 *Caietanus prima parte quæst.* 82. *articulo* 2. respondet, quòd visum, & non visum sunt differentię, quę se tenēt ex parte obiecti, & sunt diuersæ rationes obiectiuæ, adeò quòd Deus visus est obiectum diuersæ rationis à seipso cognito extra visionem. *Contra primò*: quia visio clara, & visio obscura non est, nisi quædam maior, vel minor approximatio eiusdem obiecti (visio enim clara est cognitio intuitiua, & rei præsentis; visio verò obscura, & ænigmatica per fidem est cognitio obiecti absentis) *secundò etiam*, quia licèt daremus, quòd foret mutatio in obiecto, nulla tamen fieret ex parte potentiæ: quia hæc semper manet libera essentialiter: cum eadem perseueret, clarè viden-

do

do Deum in patria; quæ fuit in via, & cum eodem medio; vndè vtrobique elicit actum liberè *Fauet nostræ propositioni* Diuus Augustinus pluribus in locis. Vide illum *libro primo Retractationum cap.9.& 22.* vbi ait, *quòd nihil tàm est in potestate voluntatis, quàm ipsa voluntas*; constat autem, ibi solùm loqui de voluntate quòad actus secundos, & elicitos, & non quòad actum primum, & substantiam: quoniam sic nihil est in potestate sua: ergo voluntas circa Deum etiam in patria liberè elicit actum.

70 *Accedat altera probatio*: quia dato, & non concesso, quòd Christus videns Deum clarè, nequeat nō amare ipsum per fruitionem, seu beatitudinis actum; adhuc tamen indè nō sequitur, quin Christus eadem visione simul videns creaturas aliquas, tanquā obiecta secundaria relucentia in primario v.g. in essentia, possit eas liberè amare, vel non amare: cùm non sint tantæ bonitatis, ac Deus, vt necessitarent Christum ad sui amorem; & cùm non desit essentia diuina, circa quam sunt, possit habere suum amorem, absque eo quòd amaret creaturas: ergo cùm libertas inesset fruitioni, vel amori beatifico saltem respectū creaturarum, & nihil alius desit ipsi, vt dicatur meritorius, Christus ipsa fruitione meruit; maximè cùm hoc sit gloriosius ipsi, quàm non mereri.

71 *Dices*: Beati defacto non possunt mereri: ergo nec Christus, cùm fuerit beatus. *Negatur consequentia*: quia defacto Beati sunt quòad vtramque partem, seù portionem beati; Christus autē tunc non fuit sic. Rursùs de lege, quæ est defacto, Deus non concurreret, & non acceptaret actum Beati pro merito; licèt tunc ex lege particulari, & priuilegio facto Christo ipsius actū acceptaret. *Dices*: ergo de lege extraordinaria Beatus posset in Cœlis non amare Deum. *Respōdeo*, id concedendo. *Contra*: vel sic fieret, stante visione beata, vel ea cessante; secundum dicere, non est ad propositum, cùm Christus semper habuerit visionem beatam. Primum nequit dici: aliter posset quis velle, se non esse beatum. *Respondeo*, negando vltimum, & eius rationem: non enim vellet quis se non esse fęlicem, & beatum per hoc, quòd non amaret Deum, sed tantùm non vellet, se esse beatum, v. g. omittendo tale velle, sinè eo quòd haberet nolle beari.

72 *Secundum argumentum*: Christus non potuit demereri; ergo nec mereri. *Ad hoc argumentum* sæpiùs fuit responsum. Negatur consequentia: quia ad demerendū requiritur peccabilitas, quæ longè est à Christo, & omni Beato; ad merendum sufficit libertas voluntatis, gratia ad prosequen-

quędum bonum honestum cum acceptatione diuina. *Ex his sequitur*, Christum omnibus suis actibus meruisse ab instanti suæ conceptionis vsque ad mortem. &c.

73 *Quærenti autem, quibus Christus meruit?* respondeo, sibi ipsi meruit exaltationem nominis iuxta illud ad Philippenses secundo: *Christus factus est pro nobis obediens, &c.* Nobis autem meruit remissionem peccatorū, & pœnæ, infusionem gratiæ, gloriam, fidem, vocationem ad fidem, auxilia disponentia, præuenientia, concomitantia, & subsequentia, perseuerationem finalem, &c. Hæc enim omnia tribuunt Scripturæ, Concilia, & Patres ipsius meritis, & maximè hoc ipsum decuit: cùm cedat in suam gloriam, & non repugnet ei conuenire.

## PROPOSITIO TERTIADECIMA.

### *Christus meruit per actus virtutum moralium, v.g. Iustitiæ, Misericordiæ, Temperantiæ, Obedientiæ, &c.*

74 PRobatur: quia nihil ad rationem meriti requisitum his actibus deficit: erant enim boni, honesti, & magis liberi, quàm ipsa dilectio beatifica; poteratquè Christus liberrimè eos elicere, & acceptare cōtra affectionem commodi partis sensitiuæ, & rationalis, etiam vt respicit, & coniungitur sensitiuæ. *Dices*, actus aliarum virtutum fuisse semper à Christo elicitos ex imperio charitatis; ergo nō habuerunt meritum proprium, & formale, sed solùm denominatiuè ab actu charitatis. Consequentia patet: posito imperio, sunt necessarij; ergo totum meritum ipsorum consistit in ipso actu charitatis imperante. *Respondetur primò*, nos hìc supponere, actus a charitate imperatos bonos, & honestos habere propriam bonitatem, & meritum distinctum à bonitate imperantis, vt notaui in Tractatu de peccatis. *Respondetur secundò*, posse negari antecedens: nam licèt Christus nunquàm orauerit, aut ieiunauerit v.g. præcisè ex motiuo Religionis, vel Temperantiæ sinè motiuo charitatis; tamen non erat necesse, vt actus Religionis, vel Temperantiæ imperarentur ex illo motiuo charitatis; sed poterat Christus proposita bonitate obiectiua ieiunij, & vtilitate eius ad pla-

placendum Deo velle immediatè ieiunium; & vt placeret Deo, & propter bonum ipsius temperantiæ, & vt satisfaceret pro nobis, & suo exemplo doceret nos temperantiam, & propter plures alios fines honestos, qui poterant ipsi proponi, & circa quos poterat exercere actus multarum virtutum, vel fortè vnicum actum perfectissimum pertinentem inadęquatè ad omnes illas virtutes, poterat etiam immediatè velle temperātiam, &c. quia nulla videtur implicātia, quin vnus actus simplex possit complecti motiua multarum virtutum.

# PROPOSITIO QVARTADECIMA.

## *Meritum Christi fuit maximum, sed non infinitum in ratione meriti.*

75 PRobatur: bonitas moralis actionum Christi est simpliciter, & intrinsecè finita; ergo etiam finitum habent valorem intrinsecum. Probatur antecedens: quia bonitas moralis in actionibus moralibus non est extrinseca denominatio, vel quid intrinsecum fundatum, & radicatum in entitate actus, quæ finita est; cùm sit effectus à voluntate creata productus. *Cōfirmatur*: quia valor sequitur, tanquàm passio, ad bonitatem moralem; nam sicut ad moralitatem in communi sequitur imputabilitas ad laudem, vel vituperium, præmium, vel pœna; ita ad bonitatem moralem sequitur, tanquàm passio, imputabilitas ad laudem, & præmium, in quo verè consistit ratio meriti, & valoris: ergo si bonitas moralis est finita, etiam valor moralis, qui in ea fundatur, erit finitus.

76 *Dices*, quòd in operibus Christi duo sunt consideranda, scilicet bonitas moralis actus, & valor: sicut in peccato consideratur ratio malitiæ, & ratio iniuriæ; bonitas moralis insurgit ex aggregatione omnium circumstantiarum, quæ debentur actui secundùm rectam rationem, & hæc bonitas commensuratur actui, cuius est differentia, vel proprietas. Valor autem insurgit ex existimatione morali, ex dignitate personæ, & commensuratur præcisè non actui, sed etiam personæ operanti: sicut in peccato malitia constituitur ex defectu circumstantiarum, quæ secundùm rectam rationem debentur actui, & est finita, sicut actus; iniuria verò est offensa facta Deo, & est infinita

ratione infinitatis personę offensæ. Vnde negatur, valorem pertinere ad bonitatem moralem actus, sed potiùs est ipsi aliquod extrinsecũ. *Contra est primò*: quia sicut peccatum non habet infinitam malitiam simpliciter ex infinitate personæ offensæ, sed solùm secundùm quid, & connotatiuè; ita nec actus potest habere infinitum valorem ex infinita dignitate personæ operãtis, sed solùm secundùm quid. *Adde*, quòd dignitas personæ non solùm concurrit ad rationem valoris in actu, sed etiam ad bonitatem moralem: quia bonitas moralis insurgit ex omnibus circumstantijs, quarum præcipua est dignitas personæ, quæ nedùm auget bonitatem, sed etiam mutat aliquando; ergo si ex dignitate personæ infinitæ non consurgit infinita bonitas moralis in actu; nec talis dignitas personæ infinitæ causabit valorem infinitum. *Vrgetur ratio*: quia videtur irrationabile; quòd actus plus æstimetur, quàm bonitas moralis, cuius valor est modus: ergo si bonitas moralis actus est finita, etiam valor, & moralis æstimatio.

77 *Dices*, quòd aliter dignitas personæ cõcurrit ad bonitatem moralem actus, aliter ad valorem; ad bonitatem concurrit, vt aliquo modo redundat in obiectum augendo, vel mutando eius bonitatem; ad valorem cõcurrit formaliter se communicando secundùm se totam, & quodammodò informãdo actiones: quia non tantùm suam actionem, sed seipsam persona operans submittit in obsequium eius, cui satisfacit; hinc est, quòd non communicet infinitam bonitatem actui: quia ad illam concurrit in ratione obiecti: benè tamen infinitum valorem; sicut infinitam dignitatem communicat persona Verbi ipsi humanitati, cui vnitur hypostaticè. *Contra*: quia dignitas personæ non communicat valorem actui, nisi personæ dignitas sit cognita ab operante: ergo eo modo communicat, quo cognoscitur: sed cognoscitur finito modo ab humanitate Christi: ergo finitum valorem tribuit. Probatur assumptum: quia si filius Regis ignorans, se esse Regem, præstaret obsequium alteri personæ, non est tanti meriti, & valoris tale obsequium, quanti esset, si cognosceret, se esse Regem: ergo, cùm Christus tantùm finito modo cognoscat suã dignitatem, deducitur, quòd tantùm finito modo dignificauit operationes suas, & ita dedit tantùm valorem finitum. *Confirmatur*: quia circumstantiæ obiectiuæ non dant bonitatem, nisi sint per se intentæ, & volitæ; ergo refundunt bonitatem, valorem, & meritum proportionaliter ad cognitionem. *Confirmatur secundò*, quia meritum fundatur

datur in voluntario; ergo dat meritum, vt est voluntarium, & consequenter, vt priùs cognitũ; si ergo dignitas Christi fuit cognita cognitione finita, & finito modo, tantùm dedit valorem finitum.

78 *Secunda ratio*: indè sequeretur, quod opus Christi fuisset tàm gratum Deo, ac quodcumque opus ipsius Trinitatis; consequens est absurdum, ergo & antecedens. Probatur sequela, quia quòd est infinitum, infinitiquè valoris, non est minùs gratum, quàm est aliud opus sic infinitũ, infinitiquè valoris, vt per se patet. Minor est clara: quia sicut ipse Deus est gratior sibi quocumque altero, ita opus ipsius ipsi gratius est opere alterius: ergo absurdum est dicere, opus Christi fuisse tàm gratum Deo, ac opus ipsius Trinitatis. *Dices*, quòd opus humanitatis Christi est valoris physici finiti; valoris tamen moralis infiniti. *Contra*: quia in operibus moralibus non tantùm attenditur dignitas moralis operis, sed etiã dignitas, & intensio physica ipsius: nam parua reuerentia facta à Rege dignissimo non est tanti valoris, quanti est magna reuerentia eiusdem: ergo in valore morali operis non tantùm attenditur dignitas moralis operis; sed etiam dignitas physica, seu intensio physica operis; quæ si sit maior intensione physica alterius operis, licèt vtrobique dignitas moralis operantis, vel operantium sit æqualis, vtique erit perfectius opus altero opere, & cõsequenter alterum opus erit ipso finitius.

79 *Accedat tertia ratio*. Principia meriti Christi sunt entia finita: ergo & ipsa merita simpliciter sunt finita: consequentia valet; quia nequit effectus excedere virtutem suæ causæ totalis; aliàs aliqua causa totalis posset dare, aut efficere plus, quàm haberet in sua virtute factiua, & consequenter minùs potest effectus infinitè excedere virtutem suæ causę totalis, vt hic fieret, si opus Christi esset infinitum. Antecedens probatur: quia principia operum Christi sunt voluntas creata, & gratia; voluntatem esse finitam, negabit nemo; gratiam verò sanctificantem, cùm sit qualitas prædicamentalis, supponimus pro nunc, esse finitæ entitatis, sicut omne prædicamẽtum est finitum, & limitatũ. *Respondebis*, opera Christi non accipere infinitatem ab illis principijs, sed à persona operãte, quæ est infinita. *Contra*: quia persona Verbi nihil operatur magis, quàm persona Patris, & Spiritus Sancti, quia opera Trinitatis sunt indiuisa ad extra; sed ex eo, quòd Trinitas operatur aliquod opus siue totaliter, ut animam rationalem, quam se sola creat, siue partialiter, ut muscam, quam cum causa secũda concausat, non sequitur,

quòd ſit infinitum, aliàs anima rationalis,& muſca eſſent infinitæ: ergo,&c.

80 *Dices*: quòd ex influxu phyſico Trinitatis, vel perſonæ Filij in opus Chriſti nō dicatur opus eſſe infinitum;ſed ex influxu morali, quo v.g. ſola perſona Filij ſuppoſitat naturam Chriſti, dignificat infinitè opus Chriſti. *Contra*. Sicut ſe habet perſona ſatisfaciens ad dignificandam ſatisfactionem, ita perſona offenſa ad aggrauandam offenſam: ſed perſona offenſa, licèt ſit infinita, non aggrauat offenſam in infinitum: ergo ſimiliter perſona ſatisfaciens, eſtò ſit infinita, non proindè eius ſatisfactio erit infinita. Minor patet;aliàs omnia noſtra peccata contra Deum eſſent infinitæ malitiæ, & æqualis grauitatis, quod eſt abſurdum. Maior probatur; quia ſicut creſcit bonitas actus ex dignitate perſonæ agentis; ita creſcit malitia actus ex dignitate ipſius perſonæ, quæ offenditur: ergo ſicut ſe habet perſona merens, & ſatisfaciens ad dignificandam ſatisfactionem, & meritum, ita perſona offenſa ad aggrauandā offenſam. Probatur antecedens: quia ſicut melior cenſetur reuerentia facta à Rege, quàm à ruſtico ob dignitatem regiam ſupra ruſticam; ita deſpectus factus Regi cenſetur maior offenſa, quàm deſpectus factus ruſtico ob dignitatem illius perſonę offenſæ ſupra hanc perſonam: ergo ſicut creſcit bonitas actus ex bonitate perſonæ agentis, ita creſcit offenſæ magnitudo ex dignitate perſonæ offenſæ. *Adde*, quòd, ſi meritum Chriſti eſſet infiniti valoris; ſequeretur, quemlibet actum meritorium fuiſſe infiniti valoris: ſed hoc implicat: ergo,&c. ſequela probatur: quia eadem eſt ratio de vno actu, ac de omnibus. Probatur minor, quia ſic primus actus meritorius, & ſatisfactorius eſſet infiniti valoris: ergo per ipſum meruiſſet omnia:ergo reliqui actus, vt crucifixio, & paſſio ipſius nullius fuiſſent meriti, nihilquè ipſis meruiſſet: quod dicet nemo.

81 *Sit quarta ratio*: quod ſuſcipit magis, & minùs, non eſt infinitum: inter merita Chriſti aliqua fuerunt maiora, aliqua minora, vt ſupra probauimus: ergo minimè fuerunt infinita. *Vrgetur ratio*. Inde ſequeretur, quòd vnū infinitum eſſet maius alio: quia vnum opus Chriſti eſt maioris valoris, quàm aliud, & duo, quàm vnum. *Sequeretur etiam*, quòd Deus nec minimam partem meriti Chriſti remuneratus eſſet: quia ſemper præmium à Deo collatum eſt finitum. *Adde*, quòd, cùm non ſit dabile præmium infinitum, ſequeretur, Deum de potentia ſua abſoluta non poſſe dare præmium æquiualens, & correſpondens meritis Chriſti.

*Dices*,

82 *Dices*, opera Christi dupliciter posse considerari; vel secundùm bonitatem, quam habent ex obiecto, & circumstantijs; vel secundùm valorem, quem habent ex dignitate personæ operantis. Primo modo opera Christi sunt inæqualia: nam perfectior est actus charitatis Dei, quàm humilitatis, & perfectior est, cæteris paribus, actus durans per horam, quàm durans per instans, vel paruum tempus. Secũdo verò modo omnia opera Christi sunt æqualia: quia suppositum Verbi, quod est forma dignificans, vtrobique codẽ modo dignificat, & vtrobiq; dat æqualem valorem. *Contra primò*; quia si Christus tantum meruit in primo instanti suę conceptionis, quãtũ per mortem; ergo debet dici, nos redemisse per actũ amoris, quem habuit in principio, & non per Crucem, & Passionem; quod dicet nemo. *Item*: si quilibet actus fuit infiniti valoris: ergo quilibet erat sufficiens ad superabundanter satisfaciendum, & nos redimendum. Ad quid ergo crux, & Crucifixio? *Cætera*, quæ probant nostram propositionem, ponam *p. oposit. sequen.* examinando omnes opiniones Aduersariorum in particulari, *& prop. 16.*

# PROPOSITIO QVINTADECIMA.

## *Eliminantur Aduersariorum Placita.*

83 C*Apreolus libro 3. dist. 18. quæst. vnica articulo 3.* asserit, quòd meritum pro tanto dicitur esse infinitum, quia est actio diuini suppositi, tanquàm id, quod elicit actum, & vlteriùs, quia diuinum suppositum ordinat talem actionem ad infinitum bonum, puta ad omnia indiuidua possibilia in specie humana; & vlteriùs, quia elicitur actus ex infinita gratia, & charitate. Ex his collige ad mẽtem Thomistarum, meritum Christi dici infinitum, non simpliciter, sed secundùm quid; non physicè, sed moraliter; non intrinsecè, sed ab extrinseco; non in ratione sua formali, sed denominatiuè. *Nos ex triplici capite* discursum Capreoli impugnamus.

84 *Primum caput.* Sciendum imprimis, in Christo concedi duo principia suarum operationum, scilicet principium *quod*, nempè personam Christi, quæ diuina erat, & principium *quo*, *seù formale*, humanam scilicet Christi volũtatem, & naturam. Si Christus pro nobis satisfecisset, & operatus fuisset in ratione principij,

cipij *quod*, haberet aliquid probabilitatis ratio prima Thomistarum; at pro nobis satisfecit, nobisq; meruit in ratione principij *quo*, scilicet, *vt homo*, *non vt Deus*:ergo claudicat primum caput Thomistarũ. Probo, Christum nobis meruisse in ratione principij *quo*, *& vt homo*: nam prima ad Timotheum secundo nu. 5. dicitur: *Vnus Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus*. Christum esse nostrum mediatorem per modum satisfactionis, liquidò cõstat, & verba Pauli, quæ sequuntur, declarant in hunc modum: *qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*, & de hac mediatione satisfactoria, & mediatoria loquens, posuit *homo Christus Iesus*, vt distinctè exprimeret, quamuis duæ essent in Christo naturæ, duo principia operationum; ponendam esse satisfactionem, considerandum meritum, non vt erat à Diuina natura, aut principio *quod*, sed vt erat ab humana, *& quo*. Idipsum docet *Diuus Augustinus lib.* 10. *confessionum cap.* 43. *Inquantùm homo intantùm mediator; inquantùm autem Verbum, non medius, quia æqualis Deo*. Item *Fulgentius libro de Incarnatione, & gratia Christi cap.* 13. *hic in humana natura mediator Dei, & hominum factus est*.

85 *Et quamuis cõcederemus*, suppositum Diuinum, vt principium *quod* in Christo aliquid cooperari merito satisfactorio; tamen inde nullam licet inferre infinitatem in illo merito; certum enim est, considerari absolutè, & simpliciter in omni opere principium *quo*, non autem principium *quod*. Hinc in diuinarum personarũ emanatione consideratur in Filij generatione intellectus, qui est principium *quo*, sicut in processione Spiritus sancti voluntas, quæ est principium *quo*. Non attenditur autem persona: alioquin Pater, & Filius dicerentur duo principia Spiritus sancti, & reuera sunt duo principia *quod*, nihilominus dicitur Spiritus sanctus produci à Patre, & Filio, vt ab vnico, & solo principio, scilicet principio *quo*. In humanis etiam actibus non attenditur principium *quod*, nempè homo operans, sed principium *quo*, scilicet voluntas; hinc non omnis actus ab homine procedens dicitur humanus, sed ille tantùm, qui à voluntate, quæ est principium *quo*, originem habet. Ista ratio propriè locum habet in merito, & demerito, vt notat *Scotus quolibeto* 17 *articulo* 2. meritum notat, siue quasi præexigit in actu duplicem habitudinem eius ad duplex principium; vna est ad volũtatem, vt liberè elicientem, vel imperantem actum: nihil enim acceptatur, vt meritoriũ, nisi sit in libera potestate operãtis; alia autem habitudo requiritur ipsius actus ad formam super-

per-

pernaturalem, quæ ponitur esse gratia. Hæc dictio *quasi* refertur ad præexigentem, non ad voluntatem, & ad dualitatem principiorum, non ad gratiam, & voluntatem; nam necessariò requiritur, vt à voluntate cum gratia opus meritorium fiat, sed non semper præexigitur voluntas: cùm actus, qui fuit in voluntate, adueniente consensu volũtatis, eo ipso momento, fit meritorius. Non sunt etiam voluntas, & gratia duo principia, nisi partialia, sed sunt vnum totale principium operis meritorij. *Ex his colligitur*, in operibus Christi considerandum esse simpliciter principium *quo* (nempè voluntatem creatam) quæ cum sola sit principium meriti, sitquè finita, finitum quoque oportet esse meritum.

86 *Secundum caput* infinitatis meritorum Christi ponunt Thomistæ infinitatem gratiæ Christi, quæ cum voluntate concurrit, vt principium meriti. Concedimus, Christo collatam summam gratiam; sed tantùm negatiuè, non positiuè dici posse infinitã; ita tamen, vt hæc infinitudo in eo solùm consistat, quòd nulli alteri creaturæ sit collata gratia maior, quàm Christo. Estquè idcircò metaphoricè potiùs, quàm ex parte rei, aut in sermonis proprietate infinita gratia Christi; ex quo fit, vt ex hac infinitate gratiæ opus Christi meritorium infinitum dici nequeat, nisi metaphoricè, & negatiuè, quod nihil est dictu.

87 *Tertium caput* infinitatis meriti Christi ponunt Thomistæ, quòd ordinetur ad infinitum bonum, scilicet ad omnia indiuidua possibilia speciei humanæ. Concedo, huiusmodi ordinem, sed ad sufficientiam tantùm, non autem quantùm ad efficaciam: siquidem pro illis solis ordinabatur quantùm ad efficaciam, quos Christus sciebat prædestinatos: hinc illi soli efficaciter saluãtur. Horum autem numerus certus, & finitus est; ordinabatur autem ad bonum gratiæ pro omnibus hominibus possibilibus quantùm ad sufficientiam: hinc multi præsciti hìc in via habent iustificantem gratiam ad aliquod dumtaxat tempus, & non finaliter. Quis autem sanæ mentis vnquã somniabit, diffusionem, & multiplicationem alicuius rei in potentia tantùm, & non in actu, infinitũ inferre infinitate alicuius honoris, dignitatis, & virtutis? Species quælibet ordinatur ad indiuidua possibilia in infinitũ, quantùm est ex se; nemo tamen inter infinita connumerauit speciem; ita nos, etsi fateamur, indiuidua humana esse infinita potentialiter, illisquè correspõdere meritum Christi; non tamen dicimus, illud infinitum.

83 *Suarez disp.* 4. *sessione* 4. deducit infinitatem valoris ex isto argumento: valor operationis crescit

ſcit ex dignitate perſonæ operantis: ſed perſona operans in Chriſto eſt infinitæ dignitatis: ergo operationes Chriſti ſunt infiniti valoris. Minor probatur ex Patribus dicentibus, operationes Chriſti fuiſſe deificas ex dignitate perſonæ; vnde illas appellant *Theantricas*, ſcilicet Dei viriles.

*Non placet hic diſcurſus*. Primò: quia negari poſſet conſequentia: quippe calculatio, cui innititur argumentum, fallitur in multis; nam grauitas offenſæ creſcit ex dignitate perſonæ offenſæ, & tamen peccati malitia non eſt infinita, etſi habeat pro obiecto Deum infinitum. *Item* perfectio cognitionis incrementum recipit ex dignitate obiecti; non indè tamen rectè deducitur, cognitionem intuitiuam, qua Deus redditur nobis cognitus, eſſe intenſiuè infinitam. *Item* fieret ſatis argumento, dicendo, inde tantùm ſequi, actionem Chriſti eſſe in ordine ſuperiori ad meritum puræ creaturæ. *Vrgeo difficultatem*: Thomiſtæ dicentes, Angelum per vnicam ſpeciem poſſe cognoſcere plura, quinimò infinita: reſpondent argumento (quo Scotus probat, talem ſpeciem fore infinitam: quia poſſe repreſentare tria, dicit perfectionem, & poſſe repreſentare quatuor dicit maiorem perfectionem; ergo poſſe repreſentare infinita, dicit infinitam perfectionem, cùm ſicut pluralitas numeralis arguit perfectionem, ita infinita pluralitas, dicit infinitam perfectionem) quòd ex illo argumento, & ex tali calculatione, minimè deducitur infinitas ſpeciei Angelicæ; ſed tantùm conuincitur, quòd illa ſpecies ſit in ordine ſuperiori. Ita ad argumentum in ſe diceret quis, ex illo tantũ deduci actionem illam Chriſti meritoriam, fore in ordine ſuperiori ad actionem meritoriam puræ creaturæ; non concluderetur ergo infinitas intenſiua. *Pro complemento* huius legatur propoſitio quartadecima.

89 *Alij ita diſcurrunt*: ſubſiſtentia Diuina habuit peculiarem influxum in Chriſti operationes; ergo ratione talis concurſus potuit Chriſti operatio habere infinitum valorem.

*Ita* philoſophantes errant à vera via. *Primò*: quia ſubſiſtentia Diuina nullam dicit perfectionem, vt pro nunc ſuppono ex Tractatu de Trinitate; ergo non dat infinitam dignitatem. *Secundò*: quia cùm ad operationes tales concurrat voluntas Chriſti, & hæc ſit finita, ſicut eſt etiã gratia; effectus eſt abſolutè finitus. *Tertiò*: quia ſubſiſtentiæ diuinæ non ſunt actiuæ. Hoc breuiter ſuadeo ita: in primis ſubſiſtentia diuina non eſt actiua ad intra: etenim potentia generatiua in Deo non eſt ſubſiſtentia Patris; nec potentia ſpiratiua eſt ſubſiſtentia Patris, & Filij;

ergo

ergo subsistentia Diuina non est actiua ad intra. *Item* nec est actiua ad extra; nam vel esset actiua, vt talis subsistentia, nempe, ita vt subsistentia Patris sit actiua, prout subsistentia Patris, & sic de cæteris; vel est actiua sub ratione subsistentiæ in communi: Primum dici nequit; nam concursus ad extra indiuisibiliter cõuenit omnibus personis, quod tamen minimè foret verum, si subsistentia, vt talis, esset actiua; nam tunc quælibet persona Diuina sibi vendicaret aliquam actionem sibi propriam. Secundum nec potest dici: nam si subsistentia foret actiua secundùm rationem subsistentiæ in communi; cùm subsistentia in communi, seù absoluta reperiatur in in tribus personis; iam talis operatio esset à tribus; ergo non à sola persona Verbi; ergo persona Verbi non causat talem valorem in operibus Christi.

90 *Quorundam fuit sententia*, operationes Christi esse infiniti valoris, quia procedebat ab humanitate sanctificata per Deitatem, ac proindè infinitè sancta.

*Hic etiam discursus* longè abest à veritate. *Primò*: quia supponit falsum; cũ natura assumpta minimè reddatur sancta per aliquod Diuinum. *Secundò*: quia nullum effectum formalem dat forma, nisi secundùm modum, quo inest, si inest intrinsecè, intrinsecum: si extrinsecè, extrinsecum; vtpotè effectus formalis est forma communicata: cùm ergo persona Diuina tantùm se habeat extrinsecè ad humanitatem, deducitur, quòd in natura humana erit tantùm extrinseca infinitas, non verò intrinseca; quòcirca operationes Christi non erunt infiniti valoris intrinsecè.

91 *Vasquez cum nonnullis alijs* est opinatus, fundamentum huius infinitatis esse, quòd natura assumpta sanctificetur persona Verbi, sanctitate, quæ est principiũ merendi, & valoris operũ.

*Contra*: quia non sanctificatur natura formaliter persona Verbi. *Secundò* etiamsi persona Verbi foret sanctitas formalis naturæ assumptæ; adhùc non redderet talem naturam infinitè sanctam, & acceptam Deo: quia tunc Deus deberet amare illam naturam tantum, quantũ amat ipsum Verbum; quod tamen est falsum.

92 *Quibusdã placuit*, opera Christi esse infiniti valoris, quia includunt volitionem increatam ipsius Verbi.

*Contra primò*. Volitio increata est cõmunis tribus personis; ergo si opera Christi dicuntur meritoria, & satisfactoria, quia includunt volitionem increatã, tota Trinitas diceretur mereri, & satisfecisse, & consequenter opera meritoria non fuissent propria Christo. *Secundò*: volitio increata nequit esse fundamentum meriti, aut satisfactio-

nis, vt dicunt subiectionem; vnde Apostolus ad Philippenses secundo in obedientiam Christi reducit redemptionem: *Factus obediens vsque ad mortem; mortem autem Crucis; propter quod Deus, &c.* Deus enim nequit sibi subijci, mereri, aut satisfacere: igitur.

93 *Alij dicunt cum Ioanne Vincentio*: opera Christi Domini esse infinita; non quia egrediuntur à persona, sed vt referuntur in ipsam, & supra ipsam, humiliando personam Diuinam, eamquè submittendo Deo, quæ humiliatio includit dignitatem infinitam, quia includit personam Diuinam humiliatam.

*Contra*: nam opera sunt meritoria, quia eliciũtur liberè à suo principio: ergo non quà reflectuntur, sed quà egrediuntur, sunt meritoria. *Item* illa reflexio, vt distinguitur à productione operum, non potest explicari quid sit, aut à quo fiat; & si esset aliquid, iam supponit opus productum in esse, & egressum à principio operante; ergo bonum non alia bonitate, quàm meriti, & satisfactionis: ergo. *Item* opera non dependẽt à persona alio modo, quàm vt à principio *quod*; & si admitteretur, personam humiliari, non tamen aliter, quàm operando, obediendo legi, patiendo mortem in natura humana, & offerendo seipsam pro nobis; quæ omnia eatenùs sunt bona, quatenùs egrediuntur à supposito. Non admitto tamen aliam humilitatem personæ infinitæ, quàm quæ cõuenit ipsi per cõmunicationem prędicatorum naturæ assumptę: quia reipsa humiliatio fuit naturæ humanæ, in qua minor est Patre; non naturæ Diuinæ, qua æqualis est Patri.

94 *Alij volunt tandem*, hanc infinitatem consistere in æstimatione morali, supposita libertate operis, & dignitate personæ; ita vt secundùm rectam rationem debeamus æstimare opera personæ infinitæ esse infiniti valoris.

*Contrà*: vt æstimatio moralis sit recta, & vera, debet esse appretiatio operis, aut rei secundùm regulas morum, seù dictamen rectæ rationis; ergo sicut iudicium rectum, & verum supponit principia, quibus confirmatur; ita æstimatio moralis, quæ in simili iudicio consistit, supponere debet bonitatem inesse operi; ergo per eam minimè constituitur in esse boni. *His omnibus Aduersariorum placitis profligatis*, sit nostra

PRO-

# PROPOSITIO SEXTADECIMA.

*Opera Christi Domini fuerunt finiti meriti, & valoris simpliciter, & intensiuè: possunt tamen dici infiniti valoris extensiuè, & extrinsecè.*

95 PRopositio nostra est *Scoti in 3. dist. 19. quæst. vnica,* & nos illam probauimus propositione quartadecima. Ibi dictis adde: si bonum velle creatum Christi Domini esset infiniti meriti, & valoris simpliciter, & intensiuè; æquè acceptaretur, & amaretur à tota Trinitate, ac velle increatum: sed hoc est absurdum; ergo & illud, vndè sequitur. *Secundò* principia merendi in Christo, nempè natura humana, & gratia sunt simpliciter finita, & limitata: ergo & ipsa merita sunt simpliciter finita. *Hic suppono* ex supra probatis, ipsum suppositum non influere saltem physicè in opera humanitatis: quia opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa; & si influeret, adhùc contemperaret se concursui voluntatis creatæ, & cõsequenter effectus proueniens ab vtroque erit finitus, & limitatus: quia sequitur debiliorem partem. *Dices*, hæc solùm probare finitatem physicam. *Contra est*, quia ex hoc ipso capite potest desumi argumentũ ad probandum, quòd effectus etiam in esse morali, seù moraliter sũptus nõ possit esse infinitus; quia etiãsi suppositũ, quod dicitur moraliter influere, esset specialiter infinitũ; tamẽ cũ reliqua causa moralis, scilicet volũtas creata, sit simpliciter finita, effectus etiam in esse morali erit finitus. *Adde*, quòd valor moralis non solùm includit dignitatem personæ, sed etiã honestatem ipsius operis; ergo etiamsi persona sit infinita, tamen opus erit finiti valoris moraliter.

96 *Accedat altera probatio.* Omnis perfectio simpliciter, quæ repugnat enti superioris generis, debet repugnare à fortiori enti inferioris generis: sed ens creatum physicum, cui repugnat infinitas in suo genere, est superius, & perfectius, quàm ens morale: ergo omni enti morali debet repugnare infinitas. Minor patet: quia in Deo formaliter saluatur ratio operationis physicæ, vt volitionis, & intellectionis, in quo tamen non est aliquod ens morale, propriè loquendo, sicut nec defectus regulabilis per regulam rectam. *Confirmatur*: sicut se habet ens simpliciter ad ens simpliciter, ita ens secundũ quid

ad ens secundùm quid; sed ens physicum creatum est ens simpliciter; & ens morale est ens secundùm quid: ergo si infinitas physica, & simpliciter repugnat enti physico, infinitas secūdùm quid,& moralis repugnabit enti morali, loquendo de infinitate intensiua. *Item.* Vnio hypostatica, quæ immediatiùs afficit naturam, quàm eius opera, quæ dicuntur Verbi ratione tantùm naturæ, deberet tribuere maiorem perfectionem ipsi naturæ, quàm eius operibus;ergo si non potest tribuere infinitam perfectionem ipsi naturæ, nec reddere ipsam infinitè Deo gratam, & acceptam;non poterit tribuere talem perfectionem eius operibus, nec reddere ea infinitè Deo accepta, & consequenter nec dare ipsis infinitum valorem.

## *Contrariorum argumenta exploduntur.*

97 PRimum argumentum. Malū, & bonum potiùs æstimanda sunt secundùm iudicium Dei, quàm secundùm iudicium hominis: Deus autem nonnè potest appretiare meritū Christi infinitè;& si appretiaretur infinitè; nonnè esset rectè appretiatū? *Respondetur*, quòd Deus non potest pretiare meritum Christi infinitè; quia merito Christi, vt vt meritum est, non potest communicare perfectionem infinitam, sed tantùm summam; vndè non æstimabitur à Deo meritum vltra summam perfectionem. *Replicabis*: si meritum Christi non fuisset infinitum; ergo potuisset Deus mereri plus, quā meruit; quod tamen non est dicendum. *Confirmatur* hæc ratio authoritate Bedæ super illud *Matthæi 9. n. 14. quare discipuli tui nō ieiunant &c. Ioānes* (inquit Beda) *vinum, & siceram non bibet; quia illi abstinentia meritum auget, cui potentia nulla erat naturæ*: ergo ab opposito: Christus bibit, &c. quia abstinentia non poterat ei augere meritum, eo quòd Christo aderat potentia ad merendum à natura, cui hypostaticè vniebatur humana voluntas. *Respondetur* negādo, quòd Christus potuisset plus mereri; quia meritum erat summum ex parte principij formalis, saltem fuit summum negatiuè, nec detrahitur merito ipsius, quia defacto nullum meritum datur maius, nec æquale, & fortè, nec æquabile; quia non potest dari aliud caput Ecclesiæ. *Ad rationem ex authoritate Bedæ*, dico, quòd peccat secundùm fallaciam non causæ; nam Ioannes non bibendo potuit crescere in merito; Christus autem non fuit tantæ abstinentiæ, non quia non meretur abstinētia, sed quia decuit,

dare

dare ipsum exemplum communionis vitæ.

98 *Secundum argumentum.* Valor meriti attenditur secundùm virtutem Spiritus sancti mouentis; illa verò est infinita: ergo, &c. *Respondetur*, quòd non est infinita, loquendo de virtute immediatè mouente, quæ est gratia sanctificans; valor ergo acceptationis in operibus Christi non debet mensurari secundùm valorem, vel infinitatem diuinæ potentiæ; tunc enim omnis nostra actio esset infinita. *Replicabis*: valor operis accipitur magis à perfectione agentis principalis, quàm à perfectione agentis instrumentalis; voluntas autem creata in Christo secundùm Damascenum fuit instrumentum deificatum; ergo valor eius meriti potuit æquare infinitatem diuinæ virtutis. *Respondetur ad Damascenum.* Voluntas creata in Christo concurrebat cum voluntate increata ad multa, vt v.g. ad iustificationem peccatoris, per modum efficientis miracula, & alia huiusmodi, & respectù illorum operum erat instrumentum deificatum, cui assistebat immediatè virtus infinita Dei; at respectù actus meritorij non fuit instrumentum, sed vera causa, & essentialis; quamuis non principalis; cui vt concausæ coniungebatur diuina gratia; & sic valor meriti accipiendus est à perfectione charitatis. *Quòd hæc responsio sit bona*, inde patet, quòd nostra voluntas verè est causa nostri meriti, & non instrumentum; non verificaretur igitur Christi voluntas, si tantùm diceretur instrumentum.

99 *Tertium argumentum.* Valor meriti maior fuit valore satisfactionis Christi; si autem satisfactio Christi fuit excellentissima; cur meritum Christi negatur esse infinitum? Maximum à quo potest excedi, nisi ab infinito. *Respondeo*: posse dici vtrumque valorem esse incomparabilem, quia non sunt eiusdem speciei: nam satisfactio Christi alteri satisfactioni cõparata maior est; similiter meritum Christi alteri merito comparatum, maius est: at comparando meritum satisfactioni, vtriusque maximitas saluatur, sicut in decem generibus generalissimis, cessante ex parte vtriusque quocumque excessu. Dato tamen, quòd valor valorem excederet, negatur, quòd maximum in vno ordine, non possit excedi, nisi ab infinito; maximum enim potest teneri negatiuè, vel positiuè. Meritum Christi fuit maximum negatiuè, nõ tamen positiuè, quia ipsemet Christus potuisset plus mereri.

100 *Quartum argumentum.* Vis meriti Christi ideò potuit transire ab ipso in homines, tãquàm à capite in membra, quia Deus erat: opera autem eius, vt sunt Dei, sunt infinita; ergo vis meri-

ti

ti Christi fuit infinita. *Respondetur*, quòd meritum Christi dupliciter potuit ad nos transire. Primò per modum communicationis capitis. Secundò per modum cōmunicationis membrorum; nam stante analogia corporis mystici ad corpus naturale in capite, saluatur etiam ratio membri; quis autem negat, membrum vnum non posse mereri alteri membro; vis tamen meriti Christi excedit vim alterius merentis; quia cum esset caput, potuit mereri de condigno primam gratiam, & cætera, quæ dicta sunt. *In minori propositione* assumitur non causa pro causa: non enim ideò meruit, quia Deus; sed meruit nobis de condigno, quia fuit caput nostrum.

101 *Quintum argumentum*. Si Christus potuisset plus mereri, vel esset dignior beatitudine nobis obtinenda, vel dignus maiori beatitudine sibi pro nobis conferenda; cùm autem nullo istorum modorum fuerit dignus; cur suum meritum non fuit infinitum? Non licèt dicere, eius meritum fuisse dignius, vt factū est, quia tunc remuneratio eius fuisset citrà condignum. *Respondetur*: Christus non sibi meruit suam beatitudinem, vt supponendum est, sed comparando meritum suum ad nostram beatitudinem per ipsum obtinendā ex ea ratione, qua meritum, vt meritum dignum est remuneratione. *Posset dici*, quòd remuneratio sufficiens adęquat meritū, sed nō remuneratio efficax, potest cōcedi minor merito Christi. *Posset etiā dici*, quòd dignitas meriti Christi, vt dignitas meriti præcisè, & nō vt dignitas merētis, minor est beatitudine obtēta.

102 *Sextum argumentum*. Nullum beneficium potest excogitari, ad quod non se extendat meritum Christi; sed quolibet beneficio finito potest excogitari maius; ergo & merito Christi potest excogitari maius, quod est infinitum. *Respondeo*, infinitum absque vlla determinata proportione excedit finitum. Concedo igitur, quòd beneficia possunt augeri; & similiter meritum Christi potuit augeri; at non propterea augmentum beneficiorum, & meriti potuit ascendere in infinitum, & ita dico, quòd meritum Christi potuit crescere, sed non peruenire ad infinitatem, nec potest excōgitari meritum infinitum sinè contradictione intellectus cogitantis; nec est inconueniens credere, quòd Christus potuerit plus mereri, quàm meruit, sed benè incōueniens esset credere, aliquod meritum æquare defacto meritum Christi.

103 *Septimum argumentum*. Scriptura, & Sancti Patres loquuntur semper cum emphasi de valore meritorum Christi, & significāt, pretium sanguinis Christi superare omnem valorem, vt Iob cap.

cap. 6. *Vtinam appenderentur peccata mea, &c.* quæ verba accommodat *Diuus Gregorius 7. moralium cap. 2.* Christo, licèt litteraliter intelligantur de ipso Iob. vide *Basilium in Psalmum 48. Ambrosium in Psalmum 35.* Respondetur, hoc non esse contra nos, qui concedimus, magnũ fuisse excessum in meritis Christi, quantùm erat ex se, ita vt non solùm in valore fuissent sufficientia, sed etiam abundantia, & superabundantia: nam vbi *abundauit delictum*, ex Augustino, *superabundauit, & gratia*. Hinc tamen non sequitur, valorem operum Christi extrahendum esse extra genus entis finiti.

104 *Octauum argumentum*. Videmur derogare operibus Saluatoris, quæ deberemus potiùs extollere, quantùm possibile est; ergo irrationabiliter procedimus negando illis infinitatem. *Respondetur*, negando antecedens: sicut enim nõ derogamus Christi gratiæ ex eo, quòd dicamus, illam minimè esse infinitam intensiuè: nec scientiæ eius ex eo, quòd non admittamus, eam esse comprehensiuam Dei, aut extendi ad omnia, ad quæ extenditur sciẽtia increata: quia hæc sunt impossibilia; ita non derogamus operibus Christi, dicendo, illa esse finiti, & non infiniti valoris, & meriti: quia hoc est impossibile; cùm valor ille accipiendus sit, non solùm ex infinitate personæ Verbi; sed etiam ex substantia, perfectione, & honestate ipsius operis, quæ quia sunt finita, valor etiam simpliciter erit finitus.

## *Alia Aduersariorum obiecta eliduntur.*

105 PRimum argumentum est, quia *Clemens Sextus in Extrauagãti: vnigenitus de pœnitentia, & remissione &c.* docet, *Christum suis meritis acquisiuisse infinitum thesaurum hominibus; nec formidandum esse, nè exhauriatur, vel minuatur propter infinita Christi merita: cuius quidem vna gutta sanguinis propter vnionem ad Verbum, pro redemptione totius humani generis suffecisset*. Respondetur, concedendo esse infinita extrinsecè, denominatione desumpta à supposito infinito; & etiam extensiuè in acceptatione diuina, ita vt quantumcumque homines his vtantur, non sint exhaurienda, aut diminuenda. *Negamus tamen*, esse infinita extensiuè intrinsecè. *Vuaddingus disp. 2. de Incarnatione, dubio 2.* dicit, hanc responsionem esse contra proprietatem verborum; & mentem Pontificis. *Assumit* tamen falsum hic Doctor, quod sic ostendo: nam quemadmodũ peccatum mortale dicitur infinitæ

nitæ malitiæ; non quòd in se intrinsecè habeat vllam infinitatem; sed denominatione extrinseca, quia est contra Deum infinitæ bonitatis, & dignitatis; ita meritum Christi potest dici infinitum denominatione desúpta à supposito Christi infinito. *Item* consuetudo Sacræ Scripturæ est vocare aliquod infinitum ex eo, quod non sit finiendum, & non ex eo, quòd sit valdè magnum: *sic Sapientiæ* 7. ad quem locum alludit Pontifex in illa Extrauaganti: *Vnigenitus, &c.* dicitur, quòd sapientia sit *infinitus thesaurus hominibus, quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitiæ Dei propter disciplinæ dona commendati, &c.* Vbi Expositores per infinitum thesaurum inexhaustum, & indefinibilem, intelligũt rem magnam, & grandem, sed non infinitam. *Nostram doctrinam* minimè facere contra mentem Pontificis, patet: quia intentioni Pontificis sufficit, quòd merita Christi, & thesaurus Ecclesiæ sint ita infinita, vt nunquàm sint exhaurienda, finienda, aut minuenda. Solùm enim intendit, thesaurum Ecclesiæ esse indefectibilem, seù non posse deficere, & merita Christi non posse absumi. Hoc autem verum est, etiamsi intensiuè sint finita, & limitata; quia non per partes applicantur, sed tota singulis quòad sufficientiam, si ipsi vti volunt; quòad efficaciam autem illis, qui his de facto vtũtur.

106 *Hinc patet ad Cabreram* dicentem, quòd si meritum Christi sit finitum intrinsecè, posset exhauriri, seù minui, quantumuis dicatur infinitum secundùm quid, sicut actus charitatis, quia finitus, potest exhauriri. *Patet etiã ad Patrem Vuaddingum* idem dicentem, & existimantem, infinitum thesaurum meritorũ Christi applicari semper hominibus per ablationem finiti. Procedunt isti ex falsa imaginatione; quia putant, meritum Christi diuisibiliter, & quasi per partes applicari nobis, quod falsum est; applicatur enim cuilibet indiuisibiliter per modum causæ meritoriæ: nam passio Christi oblata, & acceptata est pro Angelis, & omnibus, & sic pro omnibus, & singulis valet: *ipse enim est propitiatio pro peccatis nostris, nõ pro nostris autẽ tãtũ sed etiã pro totius mũdi, ex Diuo Ioanne Epist. 1. c. 2.* Si autẽ Cabrera, & Vuaddingus nõ procedãt ex illa imaginatione, perindè est quãtũ ad consumptionem meritorũ Christi, quòd sint intrinsecè finita, vel infinita: nam si thesaurus infinitus, quando applicatur totus vni, non dicatur ita exhauriri, quia totus possit applicari alteri; ita etiamsi sit finitus, & totus applicetur vni, non debet dici exhauriri, quia idem actus possit applicari alteri.

107 *Roboratur nostra responsio:* quia sicut aliqui Recentiores, vt *Eminentissimus Lugo disp. 6. de Incarnatio-*

*natione, sectione prima, nu.* 14. non obstante illa authoritate *Clementis 6.* negant, meritum Christi in esse meriti esse infinitum simpliciter, licèt concedant ipsi infinitum valorem; cùm tamen Pontifex dicat, thesaurum Ecclesiæ esse infinitum, quia merita Christi fuerunt infinita; ita nobis etiã erit licitum explicare, de qua infinitate veniat intelligendus Summus Pontifex: & sicut ipsi negant, intelligendum esse de infinitate meriti in esse meriti; ita nos negamus, ipsum intelligi de infinitate intrinseca, siue meriti in esse meriti, siue in esse valoris, si hæc distinguantur, vt ipsi distingui volunt.

108 *Secundũ argumentum* est Suarij, qui ita argumentatur contra nos: Christus satisfecit pro pœna æterna debita omnibus hominibus, quæ infinita est, & alterius rationis ab omni pœna temporali; ergo satisfactio ipsius fuit intrinsecè infinita, aliàs non esset æqualis debito. *Item* satisfactio Christi per se, & suo valore sufficiebat pro peccatis, si in infinitum augerẽtur, vel nõ sufficiebat. Secundum non congruit scripturæ, & Patribus. Ex primo sequitur, satisfactionem illam fuisse intrinsecè infinitam: nam finita exhauriretur per infinita peccata: ergo. *Respondetur*, negando consequentiam: nam sicut ipsa pœna non est infinita, nisi secundùm quid tantùm, scilicet secundùm durationem, ita satisfactio intrinsecè finita potest esse illi æqualis: quippè talis infinitas non est intensiua, nec perfectionis; si enim Angelus esset ab æterno, non propterea esset perfectior, quàm modò est; nec ex eo quòd sit *à parte post* in æternum duraturus, est perfectior, quàm si non esset sic duraturus, sed aliquando destruendus, seù annihilandus. *Item*. Christus primariò satisfecit pro peccato, quod est finitæ tantùm malitiæ; sed quæcumque satisfactio æqualis peccato est proportionata pœnæ, quæ infligitur tantùm propter peccatum: ergo. *Item*: sicut ipsum peccatum finitæ malitiæ fundat debitum pœnæ æternæ, seruata æqualitate iustitiæ, ita satisfactio finita redimere potest à tali. *Item*. Opera iustorum, quæ sunt finiti valoris, merentur de condigno secundùm Tridentinum vitam æternam, quæ est infinita secundùm durationem; ergo potest opus aliquod finiti valoris mereri remissionem pœnæ æternæ debitæ peccato. *Ad confirmationem* negatur sequela primæ partis antecedentis: ratio patet ex dictis; nam illa satisfactio, quia non applicatur secundùm partes, sed secundùm se totam cuilibet, sufficeret pro peccatis, si in infinitum augerentur numerò.

109 *Tertium argumentum*. Ratio meriti, & valor crescit ex dignitate personæ merentis: sed per-

sona Christi operans, & merens est infinita; ergo opera ipsius,& merita sunt infiniti valoris. Probatur maior: quia nullus est, qui non existimet, obedientiam, & humilitatem Regis maiorem habere valorem, quàm vnius hominis priuati; ergo, cū persona Christi fuisset infinitæ dignitatis, opera ipsius erunt infiniti valoris. *Respondetur*, distinguendo maiorem: sub genere finitæ perfectionis, quæ sola operibus debetur, concedo; infinitæ, nego maiorem, & consequentiam; sicut enim Aduersarij, quamuis concedant, satisfactionem, & merita nostra crescere ex obiecto, & fine, negant tamen esse infinita, etiam quando obiectū, aut finis, vt Deus, essent infinita; & omnes concedunt, perfectionem cognitionis desumendam ab obiecto, & tamen non admittunt, esse infinitæ perfectionis, quando versatur circa obiectum infinitæ perfectionis, & multi etiam ex Aduersarijs meritò negant nobiscum, peccatum mortale habere infinitam malitiam intrinsecam, licèt admittant, malitiam ipsius crescere ex dignitate personæ offensæ, quæ est infinita, sicut admittūt, rationem, & valorem meriti crescere ex dignitate personæ merētis, & satisfaciētis; ita in casu. Ad probationem maioris concedo antecedens, & nego consequentiam: quia etiamsi persona infinita augeat valorem meriti; non tamen debet extrahere ipsum extra rationem finiti, quando aliæ causæ, & cōditiones necessariò requisitæ ad talem valorem sunt simpliciter finitæ; nec mirum videri debet, quòd persona creata proportionaliter ad suam dignitatem augeat valorem operis, quamuis increata nō valeat ita augere; quia creata secundùm totam suam dignitatem potest se humiliare, & existimare indignam tanto honore.

## *De Operibus Præcepti.*

## DIFFICVLTAS.

### *Vtrùm Christus meruerit operibus præcepti, & quando incæpit, & finiuit mereri?*

110 QVidam dicunt, potuisse Patrem Aeternum imponere Christo Domino præceptum, non tamen cum obligatione

ne ad culpam. Ad hoc probandum distinguunt in præcepto duas obligationes. *Prima obligatio est*, quam habet subditus ad obediendum superiori propter ius, quod superior habet, vel exercet in subditum, imperando illi. Et hæc prima obligatio est de essentia ipsius præcepti, vt tenet *Diuus Ambrosius Epistola 62. Diuus Cyprianus sermone de Christi natiuitate, Augustinus de Virginitate c.20.* & iuxta hāc priorem obligationem hæc opinio concedit, quòd Christo Domino fuit impositum præceptum. *Secunda obligatio est* ād culpam, scilicet ad incurrendum inimicitiam eius, qui præcipit, quando præceptum eius non obseruatur; & hanc obligationem, asserunt, non posse imponi Christo Domino.

111 *Quòd autem hæc secunda obligatio* possit à prima separari, probant à priori. *Primò*; quia ipsa secunda obligatio non est de essentia præcepti, sed oritur ex prima obligatione; quare potest, tanquàm posterius, separari à priori; separatur autem in præceptis positiuis ad libitum superioris; vndè in aliquibus Religionibus sunt præcepta obligantia subditum tantùm ad pęnam, non verò ad culpam. *Secundò probant*: quia subditus defacto aliquando obedit virtute obedientiæ, vel charitatis tantùm sinè vllo respectu ad superioris inimicitiam incurrendam, vel ad pœnam; ergo eodem etiam modo potest etiā superior præcipere. Si verò pręceptum est naturale, ad quod subditus lege naturæ teneatur, tunc secunda obligatio, quæ est ad culpam, semper est coniuncta cum priori, & inseparabilis ab ea; dummodò subiectum, vel subditus, cui tale præceptum imponitur, capax sit obligationis. Si verò sit incapax, non est necesse, vt secunda obligatio sit coniuncta cum priore, vel oriatur ab illa, cùm non dicat essentialem coniunctionem cum ea. Concludūt, quòd cùm Christus Dominus sit incapax culpæ, & secundæ obligationis, siue præceptum moriendi fuerit illi impositum, siue naturale consurgens ex officio Mediatoris, non poterat obligari ad culpam propter incapacitatem subiecti; hinc impeccabilis semper esset, quamuis non adimpleret præceptum.

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Hic modus dicendi non est admittendus.*

112 *Videatur Medina 2. parte, quæst. 26. articulo 4. & Albertinus quæst. 3. Theologica.* Probatur: quia transgressio præcepti, quatenus dicit priorem obligationem, adhuc esset imperfectio priuatiua in Christo Domino, quia est negatio actus debiti; & probatur, nam Christus Dominus per priorem obligationem tenebatur obedire Patri: quia habebat ius præcipiendi; ergo actus transgressionis nō est secundùm debitam rectitudinem morum, sed est inobedientia, & dissensio à Diuina voluntate. Quòd autem hæc imperfectio priuatiua repugnet Christo Domino, nec possit stare cum eius impeccabilitate; ita ostendit *Albertinus*: quia si Verbum admitteret hanc imperfectionem, admitteret aliquod indignum diuinitati, quod certè repugnat; quia ad partem rationalem pertinet ita regere partem sensitiuam, vt hæc nullam incidat imperfectionem priuatiuam, si possibile sit humano modo; ita ad Deitatem spectat ita regere naturam humanam, vt nullam admittat imperfectionem priuatiuam, quod quidem non facere, impossibile est Deo in opinione istius Doctoris de potentia Dei absoluta, in nostra verò tantùm de potentia ordinaria.

113 *Secundò sic impugnatur*: quia, quamuis præceptum iure impositum, essentialiter inducat in subditum obligationem tātùm obediendi, & non inducendi ad culpam (quod intendunt Sancti allegati in illo modo dicendi) nihilominus transgredi præceptum sic impositum, necessariò, & essentialiter ponit culpam in transgrediente. Hoc sic probo: nam qui transgreditur præceptum iure impositum, lædit, ac violat ius imperantis: sed lædere ius alienum, manifestè est culpa, & iniustitia; ergo à trangressione præcepti iure impositi nō potest culpa separari: imò nihil aliud est culpa, & peccatum secundùm omnes, quàm transgressio legis, vel præcepti iure impositi.

114 *Tertiò* etiam impugnatur hic modus dicendi ijsdem rationibus prædicti Albertini: nam si Authores illum defendentes asserunt, Christum Dominum esse impeccabilem etiam de potentia absoluta ex vi præcisa vnionis, vel quòd Deus, supposita vnio-

uaione, non poterat de potentia absoluta illi naturæ non conferre auxilia ita gubernantia naturam, vt non possit deuiare à lege, & regula diuina: hoc supposito, dico, quòd dato casu, quòd Christus Dominus non peccaret in transgressione præcepti, si defacto illud transgrederetur: adhùc isti Authores minimè probant, Christum Dominum habere libertatem transgrediendi præceptum, imò eodem fundamento, quo probant impeccabilitatem, probant impossibilitatem transgrediendi, & deuiandi à regula. Vndè dato casu quòd in suo modo dicendi componerent transgressionem præcepti possibilem cum impeccabilitate, & separabilem esse primam obligationem à secunda; adhuc non probant, quomodò Christus habeat libertatem trãsgrediendi primam obligationem, & non obediendi Patri, cõcedendo illi (vt ipsi concedunt in Christo Domino) necessariam rectitudinem, & conformitatem cum regula.

## *Aliorum opinio.*

115 ALij asserunt: quòd licèt Christus Dominus fuerit impeccabilis; adhuc liberè adimpleuit præceptum; quia in primo instanti suæ conceptionis, liberè, volunt, ipsi imponi præceptum; quia in primo instanti suæ cõceptionis liberè voluit sibi imponi præceptum. Hoc probant ex illo Psalmi 39. *Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei, &c.* Istum locum de Christo Domino intelligit Apostolus; si ergo liberè Christus Dominus voluit sibi imponi præceptum, liberè adimpleuit illud.

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Hic modus dicendi non est verus.*

116 PRobatur: quia tollit libertatem, quæ opponitur necessitati in actuali adimpletione pręcepti; quare talis adimpletio formaliter non habet libertatem in se, sed in causa, scilicet in actu illo antecedente, quo Christus Dominus voluit, sibi imponi præceptum. Quòd autem nec in illo actu fuerit libertas, probat idem *Albertinus:* Primò: nam præceptum morien-

riendi non debebat pendere, nec defacto pendebat à voluntate creata Christi Domini: nam antequàm intelligeretur Christus Dominus velle præceptum, iam significabatur impositum per ea verba præcedentia: *Aures autem aperuisti mihi, &c.* Aperuit Deus Christo Domino suam voluntatem de moriendo, quam voluntutem fuisse præceptam, significat alia Conuersio, quæ legit: *Aures autem perforasti mihi, &c.* ad instar serui, quod indicant etiam sequentia verba: *Et legem tuam in medio cordis mei.* Possent *respondere*, quòd per illa verba: *Aures autem aperuisti mihi, &c.* etiam denotatur præceptum fuisse propositũ intellectui creato Christi Domini; siquidem intellectus, dùm intelligit, auris est, qua auditur, quidquid Pater loquitur; vnde quando præceptum fuit repræsentatum intellectui creato Christi Domini, & Pater aperuit hanc aurem, intellectum, vt præceptum audiret, vel præciperet, vt repræsentaret voluntati; voluntas hoc præceptum sibi præsentatum; liberè voluit sibi imponi, in quo saluatur libertas, quam ponit iste modus dicendi.

117 *Quarè illum sic impugno*, probando, Christum Dominum nullam habuisse libertatem à necessitate circà impositionem talis præcepti: nam vel prædicti Authores asserunt, ita voluisse Christum, sibi imponi præceptum, vt posset non velle, vel ita, vt necessariò vellet. Si secundum, iam est necessitas, quam conãtur tollere; si verò primum asserunt; tunc sic: si Christus Dominus posset velle, non sibi imponi præceptum, quod Pater volebat imponere, Christus Dominus posset peccare, sed iuxtà sententiam tenentem istum modum dicendi, Christus Dominus non potest peccare, etiam de potentia absoluta. Maior probatur: nam velle actualiter oppositum eius, quod Deus in se vult, quando talis voluntas cognoscitur, est peccatum: ergo si Christus Dominus, cognita voluntate Patris, posset velle oppositum, valeret etiam peccare; quod negant. *Item*: parùm est cõsentaneũ Diuinæ prouidẽtiæ, & Scripturæ dependisse tantùm à voluntate Christi Domini humana, perfectissimũ, & supremũ opus tàm Diuinæ prouidentiæ, quàm prædestinationis; & nõ est credibile, quòd Pater Aeternus ideò decreuit nostrã redemptionem, quia voluntas humana Christi Domini voluit. *Nec sufficit respondere* cum aliquibus, ita impositum fuisse præceptum Christo Domino, vt pro suo libito posset petere dispensationem præcepti, & exaudiretur pro sua reuerentia, quod colligitur ex illo Matthæi 6. *An putas, quòd non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi plusquam duodecim legiones Angelorum,*

*lorum, &c.* hinc cùm liberè potuisset petere hanc dispensationem, saluatur Christi libertas. *Nam contra* est: quia licèt ista solutio aliquid probet de præcepto mortis, quod est positiuũ, nihil tamen probat de præceptis naturalibus, in quibus nullatenus poterat Christus Dominus petere dispensationem; ac per cõsequens nec liberè adimpleret illa, nec mereretur in adimpletione illorum.

## *Aliorum sententia.*

118 QVibusdam placuit, Christum fuisse liberum, quia quamquàm non potuerit non velle mori, supposito præcepto, poterat tamen acceptare mortem ex hoc, vel illo motiuo; hoc, vel illo tempore; actu intenso, vel remisso: acceptatio igitur, qua defacto ex tali motiuo, pro tali tempore, & tali actu intenso mortem acceptauit, fuit libera, & meritoria; quia potuit nõ habere talem acceptationem. *Ita Vasquez disp. 74. & multi cum eo.*

# PROPOSITIO TERTIA.

## *Hic modus dicendi non videtur satisfacere.*

119 PRobatur: quia si Christus haberet omnimodam necessitatem moriendi quòad substantiam mortis, & solùm indifferentiam quòad prædictas circumstantias, nõ esset tribuendum ipsi ad laudem, quòd mortuus fuerit simpliciter, & absolutè, nec agẽdæ illi gratiæ propter hoc; & consequenter non meruisset, nec redemisset genus humanum, quia mortuus est, sed quia tali tempore, ex tali motiuo, & libentiùs mortuus fuerit, hoc tamen est cõtra Scripturam, qua significatur ipsa mors secundùm substantiam libera, & Christus laudandus, & gratiæ ipsi habendæ propter ipsã mortem, non propter illas circumstantias solùm. Patet ex scripturis supra allatis: *Nemo tollit animam meam, &c. Oblatus est, quia ipse voluit, &c.* Ad Philippenses 2. *Factus est obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* Ponderandum hìc, non dicere Sacram Scripturam: quia citiùs, libentiùs, aut ex tali motiuo obediuit,

uit, sed quia mortem obediens acceptauit. Ponderandum itidem, quòd ponere animam à seipso, significat mortem quòad ipsam substantiam fuisse liberam.

120 *Confirmatur primò*: quia si quis esset in carcere propter debitum decem scutorum, & alius, qui deberet ipsi decem scuta post vnum annum, misericordia, & charitate erga incarceratum motus, anticipasset solutionem, & liberasset reum; nullus diceret, eum liberè, & gratis soluere illas pecunias, nec reus deberet illi gratias pro ipsa solutione in substantia, sed tantùm pro anticipatione solutionis; ergo si Christus habuit necessitatem mortis subeundæ, non liberè subijt mortem, nec gratiæ sunt illi pro morte referendæ, sed solùm pro eo, quòd citiùs, & libentiùs passus sit mortem. *Item* siquis esset damnatus ad mortem, & relinqueretur in eius potestate eligere hoc, vel illud genus mortis, & hodie, vel cras; nullus diceret, ipsum liberè mori ex eo, quòd eligeret hanc mortem, & non aliam, vel quòd moriatur hodie potiùs, quam cras; ergo nec Christus debet dici liberè mortuus, si libertas ipsius extendatur solùm ad circumstantias supra positas. *Vrgetur difficultas*: quia nemo dicet, antiquos Patres meruisse Incarnationem simpliciter, aut eam fuisse præmium suorum meritorum, licèt communiter concedatur, eos meruisse accelerationem eius: ergo si Christus fuit necessitatus ad ipsam mortem, & solùm fuit liber quòad aliquas circumstantias; redemptio nostra non erit præmium mortis ipsius; nec debemus illi gratias, quia moritur, sed quia moritur cum talibus circumstantijs.

121 *Dices*: actus, quo Christus voluit mori hìc, & nunc, est volitio mortis, & consequenter Christum meruisse non solùm per volitionem circumstantiarum, sed etiam per volitionem ipsius mortis. *Contra*: dicant similiter, actus, quo voluit Deus incarnari hìc, & nunc, in illis circumstantijs fuisse volitionem Incarnationis, formaliter loquendo; & tamen, licèt ille actus sit propter merita Patrum, non tamen ipsa Incarnatio simpliciter, & absolutè. *Dices vlteriùs*, ipsam mortem secundùm substantiam fuisse liberam, & voluntariam: quia acceptata fuit per actum intensum, qui actus erat liber: quia Christus poterat habere alium actum minùs intensum. *Contra*: vt mors dicatur libera simpliciter, non sufficit, quòd procedat ex voluntate quomodocumque libera, sed requiritur, quòd taliter procedat, vt possit simpliciter non procedere ab illa voluntate: si ergo intentio illius actus in Christo præsupponit necessitatem

tem volendi mortem, mors non debet ab ipsa denominari simpliciter libera, sed solùm quantùm ad illum excessum: nam operanti non debet tribui ad laudem id, quòd facit, nisi inquantùm excedit id, ad quod ante operationem erat necessitatus. Si enim aliquis det decem nummos aureos illi, cui debet octo; estò tota datio sit libera, quia posset dare alios decem diuersos; obiectum tamen gratitudinis non est datio decem, sed solùm datio duorum: quia in duobus excedit id, ad quod supponebatur necessitatus; ita in proposito: ille actus intensus, quo Christus acceptauit mortem, non est obiectum gratitudinis adæquatè; sed solùm secundùm illum excessum intensionis, vel accelerationis, si præsupponitur Christus ante simpliciter necessitatus ad ipsam substantiam mortis.

122 *Dices*: Martyres dicuntur simpliciter liberè mori, & laudantur propter mortem etiam quoad substantiam, licèt sint causa mortis solùm per anticipationem, & accelerationem: non enim possunt vitare mortem simpliciter; cùm tandem ex necessitate ipsius naturæ debuissent mori: ergo, vt Christi mors dicatur simpliciter libera, & meritoria, sufficit circumstantia accelationis. *Contra*; quia non valet paritas; nam mors Christi independenter ab ipsa acceleratione, & alijs circumstātijs erat aliundè necessaria, quàm ex debito ipsius naturæ (ex præcepto scilicèt Dei, vt volunt Aduersarij) mors verò Martyris non est aliundè necessaria, quàm ex debito ipsius naturæ, & quia hoc debitum vniuersale est, & commune omnibus; qui voluntariè illud præuenit, & mortem anticipat, dicitur mori, quia ipse vult, & cōsequenter liberè; quia ponit animam suam à seipso, quantùm ab ipso, vel ab homine poni potest. Si tamen esset aliquis iam destinatus ad mortem à Iudice, & ipse propter aliquam rationem eligeret mori hodie potiùs, quàm cras, verè è contra talis minimè diceretur liberè mori. *Idem* dicendum de Christo, si independenter à voluntate propria sit omninò ordinatus ad mortem per præceptum Patris, quamuis in manu ipsius adhùc fuisset accelerare aliquo modo mortem. *Deindè*: illud, in quo fundantur omnes datæ solutiones, nimirùm quòd præceptum fuerit solùm de substantia mortis, & non de circumstantia temporis, vel motiuorum, gratis omninò dicitur.

# PROPOSITIO QVARTA.

## *Aliorum placita examinantur, & verior sententia adducitur.*

123 DIxerunt alij, libertatem Christi componi cum necessitate moriendi per sensum compositum; dicunt ergo, Christum fuisse necessitatum ad mortem in sensu composito, non tamen in sensu diuiso.

*Verùm horum sententia* nō soluit difficultatem. Probatur, & primò suppono, necessitatem antecedentem non stare cum conceptu libertatis. Rem explico: si independenter à mea voluntate foret mihi ablatum Breuiarium, cum sine Breuiario minimè valeam dicere officium, tunc non dicere officium, nequaquam esset mihi peccatum. Nunc ita dicunt illi Doctores: Christum esse necessitatum ad adimpletionem præcepti; stante præcepto: infero, quòd cùm positio præcepti fuerit independenter à consensu Christi; ergo circa talem adimpletionem nullam habet Christus libertatem. *Item* alligatio ad præcepta naturalia erat adeò necessaria Christo, vt illius obligatio non fuerit in potestate Christi, nec Deus potuerit cum eo dispensare; ergo saltem respectu horum nullam habet veritatem discursus horum Doctorum.

124 *Apud Cardinalem de Lugo disp. 26. sectione* 8. saluatur libertas Christi in hoc, vt in potestate Christi fuerit petere à Patre dispensationem de præcepto imposito, quam si expostulasset, obtinuisset: hinc cùm pro sua libertate non petierit talem dispensationem, sequitur, talem mortem fuisse Christo liberam. *Sed nec hic modus dicendi* soluit difficultatem. Probatur, quia saltem non valet hic discursus, loquendo de præceptis naturæ: nam talia præcepta sunt indispensabilia, & consequenter talis dispensatio non poterat peti à Christo. *Addo*, quòd cùm Christus iam videret in Verbo, Patrem Aeternum voluntate efficaci determinasse, Christum moriturum; non videtur, qua ratione Christus potuerit postulare dispensationem: videretur enim, supponere possibilem mutationem in decreto efficaci diuinæ voluntatis; quod dicet nemo.

125 *Verior igitur sententia est, quòd Christus simpliciter potuit peccare, & transgredi præceptum de morte.*

To-

Totam ergo impeccabilitatem, quam defacto Christus habuit, iudico reducendam ad manutenentiam Dei, quæ est continua, & permanens auxiliorum efficacium exhibitio: cùm ergo auxilium efficax non destruat libertatem, concludo, quòd Christus post præceptum adhuc fuerit liber. Si etiam dicatur, Christum esse impeccabilem per fruitionem, quam habuit à primo instanti suæ conceptionis; conclusio nihil habet difficultatis. Nam talis fruitio (vt sæpiùs in alijs materijs notaui) non necessitat simpliciter voluntatem quòad exercitium, maximè cũ stante clara visione Dei, posset Beatus cessare ab amore Dei; defacto tamen manutenetur à Deo, nec esset, & ista manutenẽtia minimè nocet libertati. Ratio est: quia sola suppositio antecedens, & independens à voluntate, aduersatur libertati: cùm ergo ista manutenentia minimè sit aliqua prædeterminatio physica, sed solùm datio auxilij efficacis, cùm Deus per scientiam conditionatam prævi-derit, quòd dando Sancto Francisco v.g. tale auxilium, Franciscus infallibiliter (liberè tamen) operaretur; & si Deus det tale auxilium, ad quod infallibiliter sequitur operatio, adhùc tamen remanet liber. *Ad clariorem intelligentiam sit*

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Quantùm ad præcepta positiua.*

126 Mihi probabiliter respõdetur difficultati isti, Christum, etiam posito præcepto, liberè obedisse, & consequenter ipsius mortem fuisse liberã, & meritoriam. Ratio est: quia quotiescumque sensus compositus alicuius est in potestate ipsius voluntatis ita, vt possit tollere talem sensum, si vellet; illud, quod sequitur ad talem sensum compositum, est simpliciter in potestate volũtatis: quia simpliciter potest illud impedire, quamuis manente tali compositione, dicatur necessarium, sed necessitate secundùm quid, & ex hypothesi, quæ liberè potest auferri: sic apertis oculis, & proposito obiecto visibili, visio dicetur necessaria, licèt simpliciter sit libera; quia posset eam voluntas simpliciter impedire: cùm igitur Christus potuerit tollere sensum compositum præcepti, & consequenter impedire simpliciter mortem, impetrando scilicet dispensationẽ à Deo;

mori simpliciter; vel non mori, fuit ipsi liberrimum.

Petes: *Vndè constet nobis, Christum potuisse tollere sensum illum compositum præcepti?*

127 *Respondetur*, quòd ex Scripturis, in quibus habetur, Christum liberè mortuum, & ex illo Matthæi 26. *An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* Ex isto loco apertè colligo, Christum potuisse rogare Patrem, vt esset ipsi in auxlium; & si rogasset, Patrem exhibiturum duodecim legiones Angelorum ad defendendum ipsum cōtra Iudęos, & auertendam mortem; sed ista in sensu composito præcepti, quia nec Christus potest proximè petere violationem præcepti; nec Pater ad transgrediendū præceptum poterat ipsi esse in auxilium; ergo sublato præcepto, consequenter in manu Christi erat tollere præceptum, si ipse voluisset. *Ex hoc discursu collige*; præceptum, saltem quantùm ad eius continuationem, non fuisse primò impositum Christo independenter ab eius voluntate, quia liberum erat ipsi non continuare illud; nec fortè vllo modo fuit ipsi præcepta mors independenter à voluntate sua: nil enim obstat, quominùs illa voluntas, qua ingrediens in mundum *ex Apostolo ad Hebræos* 10. *nu*. 7. & videns insufficientiam antiquorum sacrificiorum; voluntariè se obtulerit, dicens: *Ecce venio, &c. vt faciam, Deus, voluntatem tuam*, dicatur antecessisse omne præceptum de morte, & passione; & Deum tunc primò imposuisse Christo præceptum ad augendum eius meritum, & dandam ipsi materiam obedientiæ; & ad exemplum aliorum, quando viderent eius prōptitudinem ad mortem subeundam pro redemptione nostra; & quòd aliàs non imponeret ipsi tale præceptum, nisi videret iam consensum ipsius paratum. Si autem hoc dicatur, non solùm continuatio præcepti esset Christo libera, sed etiam prima eius impositio.

128 *Dices primò*. Christum in illis verbis Matthæi 26. *An putas, quia non possum, &c.* loqui de potestate, quam habebat eius Diuinitas, non autem de potestate humanitatis. *Contra*: non competit Christo secundùm potestatem Diuinitatis rogare Patrem: quia in illa est æqualis Patri; ergo nulla responsio. *Dices secundò*, illa verba Matthæi 26. *An putas, &c.* significare solùm quid Christus posset ex natura rei, nisi impediretur præcepto Patris. Ita videntur explicare illa verba *Maldonatus in Matthæum*, & *Velasquez ad Philippenses cap*. 2. *versiculo* 9. *nu*. 8. *Contrà*: quia hic sensus est apertè contra intentionem Christi, qui voluit ostendere Petro, se tunc liberè, & nō ex necessitate mori, vt colligunt

Pa-

Patres, & Interpretes communiter. *Dices tertiò*, quòd Christus non diceretur obligatus præcepto mortis, si liberum esset ipsi obedire, vel non obedire: sed hoc fuit ipsi liberum (si in potestate eius erat tollere præceptum) ergo. *Respondetur*, negando minorem: quia non dicitur, esse liberum alicui non obedire præcepto ex eo, quòd posset se liberare ab obligatione præcepti per dispēsationem superioris; sic Religiosi vouentes aliquas preces, vel alia pia opera compatibilia cum statu Religionis, & obedientia Superiorum, obligantur istis votis, licèt illa obligatio sit ipsis libera, quatenus liberum est ipsis, illam superioribus significare, & petere dispensationem.

## PROPOSITIO SEXTA:

### *Christus incœpit mereri in primo instanti suæ conceptionis.*

129 EST *Magistri in 3. dist.* 18. *Scoti ibidem*, *Diui Thomæ 3. parte, quæst.* 19. *& aliorum*. Probatur primò ex illo ad Hebræos 10. nu. 5. *Ideò ingrediens mundum, dicit: hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi, &c. Probatur secundò rationibus*: quia omne habens actum primum perfectum, & obiectum præsens in ratione obiecti, si non impeditur, & actus eius secundus non sit successiuus, sed permanens, potest pro quocumque instanti agere: quia nil aliud requiritur ad actum; sed Christus hæc omnia habuit in primo instanti suæ conceptionis: potentia enim eius fuit perfectissima; habuit auxilia perfectissima, cognitionem, & gratiam; & obiectum, scilicet tota Trinitas fuit illi præsens: ergo poterat velle illi bonum propter se. *Deindè*: notaui supra, Christum meruisse per ipsum amorem beatificū, quem liberè in primo instanti elicuit; & etiamsi non meruisset per illum actum, poterat tamen pro eodem instanti videre alias creaturas, siue per ipsam visionem beatificam, siue per distinctam aliquam aliam cognitionem, easquè propter Deum amare, ergo, &c.

130 *Dices primò*: effectum debere supponere suam causam: ergo nequit res produci, & operari in eodem instanti, & consequenter nec mereri: quia meritum non potest esse sinè operatione. *Respondetur*, distinguendo antecedens,

dens, natura; concedo; tempore, nego: quia vt communis sententia docet, Angeli defacto operati sunt in primo instanti suæ creationis; & hoc maximè verum est, quando operatio non est successiua, sed permanens. *Replicabis*: vt actus sit meritorius requiritur deliberatio, & electio: quia actus meritorius est electiuus: sed electio præsupponit syllogismum practicum, & discursum, & discursus præsupponit moram; ergo res nequit habere actum meritorium pro primo instanti, quo producitur. *Respondetur ex Doctore supra*, ideò requiri huiusmodi discursum, & syllogizationem practicam, vt habeatur actus electionis voluntatis, & quando actù voluntas eligit, ratio practica non discurrit, sed facta conclusione practica, sententiat de eligendo. Vndè si sententia vltima possit haberi sinè discursu perseuerante, voluntas potest liberè tam perfectè eligere in instanti, quàm si præcederet discursus: sed potest, quia perfectus in cognoscendo non discurrit *ex 3. Ethicorum* 10. sicut artifex in citharizãdo perfectus nõ discurrit in percutiendos cordas, & syllogizat, aliàs videretur imperfectus. Cùm igitur Christus à principio suæ cõceptionis fuerit perfectissimus in cognitione, poterat sinè tali syllogizatione eligere, quia electio de se est actus simplex.

131 *Vndè in forma respondetur*, distinguendo maiorem: electio præsupponẽs cognitionem perfectam, seu iudicium perfectum practicum, non tempore, sed natura, concedo maiorem; præsupponens discursum formalem, & syllogizationem practicam, nego maiorem. Distinguo similiter minorem: electio præsupponit discursum in imperfectis, transeat; in perfectis, saltem necessariò, nego minorem, & consequentiã: quia posita sufficienti cognitione, & iudicio in intellectu, voluntas non indiget successione temporis ad eligendum, sed potest liberrimè consentire in eodem ipso instanti, quo intellectus iudicat aliquid faciendum.

*Hinc patet ad aliam obiectionem*, qua dicitur, indifferentiam voluntatis necessariò respicere futurum; hoc enim est falsum, quia potest liberè operari, si velit pro eodem instanti, quo indifferens est. *Dices*, Christum non habuisse vsum rationis in sua infantia: quia hic dependet à debita dispositione organorum; ergo non potuit mereri. *Negamus assumptum*: est enim contra Sanctos Patres, qui explicant illud Hieremiæ: *Fœmina circumdabit virum*; ita vt velint, Christum in vtero Matris fuisse virum, non corpore, sed mente. *Item* fatentur, Christum in sua natiuitate, & circumcisione meruisse nobis: sãctificasse Ioannem Baptistam in vtero Matris, & multa similia,

lia, quæ dicuntur de Christo infante. Ex quibus colligitur clarè, Christum in infantia meruisse nobis. Argumentum ergo nō valet in proposito: quia Anima Christi propter suam perfectionem non dependebat à phantasmatibus, sicut dependet necessariò anima nostra pro hoc statu.

132 *Dices secundò*. Angelus non potuit peccare in primo instanti suę creationis secundū Anselmū de casu Diaboli c.13. quia tunc Deus esset causa peccati: nam quidquid cōuenit Angelo ab instāti suę creationis, habet à Deo: ergo similiter nec Christus potuit mereri in primo instanti, aliàs meritum esset à Deo, & Christus merè passiuè se habuisset ad meritum, quod est contradictio. *Confirmatur primò*, si Christus potuit mereri in primo instanti; aut hoc fuisset eodem actu cum actu fruitionis beatifico, aut alio: non eodem, quia beatitudine nō meretur aliquid, sed magis præmiatur, & meritum, & pręmium non sunt idem, sed vnum est causa alterius: nec potest dici, quòd alio actu, quia ille actus fuisset prior actu beatifico; quod est falsum: quia actus beatificus simpliciter fuit prior in voluntate Christi. *Confirmatur secundò*, si potuit in primo instanti mereri Christus, ponamus, quòd meruerit: *Tunc sic*. Omne, quod est, quando est, necesse est esse: ergo nullus actus, quando est, contingens est, & per consequens actus tantummodò est contingens, vt est in potentia; sed potentia est prior actu, & potest illum elicere, vel non elicere; ergo si actus ponitur in priori instanti, tollitur prioritas potentiæ, & per consequens contingentia actus, & ratio meritorij. *Item* agere pręsupponit esse: sed mereri est agere; ergo præsupponit esse creatum præcedens non solùm natura, sed duratione: quia ipsum esse non est, nisi duratio entis, quare, &c.


133 *Respondet Bassolius*, quòd Angelus potuit peccare in primo instanti, & actum peccati habuisset in seipso per propriam voluntatem. *Ad Anselmum dicitur*, quòd ipse finxit vnum Angelum, qui non habuisset voluntatem à sua creatione, sed fuisset creatus sinè voluntate, & ideò non potuisset peccare in primo instanti, quia si peccasset, non à se, sed à Deo peccasset, vt patet. Opposito autem modo res se habet in casu nostro: nam supponimus, Christum habuisse in primo instanti suam propriam voluntatem, &c. *Ad primam confirmationem* potest dici vna, & altera pars; nec sequitur inconueniens aliquod, si dicamus, Christū meruisse actu alio, quia actus beatificus, etsi satiabat voluntatem Christi, quantùm ad intensionem, scilicet, quod non poterat habere perfectiorem

rem actum, non tamen satiabat extensiuè, ita quòd non potuisset alterum elicere actum. *Ad aliam cõfirmationem*, quod omne, quod est, quando est, necesse est esse, dicimus esse verum in sẽsu compositionis, & necessitate conditionata, cum qua stat contingentia simpliciter. Non erat ergo necessarius ille actus necessitate absoluta: vndè dico, quòd actus esset simpliciter cõtingens pro primo instanti, sicut pro quolibet alio instanti. *Cùm dicis*, quòd potentia minimè fuisset prior actu; verum est duratione, sed natura esset prior: quia pro eodem instanti diuisìm potuit elicere, vel non elicere, & sic fuit contingenter elicitus. *Quando dicitur*, quod agere præsupponit esse; verùm est natura, sed non duratione. *Et si dicas*: esse est duratio rei; hoc concesso non plus habetur, nisi quod agere præsupponit esse, siue durationem, at non duratione, sed natura.

# PROPOSITIO SEPTIMA.

## *Christus continuauit meritum toto vitæ tempore sinè interruptione, & interuallo vllo.*

134 PRobatur primò: quia cùm ipse habuerit visionem beatificam, & cæteros habitus tàm naturales, quàm supernaturales supra assignatos, quibus mediãtibus poterat cõtinuò etiam independenter à phantasmatibus, & sinè fatigatione vlla liberè, & benè operari; non est negandum, quòd semper habuerit actus bonos, & meritorios præsertim, cum nulla possit assignari necessitas, aut vtilitas interruptionis. *Deindè* alij Beati admittuntur sinè interuallo vllo continuare opera bona: cur igitur idem non dicatur de Christo, cùm nullum fuerit impedimentum?



PRO-

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Mors Christi fuit terminus meriti eius.*

135 PRobatur ex Apostolo ad Hebræos 2. nu. 10. *Decebat eum, &c. qui multos filios in gloriam adduxerat, Authorem salutis eorum, per passionem consummari. &c.* & cap. 10. nu. 14. *Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Ex quibus, & multis alijs locis colligitur, Christum in hac vita solùm meruisse, & morte cõsummasse sua merita. *Deindè*: sicut alij Beati non merentur post mortem, sed accipiunt fructum meritorum, ita idem dicendum de Christo.

*Dices*; Christum meruisse vulnere lateris: sed illud vulnus fuit inflictum post mortem, vt patet ex Scriptura Ioannis 19. *Cum vidissent eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, &c.* & definitur *in Concilio Viennensi, in Clementina prima de summa Trinitate, & fide Catholica*: ergo meritum Christi non fuit terminatum in morte. Maior probatur: quia Patres dicunt, Sacramenta Ecclesiæ, & redemptionis nostræ fluxisse ex latere Saluatoris; sed hoc nõ esset verum, nisi pro illo tempore supponeretur meritum. Maior patet ex Leone epistola 4. cap. 6. *Tunc* (ait) *regenerationis potentiam sanxit, quando de latere eius perfluxerunt sanguis redemptionis, & aqua Baptismatis.* Consonat *Augustinus Tract. 15. & libro 120. in Ioannem, Ambrosius libro 10. in Lucam, Chrysostamus homilia 84. in Ioannem, & Hymnus Ecclesiæ: quo vulneratus insuper, Mucrone diro Lanceæ, vt nos lauaret crimine, manauit vnda, & sanguine, &c.* Omissis varijs solutionibus.

136 *Respondetur breuiter*, illud vulnus fuisse quidem meritorium, & pertinuisse ad complementum redemptionis, non quando actù inflictum fuit, sed antea, quando Christus adhùc viuens præuidit illud vulnus inferendum in contumeliam sui, & illud libenter acceptauit, & obtulit se ad effundendum totum sanguinem pro nobis. *Eodem modo respondetur* ad Patres, ex merito illius vulneris, quando fuit acceptatum à Christo, non autem, quando fuit inflictum, causatam fuisse efficaciam Sacramentorum; & tunc illud vulnus fuisse fontem sanctificationis, vnde scilicet effluxerunt. *Potest etiam dici*, Christum lauisse nostra peccata vulnere lateris repræsentatiuè: quia mira-

bili sanguinis, & aquæ effusione repræsentauit munditiem, & redemptionem nostram, atque etiam efficaciam Sacramentorum nouæ legis, quæ illa aqua, & sanguine figurabantur. Sic etiam dicitur ad Romanos 4. *Christum resurrexisse propter iustificationem nostram*; non quòd eius resurrectio fuerit causa meritoria nostræ iustificationis; sed quia repræsentabat nostram resurrectionem spiritualem ad vitam gratiæ, vt explicant *Augustinus, Origenes, Anselmus*, & alij. Hinc patet responsio ad Hymnum Ecclesiæ. *Ad aliam verò obiectionem*, quãdo dicitur, Christum nunc in Cœlo non frustra pro nobis orare, & consequenter aliquid mereri, patebit infrà in proprio loco de oratione Christi.

Petes: *an omnia opera Christi meritoria, fuerint etiam satisfactoria?*

137 *Respondetur* affirmatiuè contra *Drincdonem in libro de captiuitate, & redemptione, Tractatu 2. cap. 2. parte 3. articulo 3. conclusione 3.* dicentẽ, Christum pluribus actibus meruisse, satisfecisse Deo per passionem, & mortem, & per hæc meruisse apertionem Regni cœlestis, non per alios actus. *Sed hoc est falsum*: quia sicut Christus quocumque suo actu meruit nobis gratiam, & remissionem peccati; ita etiã pro nobis satisfecit, & apertionem ianuæ, quæ nobis ob peccatum tantùm occludebatur, quolibet suo actu nobis meruit, licèt non completè, nisi in morte. Quando igitur morti Christi tribuitur remissio peccatorum, non debet ita intelligi, vt sola mors deleat peccatum; sed quòd sit consummatio meriti. Vnde quantumuis opera Christi Domini in se fuerint diuersa, compleuerunt vnum totale meritum dependenter ab acceptatione Dei, & oblatione ipsius Christi, vt postea videbitur.

# PROPOSITIO NONA.

## *Humanitas Christi de facto non meruit vnionem hypostaticam per opera antecedentia illam prioritate naturæ.*

138 Ita communis Theologorum *cum Scoto in 3. dist. 2. quæst. 2.* fundatur propositio in eo, quòd in Sacro Codice Incarnationis beneficium dicitur omni ex parte gratuitum; hinc Ioãnis

nis 3. legitur: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum Vnigenitum daret, &c.* Vbi *ly daret* Incarnationis executionem significat, & *ly sic Deus dilexit mundum*, significat motiuum Diuinæ voluntatis ad dandam vnionem hypostaticam. Fauet illud Lucæ 1. *Per viscera misericordiæ Dei nostri visitauit nos oriens ex alto.* Suadetur veritas ista *ex Diuo Augustino libro 1. de prædestinatione Sanctorum cap.15* docente, *quòd sicut nobis prima gratia confertur sinè vllis meritis antecedentibus; ita vnio hypostatica collata est Christo.*

*Accedat ratio Scoti.* Vnio hypostatica defacto censetur facta in eo instanti, in quo connaturaliter humanitati fuisset collata propria subsistentia: at subsistentia propria est in omni humanitate prior omni operatione; ergo vnio hypostatica fuit prior omni operatione. *Res declaratur.* Subsistentia Verbi supplet in humanitate defectum propriæ subsistentiæ eiusdem humanitatis, & in eius locum subrogatur; ergo data fuit in eo signo, in quo data fuisset subsistentia propria; aliàs foret concedendum sinè vllo fundamento nouum miraculum; scilicet vt humanitas nō solùm propria subsistentia orbata fuerit, & eius loco collata subsistentia Diuina; sed etiam vt vnio hypostatica non fuerit facta pro eo signo, in quo humanitati debebatur propria subsistentia; & consequenter defacto humanitas fuisset sinè omni subsistentia, tàm propria, quàm aliena. Hinc cùm connaturaliorem cōnexionem habeat humanitas cū subsistentia, quàm cùm operatione; etenim sicut priùs est rem existere, quàm operari; ita priùs est humanitatem habere debitum sibi complementum, quàm operari; stando ergo legibus naturæ, priùs humanitas subsistit, quàm operatur, ac proindè in nullo signo defacto humanitas habuit aliquam operationem ante vnionem.

139 *Succedat,* quòd radix omnis, & cuiuscumque meriti non cadit defacto sub merito: desineret enim esse radix, & causa, quinimò esset effectus; at vnio hypostatica defacto est radix omnis, & cuiuscumque meriti saltem in hominibus; igitur vnio hypostatica non fuit ex meritis. *Nec dicas:* defacto Sanctos Patres meruisse vnionem hypostaticam, etsi illorum meritum fuerit fundatum in Christi meritis. *Nam dico,* Sanctos Patres non meruisse substantiam incarnationis, sed tantùm alias circumstantias. Quare illud Apocalypsis 5. *Dignus est agnus accipere Diuinitatem, &c.* non intelligitur de merito, quasi Christus promeruerit incarnationem, sed de manifestatione Diuinitatis eius, quam sua passione promeruit, & etiam petebat à suo Pa-

tre, cũ Ioannis decimoseptimo, aiebat: *Clarifica me Pater claritate, quam habui, priùs quàm mundus fuerit.* Quando etiam in Psalmo 44. in quo agitur de vnione hypostatica, & exprimitur nomine vnctionis ex oleo, & dicitur: *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus oleo lætitiæ;* illa particula *propterea* non significat causam meritoriam, sed finalem, vt iste sit sensus: Deus vnxit te, vt diligeres iustitiam, & odires iniquitatem.

140 Petes. *Vtrùm humanitas Christi potuit de potentia absoluta mereri vnionem hypostaticam etiam de condigno per opera tempore antecedentia?*

*Respondetur quòd sic.* Probatur: quia potuit Deus de potentia absoluta dare naturæ humanæ Christi subsistenti propria personalitate, vel existenti sinè omni personalitate (si personalitas sit quid positiuum) gratiam tàm actualem, quàm hbitualem independentem ab hoc mysterio, & in ordine ad merendam vnionem hypostaticam, & annectere promissionem de Incarnatione facienda, si humanitas mediante illa gratia operaretur benè, & humanitas tunc posset benè operari ad consequendum illud præmium: Nil autem aliud requiritur ad meritum de condigno: igitur, &c.

# PROPOSITIO DECIMA.

## *Potuit humanitas Christi per actum priùs tantùm natura elicitum mereri de condigno vnionem hypostaticam.*

141 PRobatur: quia Deus potuit concedere gratiam animæ Christi independenter ab vnione hypostatica; & acceptare actum bonum ab humanitate mediante illa gratia productum, tanquàm meritum Incarnationis; qui actus esset simul tempore cum ipsa Incarnatione, tamen foret prior natura, ut quia Incarnatio quòad realem existentiam dependeret ab illo actu secundùm realem existentiam talis actus; sic gratia dicitur dependere à contritione; licèt sint simul pro eodem instanti reali temporis. *Succedat,* quòd sicut Angelus poterat demereri pro primo instanti suæ creationis; ita poterat mereri aliquod præmium sibi dandum pro eodem instanti; quo casu meritum na-

natura solùm præcederet præmium. *Succedat*, quòd in sententia probabiliori Deus dedit habitum gratiæ, & charitatis primo Parenti, & Angelis defacto dependenter ab actu, quo se disposuerunt, qui actus non præcessisset tempore infusionem istius habitus: quoniam gratia fuit Angelis, & primo Parenti concreata.

142 *Nonnulli Patres Thomistæ* impugnãt nostram propositionem ex eo, quòd humanitas non posset habere vllum actum priùs natura, quàm existat; imò ipsa existentia est prior natura quacumque operatione; sed humanitas Christi existit existentia ipsius Verbi: ergo non potuit habere vllum meritum priùs natura, quàm fuerit vnita: *Parui momenti est hoc argumentum apud nos*, qui longo sermone probauimus, humanitatem assumptam habuisse propriam existentiam. *Dices*, subsistentiam esse conditionem prærequisitam ad operandum. *Respondetur ex Scoto* multis in locis, & præsertim *in 4. dist. 12. quæst. 3. in responsione ad secundum argumentum principale* illud Axioma non esse Philosophi, qui solùm habet, actiones esse circà singularia. Et si esset Philosophi; intelligendum est Axioma illud, quòd actiones sunt suppositorum quantùm ad denominationem, scilicet, quòd actiones sint suppositorum, tanquàm vltimò denominatorum; non autem vult, quòd si forma foret extrà suppositum, non posset habere actionem: hoc enim est falsum, vt patet de anima separata, & de accidentibus in Eucharistia.

143 *Vasquez disp. 21. cap. 3.* impugnat tale meritum; quia si daretur, deberet esse ex gratia habituali, vel saltem actuali; sed nõ potuit esse ex habituali: quia hæc pro illo priori constitueret filium adoptiuum; nec ex actuali, quia nullum opus potuit esse in Christo, quod non haberet infinitum valorem. *Facilis est solutio huius argumenti*. In primis magna est cõtrouersia: an Christus defacto debeat dici filius adoptiuus; ergo dicere, quòd non possit habere gratiam habitualem priùs natura, quàm vnionem hypostaticam, quia aliàs esset filius adoptiuus; est probare conclusionem ratione omninò incerta. *Deindè* gratia pro illo priori non redderet, nec denominaret eum filium adoptiuum: quia adoptio vltrà gratiam habitualem includit carentiam realem filiationis naturalis, quæ carentia non intelligitur pro illo signo priori, sed solùm præcisio. *Quod additur* de infinitate actus procedentis à gratia actuali in illo casu, falsum est: nam siue actus Christi defacto sint finiti, siue infiniti valoris; tamen ille actus elicitus priùs natura, quàm esset vnio, & à quo dependeret ipsa, non

esset

esset infiniti valoris; quia non haberet illum valorem, qui de facto reperitur ad aures Aduersariorum in actu Christi ratione suppositi operantis; sicut contritio antecedens natura iustificationem, licèt sit simul tempore cum gratia habituali subsequẽte, tamen non habet illum valorem, quem habet contritio præsupponens habitum gratiæ, ab eoque elicita.

144 *Eminentissimus Lugo arguit contrà nos*: quia modus operandi debet semper præsupponere modum essendi, & consequenter natura in illo priori, quo præcedit subsistentiam, non potest habere operationem: cùm adhùc non habeat completum modum essendi. *Iam patet falsitas istius discursus* in sententia Scotistarum dicentium, subsistentiam non esse principium operatiuum. *Adde*, quòd concesso illo principio, inde tamen nil concluditur contra nos: quia sicut natura, si conseruaretur supernaturaliter sinè illo complemẽto, posset habere omnes suas operationes, etiam secundùm ipsum *Lugum*: cùm illud principium non concurrat physicè ad operationes eius; ita nil impedit, quominùs natura in illo priori, quo præcedit subsistentiam, habeat aliquam operationem.

145 *Pater Vuaddingus* ita dicit contra nos: inter meritum de condigno, & præmium requiritur perfecta proportio; meritum autem humanitatis in illo casu, quo consideraretur, vt antecedit Incarnationem, minimè haberet proportionem cum præmio: quippè esset meritum puræ creaturæ: ergo. *Huic difficultati satisfecimus*, agendo de proportione meriti cum præmio. *Adde*: quòd si loquatur de proportione physica rei in se, principium est falsum, vt ibidem est dictum; & patet clarissimè de actibus nostris, quibus meremur beatitudinem: nam inter hos actus, & beatitudinem non est talis proportio, sed beatitudo excedit multùm merita nostra; imò in infinitum, loquendo de infinitate extensiua. Hinc noster Seraphicus Pater Franciscus dicere solebat: *Fratres, magna promisimus, maiora promissa sunt nobis; seruemus hæc, suspiremus ad illa; modica passio, gloria infinita.* Itèm secũdùm Aduersarios meritùm Christi excedit omne præmium ipsi, aut nobis collatum, eo quòd fuerit valoris infiniti; ergo non requiritur illa perfecta proportio inter præmium, & meritum.

146 *Dices*; inde sequi, animam posse mereri suam vnionem ad corpus, & alia, antequàm vnitur corpori; quia præcedit natura talem vnionem. *Respondetur*, si Deus vellet concurrere, nil indè sequi absurdi iuxtà communem sententiam de dispositione primi Parentis, & Angelorum

ad

ad gratiam. Quòd autem Deus non concurrat de facto, ea potest esse ratio, quòd anima in pœnam peccati priùs ordinetur ad intelligendum dependenter à phantasmatibus, quàm ad intelligendum independenter ab illis. *Sit etiam alia ratio*: quòd anima, cùm sit substantia incōpleta, priùs ordinatur ex natura ipsius rei ad complementum substantiale, quod est corpus, quàm ad complemētum vllum accidentale, quale sunt operationes, & actus secundi; & consequenter priùs debet compleri per corpus substātialiter, quàm accidentaliter per vllum actum secundum. Ratio ista valeret, etiamsi nullum esset peccatum.

147 *Dices*: humanitas Christi debuit semper esse vnita alteri supposito, vel non esse vnita; ergo non potuit habere vllas operationes, nisi vt in se subsistens, vel in altero. Consequentia claret: nam hoc ipso, quòd in altero non subsistat, in se subsistit: cùm secundū Scotū subsistentia possit consistere in sola negatione subsistendi in alio. *Respondetur* distinguendo antecedens: debuit esse vnita, vel non vnita præcisiuè, concedo; positiuè pro illo priori naturæ, quo præcedit subsistentiam, nego: quia pro illo priori non habet vnionem, nec negationem ipsius positiuè, sed præscindit ab vtroque: siquidem, vt haberet positiuè negationem, deberet negatio posse affirmari de ipsa pro illo instanti reali. Et per hanc doctrinam patet ad probationem consequentiæ: quia, vt dicatur natura in se subsistere, non sufficit, quòd intelligatur non subsistere in alieno pro aliquo instanti naturæ; sed requiritur, quòd habeat negationem essendi in alio pro instanti reali temporis. *Replicabis*, prioritatem naturæ secundum *Scotum in 3. dist. 18. qu. vn. §. viso, &c.* nō sufficere ad meritum. *Respōdetur*, prioritatem naturæ potentiæ præcedentis actum, de qua ibi agit; concedo: quia non est meritum, nisi in aliquo actu, vel passione voluntariè acceptata; prioritate naturæ actus boni, vel passionis voluntariè acceptæ, negatur; & manifestum est de augmento gratiæ, quæ datur pro eodem instanti reali, quo elicitur actus meritorius.

PRO-

# PROPOSITIO VNDECIMA.

## Christus potuit, si Deus voluisset, mereri de condigno suam Incarnationem per merita subsequentia.

148 Videtur conformis principijs *Scoti in 4. dist. 15. quæst. 1.* affirmantis, peccatorem de potentia absoluta posse satisfacere pro suo peccato mortali per contritionem procedentem à gratia habituali.

*Probatur propositio*: quia Deus posset videre merita Christi cōditionatè futura, & propter talia merita præuisa sic futura, velle efficaciter ipsam Incarnationem; sed si hoc posset, nil impedit, quominùs dicatur Incarnationem posse esse ex talibus meritis; ergo Christus potuit mereri suam Incarnationem per merita subsequentia. *Confirmatur, & explicatur exemplo operarij*: qui licèt non possèt laborare, nisi priùs comederet, & non haberet, vndè sibi prandium compararet, posset tamen labore subsequenti mereri sibi prandium, eiusquè anticipationem; qui labor in illo casu dependeret necessariò, & ex natura rei ab ipso præmio, & præmium dependeret à labore ex intentione præmiantis, & merentis, qui mutuò se obligarent; ergo licèt opera Christi subsequentia vnionem hypostaticam dependeāt ex natura rei quòad valorem suū moralem ab ipsa vnione; tamen ex intentione Dei præmiantis, & Christi se obligantis, ipsa Incarnatio posset esse præmium istorum operum. Consequentia patet à paritate. Antecedens probatur: quia alius posset talem operarium conducere in vineam suam, & conuenire cum ipso, & dare ipsi prandium propter laborem subsequentem: sed nullus diceret, operarium tunc gratis operari, nec prandium ipsi gratis dari; ergo ipse mereretur prandium, & prandium esset præmium laboris ipsius.

149 *Dices cum Eminentissimo de Lugo*, prandium tunc dari primò gratis sub conditione laboris futuri, & postea impleta conditione cadere sub merito, & esse præmium talis laboris. *Hac responsione considerata*, videtur reduci difficultatem ad quæstionem de nomine: quia tunc per collationem gratuitam intelligeret ipse dationem indepen-

den-

dentem à meritis actualibus; nõ autem independentem omninò ab obligatione merendi; & ad saluandam nostram propositionem sufficit, quòd prima collatio doni Incarnationis,& prima eius intentio, tunc primò cadere posset sub merito, quando iam Christus poneret merita, quamuis eò vsque,& semper antecedenter diceretur gratuita: *Confirmatur primò*: quia sicut Deus defacto obligatur ad præmiandum opera iustorũ, quamuis procedant à gratia gratuitè data, præmio consequente, & distincto à visa gratia;ita posset, si ipse vellet, præmiare illa opera præmio antecedenti, scilicet ipsa gratia, à qua procedunt; quia non videtur minor repugnantia, quòd Deus obligetur ex opere, quod ipse donat, quã, quòd ipsius opus possit esse meritum consequens per acceptationem, & pactum respectù præmij, à quo procedit. *Confirmatur secundò* exemplis aliorum contractuum: vt est,verbi gratia, anticipata solutio pretij in æstate pro frumento recipiendo in Autumno, sinè qua solutione posset fieri, vt vendens frumentum nequeat in æstate laborare, nec in Autumno messes colligere. Idem est de eo, qui daret mille aureos alicui ea conditione, vt post vnũ annũ restitueret mille quinquaginta, licèt nil lucrari posset, nisi dependenter à mille aureis primò datis;si enim propter frumentum, quod nondum creuit, nec fortè seminatũ est, soluitur pretium, & propter pecuniam,quam alius sua industria est lucraturus,dependenter à mille aureis conferuntur illi mille aurei; cur similiter non posset dari præmium propter merita præuisa futura dependẽter ab ipso præmio; præsertim quando cum præmio interueniret industria,& labor ipsius merentis, vt contingeret in nostro proposito?

150 *Dices primò*, quòd in exemplis iam assignatis intercederet pactum reale inter dantem, & recipientem; quia personæ contrahentes realiter existunt, & manet obligatio realis ex parte recipientis, qui se physicè, & & realiter obligauit;ergo quamuis illud, quod datur taliter se obliganti, posset propter illam obligationem vocari præmium; tamen quando nullum intercedit pactum reale, nec præcedit vlla obligatio ex parte recipientis, illud, quod confertur ipsi, non potest esse præmium; quia præmium petit necessariò meritum actum exhibitum, aut saltem obligationem illud exhibẽdi: sed ante realem existentiam Incarnationis non poterat esse vllum pactum reale inter Deum, & Christum, nec vlla obligatio ex parte Christi:ergo ipsa Incarnatio non poterat esse præmium meritorum Christi. *Respondetur primò*, hinc non sequi, quin sal-

tem natura humana Christi priùs existens cum propria subsistentia, vel sinè omni subsistentia (si subsistentia sit quid positiuum) possit mereri sui assumptionem ad hypostasim Verbi per merita subsequentia; quia sic existens posset cum Deo de præmio pacisci, & obligare se ad merita exhibenda. *Respondetur secundò*, talem conuentionem realem nō esse necessariam ante collationem præmij; aliàs gratia Sanctorum Patrum veteris Testamenti non esset præmiū meritorum Christi; quia nullum pactum reale præcessit collationem illius gratiæ, cùm non præexisterent realiter personæ contrahentes.

151 *Et licèt Aluarez disp. 16. de Incarnatione* admittens, merita Christi habuisse solùm rationem causæ finalis respectù gratiæ antiquorum Patrum, concedat sequelam; videtur tamen contrà Augustinum, & alios Patres cōmuniter, qui vbique prædicant, iustos antiqui Testamenti fuisse per Christum saluatos, sicut Noui; ait enim Augustinus *Epistola* 187. agens de omnibus saluatis ab initio mundi: *Credimus, nullum hominem à contagione peccati liberum, nisi per vnum mediatorem Dei, & hominum, hominem Iesum Christum.* Et Epistola 49. *ab exordio generis humani quicumque piè, iustè quomodolibet, & vbilibet fuerunt per eum proculdubio salui facti sunt, &c.* Si igitur colligatur gratia nostra esse ex meritis Christi, & Christum esse causam moritoriam nostræ iustificationis, sicut verè colligitur; quia dicimur saluati, & liberati per Christum, tanquàm per mediatorem; idem debet dici de Christo respectù iustificationis Patrū veteris Testamenti, quandoquidem saluati sunt per Christum mediatorem. *Deinde.* Locutiones illæ: (*Omnes liberati, & saluati sunt per Christum mediatorem*) significant, Christum esse propriè causam meritoriam liberationis, & saluationis omnium. Denique: hæc veritas colligitur satis clarè ex Scriptura, secunda ad Corinthios 5. comparante Christū Adamo, & dicente, Christum (*quia omnes mortui sunt*) pro omnibus mortuum esse; ergo cùm Patres antiqui mortui sint in Adamo, pro ipsis mortuus est Christus; sed non aliter, quàm promerendo illis gratiam, & satisfaciendo pro eorum peccatis, & consequenter mors Christi fuit ordinata ad salutem eorū, tanquàm finem proximum, potiùs, quàm salus eorum ad mortem Christi, tanquàm finem: *Idem patet ad Romanos* 5. vbi opponitur Christus Adamo, & meritū illius demerito huius quòad vniuersalitatem. Vt sicut per vnius inobedientiam totus mūdus mortuus est; ita per alterius obediētiam omnes viuificarentur. *Et clariùs ad Hebræos* 9. vbi dicitur, mortem Christi fuisse in

in redemptionem præuaricationum, quæ fuerunt sub priori Testamento; fuit igitur redemptio peccatorum ante comissorum; ergo & meritum.

152 *Vndè respondetur in forma*, negando consequentiam. Ratio autem, cur in contractibus humanis talis præuia obligatio sit necessariò, est: quia sinè ea homines non essent certi, nec securi, quòd alij postea mererentur id, ad quod se postea merendum obligare vellent, si ab eis peteretur: sed Deus potuit esse certus, & securus, quòd Christus post collationem præmij, sinè vlla obligatione antecedēte mereretur, & quòd se ad hoc obligaret, si ipse ab eo hoc peteret; ergo nō esset opus, vt pcederet vlla obligatio. *Per hoc patet*, quomodò gratia ātiquorū Patrū posset dici prēmium meritorū, & mortis Christi; quia Deus videns merita Christi futura, & ipsum Christum infallibiliter oblaturum eadem merita pro salute omnium tàm veteris, quàm noui Testamenti, iuxta beneplacitum Patris acceptauit tunc illa merita, & propter illa contulit gratiam etiam illis, qui præcesserūt realem oblationem talium meritorum; & propterea illa gratia habet verā rationem præmij respectū meritorū Christi, licèt non præcesserit vlla realis conuentio, aut obligatio ex parte merentis.

153 *Dices secundò ex Patre Lugo sectione 2.* Gloriosius est habere præmium ex meritis, quàm sinè illis: ergo si Christus potest per merita futura mereri vnionem hypostaticam, fatendum est, ipsum de facto eam sic meruisse. Multis relictis. *Respōdetur ex Scoto in 3. dist. 18. q. vn. lit. G. vers. aliter dicitur, &c.* distinguēdo antecedens; Gloriosius, &c. habenti præmium, vel ex parte illius, cui confertur præmium, cōcedo antecedens; dantis, vel ex parte conferentis præmium, vel simpliciter; nego antecedens, & cōsequentiam: nam licèt perfectius esset habere aliquid ex meritis, quàm omninò gratis: quia sic ostenditur, quòd habens, ponat aliquid ex se, ratione cuius dicatur tali præmio dignus; tamen non est perfectius dare ex meritis, quàm omninò gratis: quia dando gratis, magis ostenditur liberalitas dantis, quàm si daret ex meritis.

154 Petes. *Vndè nobis constet, Christum non meruisse suam vnionem hypostaticam defacto; quandoquidem potuisset eam mereri, & sibi hoc esset gloriosius?* Respondetur, hoc constare nobis ex authoritatibus adductis in antecedētibus propositionibus, & præsertim ex illa Augustini de dono perseuerantiæ cap. 1. eadem gratia fit ab initio fidei suæ homo quicumque Christianus, qua gratia ab initio homo ille factus est Christus: sed initium fidei nō conceditur esse ex meritis, siue præcedentibus, siue subsequenti-

tibus; ergo non debet admitti, quòd Incarnatio sit ex vllis meritis antecedentibus, aut consequentibus. Et non negaret Pater *Lugo*, quin multi habitus Christo in primo instanti suæ conceptionis infusi, & multa dona ipsi tunc concessa, possent de potentia absoluta cadere sub meritis etiam antecedentibus: nam estò vnio hypostatica (secundùm ipsum, non tamen secundùm nos) habeat necessariam connexionem cum visione, & amore beatifico, tamen non habet talem connexionem cum illis alijs donis, quin vnio posset esse absque illis; & Christus tunc posset mereri illa; hoc tamen non obstante, illa dona defacto sunt collata sine præcedentibus meritis; ergo ex eo, quòd Christus potuerit mereri de potentia absoluta aliquid; non sequitur, quòd meritus sit illud. *Petes vlteriùs*: cur Deus voluerit mysterium Incarnationis esse gratuitum omninò: quandoquidem potuerit cadere sub merito? *Responderi potest*, ideò Deum hoc fecisse, vt ostenderet suam liberalitatem, communicando donum tàm perfectum, & tàm ineffabile, non exigendo vllum meritum; & vt ostenderet suam misericordiam ergà genus humanũ, exhibendo ipsi Redemptorem sinè vllis prorsus meritis, sed omninò gratis.

155 *Dices tertiò*, nostram propositionem esse contra illud commune axioma Theologorum: *Principium meriti nequit cadere sub merito, cuius est principium*; nam vnio hypostatica est principium meriti Christi Domini, & secundùm nos posset cadere sub merito eiusdem, igitur. *Confirmatur*: si principium meriti posset esse ex eodem merito, sequeretur, id esse causam sui ipsius; quia quod est causa causæ, est causa causati; & ita repugnat, aliquid causari à suo causato, ac causari à se ipso; quia sequeretur circulus in causalitate, & quòd idem esset prius, & posterius respectù eiusdem, & se ipso. *Difficile argumentum*.

156 *Respondemus*, nos nil dicere contra illud commune axioma; si intelligatur, sicut debet. Distinguo itaque illam propositionem; *Principium meriti nequit cadere sub eodem merito*; principium meriti antecedentis; concedo; consequentis, nego. *Vt intelligatur vtriusque disparitas*. Moneo, totam efficaciam meriti fundari in valore operis, & acceptatione præmiantis in ordine ad præmium; quæ acceptatio potest esse, siue meritum existat, siue non existat; vnde existentia meriti est conditio extranea, nisi per acceptationem, & pactum implicetur, vel requiratur; quãdo scilicet præmians non acceptaret ad præmium, nisi meritum positum, quod dicitur antecedens. Meritum igitur antecedens supponitur ad præmium:

quia

quia ex vi acceptationis, & pacti; & per consequens principiũ talis meriti potest cadere sub illo merito; quia potest præsupponi merito, illudquè anticipare intuitù ipsius meriti; quod maximè verum est, si illud principium sit tantùm principium inadæquatum, qualis est in proposito vnio hypostatica, quæ influit valorem solùm accidentalem in opera Christi, & non totalem, aut substantialem, qui habetur in opere ex alijs principijs, & cõsequenter opera Christi secundùm valorem conuenientem ipsis propter alia principia distincta ab vnione habent sufficientiam, vt possint comparari ad vnionem, tanquàm ad præmium, quod possit dari intuitù ipsorum, prout dicunt illum tantùm valorem. Non est nobis hìc intentio, defendere, opera subsequentia vnionem hypostaticam posse esse meritoria eiusdem vnionis secundùm hanc præcisionem tantùm; verùm etiam, vt recipiunt valorem ab ipsa vnione, propterea quòd hic valor, etiam posita vnione, depẽdeat à libero arbitrio Christi: quia neque vnio, neque alia principia operandi influunt in opus, nisi vt subsunt libero arbitrio, eiusquè cooperationi, & vt applicata per Christum; & consequenter opus etiam, vt habet valorem ab illis alijs principijs, & libero arbitrio, & sic possit esse meritorium.

157 *Respondetur ad confirmationem*: sequeretur, idem esse caussam sui ipsius proximam, vel secundùm eundem modum existendi, nego sequelam; remotam, & secundùm diuersum modum existendi, concedo sequelam; neque hoc est aliquid absurdi: nam finis secundùm esse obiectiuum est causa sui ipsius quòad realem existentiam. Quid ergo impedit, quominùs merita conditionatè futura causent secundùm illud esse obiectiuum, & futurum, quod habent, præmium quòad realem existẽtiam ipsius, licèt ipsamet merita quòad suam realem existentiam dependeant ab esse physico principij? Præsertim quando hæc dependentia meritorum à præmio; subest libero arbitrio merentis; ita vt in manu, & potestate ipsius sit, quòd meritum sequatur præmium, vel non sequatur; si autem nil horum impedit, merita Christi conditionatè futura secundùm illud esse futurum, & obiectiuum possent esse causa vnionis in esse reali, & physico, licèt ipsa merita habeant postea in suo esse reali suum valorem ab existentia reali ipsius vnionis.

158 *Et per hoc patet* ad cæteras partes confirmationis; quæ tantùm vrgent de causalitate reali causarum, quæ causant per influxum realem, & physicum; quæ causalitas præsupponit necessariò existentiam causarum rea-

realium, & consequenter tales causæ nequeunt sibi inuicem esse causæ: nam aliàs sequerentur absurda supra assignata, quæ nullo modo sequuntur ex eo, quòd aliæ causæ, quæ non causant per influxum physicum, sint sibi inuicem causæ secũdùm diuersum modum existendi. Nihil igitur obstat, quominùs meritum secundùm esse obiectiuũ, & futurum causet suum principium: cùm causalitas eius nõ sit influxus physicus, sed moralis, qui in eo consistit, vt acceptetur à præmiante meritum, dando præmium intuitù eius; quæ acceptatio potest esse, siue meritũ existat, siue non; & consequenter meritum futurum acceptatum eandem habet efficaciam ad causandum pręmium, quam habet meritum existens; vt patet de passione Christi Domini, quæ, vt præuisa, erat causa meritoria gratiæ antiquorum Patrum eo modo, quo exhibita est causa meritoria gratiæ nostræ. Ratio discursus est: quia acceptatio potest esse eadem, siue meritum existat, siue non. Dixi, *Principium meriti posse cadere sub eodem merito præuiso, vt futuro conditionato*: quia non possum intelligere, quomodò videretur meritum absolutè futurũ secundùm valorem, quem accipit ab aliquo suo principio: nisi etiam præuideatur absolutè futurum illud ipsum principium secundùm illam existentiam, secundùm quam causat talem valorem merito.

159 *Hinc* dico, merita Christi nõ potuisse videri absolutè futura secundùm illum valorem, quem habent ab vnione hypostatica, nisi ipsa vnio esset priùs absolutè futura secũdùm realem suam existentiam, secundùm quam communicauit operibus Christi ipsum valorem; & consequenter, si Aduersarij nostræ propositionis non teneant oppositum cum hac limitatione, non sumus contra ipsos; & licèt conueniamus cum *Suarez*, & alijs quòad ipsam propositionem; non tamen conuenimus cum illis in modo eam explicandi, & defendendi. His tamen non obstantibus, nullam video repugnantiam in propositione nostra, quin secundùm cõmunem sententiam possit in alio sensu defendi; ita vt asseratur, Incarnationem posse esse ex meritis subsequẽtibus absolutè futuris, & præuisis: nam sicut communiter tenetur, primum gradum gloriæ debitum primæ gratiæ, etiamsi nullum sequatur meritum, posse cadere sub meritis, & deberi alio titulo; ita non videtur repugnare, quin vnio hypostatica, estò in illo casu, quo viderentur merita absolutè futura, esset habitura realem existentiam independenter à meritis sic præuisis: quia debet necessariò præsupponi illis, vt sic videri queant; tamen postea cadat quò-

quòad eandem realem existentiam sub iisdem meritis, & vt sic multis titulis daretur. *Et si aliquis hoc neget*, negare debet illud aliud, vel ostendere disparitatem, quæ fortè difficulter ostenderetur.

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Christus non meruit defacto suam visionem beatificam, nec amorem sequentem illam visionem, nec alia dona sibi collata simul cum vnione hypostatica.*

160 Fauent Theologi docentes, hæc dona collata fuisse Christo in primo instanti ratione vnionis hypostaticæ: hinc enim sequitur, nullum præcessisse meritum, sub quo hæc dona cadere potuissent: nam ipsa visio, & fruitio fuerunt primi actus, quos habuit anima Christi: & licèt non sequatur hinc, quin meritus sit infusionem aliorum donorum, & habituum per ipsum amorem beatificum, natura præcedentem talem infusionem; vel per merita subsequentia: nam, vt ex dictis patet, sufficeret prioritas naturæ inter meritum, & præmium; & potest præmium cadere sub merito consequente; tamen dicendum est, quòd neque sic etiam meruit hæc dona: cùm nulla ratio ad asserendum oppositum cogat; & communis Theologorum sententia teneat, illa dona fuisse collata propter vnionem hypostaticam independenter ab omnibus meritis.

161 *Si autem petatur*: cur Deus voluerit conferre hæc dona gratis? *Potest dici*, quòd propter perfectionem, & varietatem status beatorum: nam sicut aliquibus data est beatitudo dependenter à proprijs meritis; alijs independenter quidem à proprijs, vt sunt infantes, & innocentes, dependenter tamen à meritis Christi; ita congruit, & propter varietatem status, & vt manifestaretur liberalitas conferentis, & esset aliqua beatitudo, illaque summa data independenter ab omni prorsùs merito. Neque hinc arguitur aliqua imperfectio in habente illam beatitudinem: quia si non fuisset præuentus ex liberalitate dantis, potuisset mereri illam beatitudinem: sic autem præuenii;

niri, arguit potiùs nobilitatem dantis, quàm imperfectionem, aut impotentiam illius, cui datur aliquod. *Cui hæc solutio non placet*, dicat, Deum facere multa, quorum alia ratio à nobis dari non potest, quàm quòd ita sibi placuit.

## PROPOSITIO TERTIADECIMA.

*Christus non meruit de facto continuationem vnionis hypostaticæ, nec beatitudinis, aut aliorum donorum in primo instanti collatorum intuitu vnionis: potuit tamen ea mereri.*

162 PRima pars probatur: quia debemus dicere, Deum eadem gratuita voluntate, qua voluit primò conferre illa dona omninò gratis, & independenter ab omnibus meritis, etiam voluisse continuare, & conseruare illa independenter à meritis, & omninò gratis: quandoquidem nulla sit ratio, aut authoritas in contrarium, & sic magis pateat liberalitas, & nobilitas dantis, & conseruantis. *Probatur secunda pars*: quia Deus posset non conseruare vnionem hypostaticam, nec alia dona consequentia, nisi dependenter à meritis Christi; in hoc enim nulla est repugnantia; ergo conseruatio, & continuatio illorum donorum posset esse ex meritis Christi.

## PROPOSITIO QVARTADECIMA.

*Meruit sibi Christus immortalitatis & impassibitatis gloriam.*

163 ITa communis Theologorum; nosquè eam defendendam suscipimus: quia maximè displicet *Caluino*: *qui libro 2. institutionum cap. 17. sectione 6.* ita imprudenter scribit: *Quærere: an Christus sibi meruerit; quod faciunt Lombardus, & alij Scholastici, non minùs stulta curiositas, quàm temerarium iudicium*, vbi hoc difi-

niunt

niunt,&c. Videat Caluinus, quomodò stulti, & curiosi, nec non temerarij sint in sentētiādo; qui secundùm allegata, & approbata ex sacro Codice sententiam ferunt. Audiamus Scripturam, & Christum ipsum de suo merito loquentem Lucæ 24. *Nonnè oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam, &c.* Ponderanda est dictio (*oportebat*) qua docemur, Christum non solùm meruisse sibi introitum in cœlestem beatitudinem, animæ, corporisque gloriam, sed necessarium fuisse huiusmodi meritum ad gloriæ consecutionem. Notanda insuper dictio (*ita*) quæ hoc loco, sicut & alibi, est coniunctio causalis, significatquè, passionem Christi esse causam gloriæ Christi in genere causæ moralis, quale est omne meritum respectù præmij. Audiatur D. Paulus ad Philippenses 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, &c.* vbi dictio (*propter quod*) indicat obedientiam Christi, humiliationem, & mortem esse causas meritorias exaltationis Christi, gloriæ, & honoris, vt optimè notauit *D. Chrysostomus* Homilia 7. in Epistola ad Philippenses: *Extremam Christus præstitit obedientiam, & ita accepit supremum honorem.* Idipsum affirmat idem *D. Paulus* Hebræorū 2. n. 9. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloria, & honore coronatum*, vbi est connexio causæ, & effectus: nam passio mortis est causa meritoria gloriæ, honoris, & coronationis.

164 *Quamuis hæc vera sint*; non tamen facile est explicare, quomodò Christus meruerit sibi immortalitatem, & impassibilitatem: cum vtraque sequeretur vnionem hypostaticam cum Verbo, & non nisi miraculosè mortalis, & passibilis foret Christus. Audiamus *Scotum* proponentem, & soluentem huiusmodi argumentum *dist.* 18. *quæst. vnica in fine corporis quæstionis*: Illud, quod infuisset, si non fuisset per miraculum, quantùm est ex ratione sui ante omnem actum causatum illius personæ, non cadit sub merito illius personæ: sed gloria, & impassibilitas animæ, & corporis infuisset in primo instanti vnionis, nisi fuissent per miraculum prohibitæ; ergo Christus non sibi meruit corporis, & animæ gloriam, & impassibilitatem. *Potest dici*, piè sentiēdo cum Magistro, & piè glossando, quòd quamuis non meruerit directè impassibilitatem vtriusque, meruit tamen amotionem impedimenti, propter quod non infuerunt statim, scilicet cessationem miraculi prohibentis redundantiam gloriæ in portionem inferiorem, & corpus. *Si placet*, adde & hanc solutionem: eodem pacto meruit Christus sibi, quo & prædestinati dicūtur mereri cœlestem bea-

titudinem: nam prædestinatio eligens aliquem ad gloriam, antecedit quodcumque meritum: tamen ad consecutionem illius gloriæ requiritur actio bona prædestinati, qua meretur effectum prædestinationis; vndè fit, vt gloria cœlestis sit prædestinato hæreditas antecedens quodcumque meritum, imò, & meriti præuisionem; nihilominus est quoque merces consequens meritum, & à merito pendens. Idem dicendum de Christo, cui virtute vnionis debebatur sinè vllo suo merito, animæ, corporisquè gloria: attamen, vt illa potiretur, necessarium ei fuit meritum.

165 *Non meruisse* sibi Christum fruitionem, iam diximus supra: quia primus actus voluntatis suæ vniuit eam cum Deo, & in hoc actu consistit fruitio; nec potuit alius actus hunc actum præcedere: alioquìn vnita fuisset anima Christi cum Diuinitate vnione hypostatica sinè fruitione; quod quamuis concedamus possibile; non tamen nobis persuadere possumus, ita factum fuisse. Insuper congruentissimum, & decentissimum erat, vnam reperiri personam, quæ sinè vllo merito beatificaretur; vt in cœlesti beatitudine reperirentur omnes gradus, omnesq; modi, quibus haberi potest beatitudo, vt rectè argumentatur *Scotus, vbi supra §. hoc viso vidēdū est: &c. lit. G.* ibi sunt aliqui, qui nunquàm fuerunt inimici actualiter peccato actuali, vt multi innocentes. Et multi alij, qui aliquando fuerunt inimici, vt mortaliter peccantes, & postea pœnitentes. Est ibi etiam B. Virgo Mater Dei, quæ nunquàm fuit inimica actualiter ratione peccati actualis, nec ratione originalis: fuisset tamen, nisi fuisset præseruata; igitur decens fuit, vt esset beatitudo alicuius personæ sinè omni merito præcedente. Et in hoc consistit prærogatiua Christi; quòd omnes Beati, aut solo merito Christi, aut partim Christi merito, & partim suo fruuntur diuina essentia; Christus verò sola liberalitate Diuina, & quasi paterna hæreditate, eandem habet gloriam.



PRO-

# PROPOSITIO QVINTADECIMA.

*Meruit Christus primis Parentibus in statu innocentiæ gratiam habitualem, & alia dona supernaturalia illius status.*

166 ITa dicendum ad aures *Scoti docentis in 3. dist. 7. quæst. 3.* & sæpè alibi, quòd Verbum incarnatū fuisse, etiamsi Adā nō peccasset; & quòd omnes electi, tàm Angeli, quàm homines priùs natura electi sint; quàm aliquid præuidebatur circa peccatorem, siue de peccato, siue de pœna: nam si Christus venisset, etiamsi non esset peccatum, & primi parentes, ac cæteri omnes electi sint ante præuisionem peccati, quandoquidem electi sunt in Christo, vt constat ex multis scripturis, & Patribus, nulla est ratio, aut fundamentum negandi gratiam, quam habuerunt ante præuisionem peccati, & alia dona illius status fuisse ex meritis Christi; ergo hoc non debet negari, præsertim cum cadat in maiorem gloriam, & dignitatem Christi, quòd illa dona sint ex meritis ipsius. Hanc partem longo sermone iam probaui. *Adde*. Sanctum Cyrillum docentem, benedictionem in Christo præfundato ante omnes præcessisse maledictionem, pollicitationem vitæ, dānationem in morte, libertatem adoptionis, seruitutem Diaboli per peccatum: sed primum peccatum Adæ fuit maxima maledictio, & propter illud damnati sunt omnes in mortem, & facti serui Diaboli; ergo illud peccatum præcessit in Christo pręfundato benedictio, pollicitatio vitæ, & libertas adoptionis; & consequenter gratia, & alia dona spiritualia, quæ peccatum primorum parentum præcesserunt in statu innocentiæ, fuerunt ex meritis Christi.

167 *Dices*, Christum non habuisse alios actus meritorios defacto, quàm actus præsupponentes carnem passibilem: sed tales actus non poterant pręuideri, vt futuri ante præuisionem peccati: quia Christus non fuit ordinatus, saltem in carne passibili, nisi occasione peccati; ergo Christus non meruit gratiam, quæ præcessit præuisionem peccati. Consequentia patet: quia non meruit per opera, quæ defacto sunt; seù habuit defacto. *Respondetur*, Christum habuisse multa opera bona, quæ absolutè,

tè, & secundùm suam substantiam fuerunt præuisa ante peccatum independenter à carne passibili: nam præter mortem, & passionem, orauit Deum, humiliauit se Patri, amauit Deum, & proximos in Deum, & propter Deum, siue mediante visione beatifica in Verbo, siue mediante aliqua alia scientia in proprio genere visos; quæ opera, licèt sint merita defacto in carne passibili; hoc tamen est per accidens: quia essentialiter non præsupponunt talem passibilitatem; & consequenter quoàd substantiam suam potuerunt esse præuisa ante peccatum. *Vndè distinguo maiorem*: Christus non habuit alia merita, quàm quæ præsupponunt carnem passibilem per accidens, & non necessariò; concedo: quæ per se essentialiter, & necessariò præsupponunt carnem passibilem; nego maiorem; & distinguo similiter minorem, & nego consequentiam. Ad probationem patet ex dictis: nam actus, quos Christus etiam defacto elicuit, & præsertim portionis superioris, erant meritorij independenter à passibilitate carnis, etsi defacto sint eliciti in carne passibili: *De hac re* ad plenum dixi in Tractatu de Prædestinatione.

## PROPOSITIO SEXTADECIMA.

### *Christus meruit reparationem ruinæ Angelorum.*

168 ITa Theologi. Probatur ex sacro Codice: nam Psalmo 109. legitur: *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas.* Ad Ephesios 1. *Proposuit instaurare omnia in Christo, siue quæ in Cœlis, siue quæ in terris.* Ad Collossenses 1. *Pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in Cœlis, siue quæ in terris.* Hæc autem restauratio fit per assumptionem hominum ad sedes ab Angelis derelictas: quæ assumptio facta est ex meritis Christi, vt patet de Sanctis Patribus antiquis, quorum nullis (licèt habuerint præclara merita) patuit introitus in Cœlum, nisi post mortem Christi, & soluto pretio redemptionis nostræ: ergo &c.

PRO-

# PROPOSITIO DECIMASEPTIMA.

## *Christus meruit Angelis gratiam sanctificantem, & donum perseuerantiæ.*

169 PRobatur primò: quia si aliquid impediret, quominùs gratia Angelorum esset ex meritis Christi, maximè esset (etiam secundùm Aduersarios) quòd Verbum non esset incarnatum, nisi occasione peccati, & consequenter, quòd nulla merita Christi sint præuisa ante peccatum: sed hoc est falsum, vt patet ex propria Disputatione; nam Christus est primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt vniuersa, siue quæ in Cœlis, siue quæ in terris sunt visibilia, & inuisibilia, siue Throni, siue Dominationes, & ipse est caput omnium, tàm Angelorum, quàm hominum: hunc locum aliqui (& fortassè non malè) intelligunt de Christo non solùm propter influxum gratiæ, & donorum spiritualiũ in Angelos, & homines; sed etiam, quòd ex ipso, tanquàm ex capite, sint omnia dona tàm naturalia, quàm supernaturalia; quia naturalia reducuntur ad supernaturalia, vtraque propter prædestinatos; prædestinati verò propter Christum, & Christus propter Deum, vt colligitur ex prima ad Corinthios 3. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Appollo, siue Cephas, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura; omnia vestra sunt; vos autem Christi, Christus autem Dei.* Posset igitur dici; omnia dona (excepta ipsa incarnatione) etiam naturalia, concessa esse intuitù Christi, ita vt non sint omninò gratis data, sumendo gratiam latè, vt excludit omnem causam extra Deum; & hoc videtur intendere *Scotus in 4. dist. 2. quæst. 1. §. ad tertiũ dico, &c.* vbi admittit, posse dici, quòd in vniuersis operibus Dei, non fuit aliquod opus meræ gratiæ, nisi sola Incarnatio filij Dei. Hinc colligo, nostram propositionem esse Scoti; quia debet intelligi, si non de operibus naturalibus, saltem de supernaturalibus cõducentibus ad vitam æternam; & consequenter gratia, & alia dona supernaturalia non fuerunt cõcessa omninò gratis Angelis, sed dependenter à meritis Christi. *Et si dicatur*, hoc non sequi, sed illam gratiam fuisse datam Angelis ex meritis proprijs. *Contra*: quia illa merita qui-

quibus illam gratiam meruerunt, erant dona superaddita naturæ, conducentia ad vitam æternam: ergo non erant opera meræ gratiæ ex Scoto, & consequẽter erant ex meritis Christi.

170 *Dices ex Vuadingo*: nec Patres, nec Scripturæ dicunt, Christi merita ad alios extẽdi, quàm ad eos, pro quibus mortuus est: sed non est mortuus pro Angelis: ergo merita ipsius non extenduntur ad Angelos. Consequentia patet; quia gratis, & arbitrariè asseritur, quod nec ratione, neque authoritate probari potest. Minor probatur ex multis Patribus. Augustinus Enchyridion capite 61. *Non pro Angelis mortuus est Christus*. Gregorius libro 28. Moralium cap. 6. in fine: *Mysterium Incarnationis mirati sunt Angeli, quo tamen non sunt redempti*. Bernardus sermone in feria 4. Hebdomadæ sanctæ: *Passio Domini data est homini; quia alteri dari non potuit; nunquid Angelo? sed ille non indiguit: nunquid Diabolo; sed ille non resurgit, &c.* Idem habent plures alij Patres; ergo falsa nostra propositio. *Respondetur*, maiorem esse falsam; vt patet ex Scriptura, & Patribus allatis pro nostra propositione. Quãdo igitur dicitur apud Scripturam, Patres, & Concilia, vt *Tridentinum sessione 6. cap. 7. Nemo iustus esse potest, nisi cui merita passionis Domini nostri Iesu Christi communicantur*, & tribuũt rationem meriti soli passioni; intelligendi sunt de merito redemptionis, & liberationis à peccato: quę per solas passiones, vel dependenter ab illa, Christus nobis meruit. Vnde concedo minorem; & dico, eodem modo intelligendos alios Patres negantes, Christum meruisse Angelis; nil enim aliud volunt, quàm passionem Christi, & alia merita dependentia essentialiter ab illa, non fuisse causam meritoriam gratiæ, & prædestinationis Angelorum; non autem volunt, Christum nullo modo meruisse Angelis gratiam, aut gloriam; vt satis clarè patuit supra ex ijsdem Patribus, quos pro se affert Aduersarius, qui satis arbitrariè dicit, nostrã sententiam esse omninò arbitrariam, & nullum habere fundamẽtum apud Sanctos Patres. *Audiat ergo iste Doctor* Sanctum Cyrillum libro 5. in Isaiam ad illud capitis 54. *Lætare sterilis*, dicendo: *Per ipsum* (scilicet per Christum) *omnis fructificatio spiritualis, tùm in sanctis Angelis, tùm in nobis insita est.* Et lib. 9. de Adoratione ante medium, ait: *Angelos non alia ratione sanctos esse, quàm per solum Christum, &c.* Diuus Gregorius Homilia 11. in Ezechielem, exponens illud: *Ecce murus forinsecus*, ait: *Vnigenitus Patris, qui sursùm est firmitas Angelorum, inferiùs factus est hominum redemptio.* Vbi vult, gratiam, qua mediante, Angeli firmiter steterunt, fuisse ex Christo, sicut ex Christo est

gra-

gratia redemptionis hominis à lapsu.

172 *Obijcies nobis Scotum in 3.dist. 19.quæst.1. §. sed hìc sunt, &c.* vbi docet, ante merita exhibita non dari præmium vltimum, quod est ingressus Regni, sed admittit, illum ingressum fuisse Angelis datum ex meritis proprijs; ergo supponit, quòd non fuerit ex meritis Christi. *Respondetur*, quòd Scotus intelligendus est in maiori de præmio vltimo, respectù eorum, qui actibus proprijs demeruerunt illud prẹmiũ, vt sunt homines, quibus propter peccatum clausa fuit Ianua Regni cœlestis, quæ illis aperta est solùm propter merita Christi exhibita in carne passibili nolente Deo illam aperire, nisi soluto pretio; non autem intelligendus est de præmio vltimo eorum, qui non demeruerunt, vt sunt Angeli, qui meruerunt potius ingressum actibus proprijs, non excludendo tamen merita Christi; sicut nos iam etiam post lapsum meritis nostris, licèt dependenter à meritis Christi in carne passibili, meremur ingressum in Regnum cœleste: quamuis enim Christus ipse solus meruit nobis in carne passibili apertionem ianuæ; non tamen nos meritis nostris cooperamur Christo ad ingrediendum. *Et per hoc patet ad minorem*, quia quamuis ille ingressus fuerit Angelis datus ex meritis proprijs, non excluditur tamen dependentia illorum meritorum à meritis Christi; non supponit ergo Scotus, illum ingressum fuisse concessum Angelis ex meritis proprijs solis, vel independenter omninò à meritis Christi.

173 *Eodem modo* respondendum est ad *Scotum infra eadem quæst.* dicentem, passionem Christi nõ fuisse causam meritoriam prædestinationis, & electionis Sanctorum, quia fuerunt prædestinati ante præuisionem peccati, & consequenter ante præuisionem passionis, quæ ordinata fuit propter redemptionem à peccato; non enim vult per hoc, eos fuisse prẹdestinatos independenter omninò à meritis Christi; cùm in eo ab initio mundi omnes sint prædestinati, & electi iuxta Sacras Scripturas; sed solùm intendit prædestinationem, saltem secundùm ordinem intentionis, præcessisse passionem, & mortem, & alia merita ab his necessariò dependentia.

DISPV-

# DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

## *De Christo Redemptore, & Mediatore.*

## PROPOSITIO PRIMA.

### *Christus est Redemptor, & Mediator noster.*

1 ITa docet D.Paulus ad Timotheum: *Vnus est mediator Dei, & hominum, homo Christus Iesus, qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* Hæc duo mediatoris, & Redemptoris officia sunt idem in re, & solam distinctionem rationis admittunt: nam ijsdem prorsùs actibus vtrumque officium expleuit Christus, offerendo semetipsum Patri. Obscurum sanè est, quomodò Christus dicatur propriè Redemptor: siquidem Redemptio est, cùm res aliqua eripitur de manu iniustè retinentis, & restituitur proprio Domino. Inde oportet, vt si homo per Christum redemptus sit, desierit priùs esse Dei, & sub alterius potestate existens, ab eo eripiatur, Deoquè restituatur; sed non videtur homo defecisse à possessione Dei, & subditum fuisse alterius ditioni.

2 *Vt totum negotium expediatur,* sciendum est; hominem per peccatum non omninò desijsse esse Dei, cuius est orbis terrarum, & plenitudo eius, & vniuersi, qui habitant in eo: nam iure creationis, & conseruationis omnes homines, etiam peccatores, sunt Dei; tamen quia peccatum infecit hominem, illumquè inhabilem, & inutilem reddidit ad hoc; vt debitum obsequiũ redderet Deo Domino suo, hac ratione dicitur non esse Dei eo modo, quo nos, seruos inutiles negamus esse nostros. A Deo deficiens homo, & ab illius seruitute recedens, transit in potestatem, dominiumquè Sathanæ, à quo ita possidetur, vt eum flectat ad quodcumque maleficium, & eo vtatur, tanquàm seruo, ad quæcumque voluerit malà, vt docet D. Paulus 2. ad Timoth. 2. *Det illis Deus pœnitentiam, vt resiliant à laqueis Diaboli, à quo captiui tenentur ad eius voluntatem.* Hoc sensu dicitur Diabolus Ioannis 12. princeps mundi; & qui obsequuntur Diabolo, dicuntur illius serui; Ioannis 8. nu. 34. *qui facit peccatum, seruus est peccati.* Vice versa, iusti,

&

& pij homines serui dicuntur Dei, & Christi. Vndè D. Paulus in principio suarum Epistolarũ se seruum Christi nuncupat; & D. Iacobus ita orditur suam Epistolam: *Iacobus Dei, & Domini nostri Iesu Christi seruus*. Iniusta, & Tyrannica est possessio, qua hominem Diabolus, vt seruum, possidet, si prauum Sathanæ affectum spectemus; non est tamen iniusta, si spõtaneam Dei dimissionem attendamus.

3 *Ex his constat*, quomodò, non obstante peccato, homo sit semper sub potestate Dei non solùm ad opera naturalia, & moralia, sed etiam ad supernaturalia: nam diuina voluntas, quandocumque ipsi placuerit, hominem, etsi malum, potest ad meliorem reducere vitam, & ex nequissimo facere sanctissimum; quamuis aliqua ratione non sit sub ipsius potestate, cùm secundùm legem ordinariam relictus in suo peccato, & cœlesti gratia destitutus, ea, quæ Diaboli sunt, operetur. Vndè cuilibet peccatori dicere possumus ex Ioannis 8. nu. 44. *Vos ex Patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere*; hoc sẽsu dicitur Christus noster Redemptor: quia per eũ erepti sumus à seruitute Diaboli, & Deo restituti sumus, vt deinceps non ea, quæ Diaboli sunt, sed quæ Dei, & Domini nostri perficiamus.

*Mediatoris officium competere Christo*, facilè probatur: nam cùm variæ sint mediorum species, vna est, quæ dicitur mediũ per participationem vtriusquè extremi, scilicet vtriusque naturæ, humanæ, & Diuinæ, ita erit mediator inter Deũ offensum, & hominem offendentem, conciliata inter vtrumque pace: dissidebant Deus, & homo: necessaria inter vtrumque pax; hanc Christus fecit, hominem reconcilians Deo.

## PROPOSITIO SECVNDA:

### *Redemit nos Christus, satisfaciendo Deo Patri passione, & morte sua.*

4 TRibuit Sãctus Paulus nostrã redẽptionẽ sanguini Christi; hinc D. Petrus epist. 1. c. 1. n. 18. *Non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra cõuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi*. Sanguinis nomine intellige mortem: quia, vt Poeta loquitur, *vitam cum sanguine fudit*.

*dit*. Sanguis Christi non est oblatus Diabolo hominem detinenti sub tyrannide sua; sed oblatus est Deo Patri, cuius imperio in vltionem suorum criminum homo traditus erat Diabolo, tanquàm tortori, & iustitiæ ministro. *Difficultas non mediocris est*.

## Vtrùm. Satisfactio Christi fuerit satisfactio ex rigore iustitiæ?

5 PRæmissis nonnullis, veritatem docebũt, quæ subsequuntur propositiones. *Moneo primò*, quòd nomen *iustitiæ* æquiuocum est, modò significat quamcumquè rectitudinem voluntatis in ordine ad honestatem, & sic apud *Scotum in 4.dist. 46. qu.1*. accipit *Anselmus lib. de veritate cap. 12.* vbi ait: *Iustitia est rectitudo voluntatis propter se seruata, idest, propter honestatem*; & hoc modo iustitia est quæcũque virtus moralis: sic enim iustum dicitur, quidquid est adæquatum, & commensuratum suæ regulæ; vndè, cùm quælibet virtus humanos actus conformet suæ regulæ, hoc est, naturæ rationali, vel legi; hinc quælibet virtus est quodammodò iustitia. *Secundò sumitur iustitia*, vt est rectitudo hominis coràm Deo, & tunc idem est, ac charitas; sic accipit *Augustinus lib. 83. quæstionum qu. 69.* vbi ait: *iustitia est dilectio Dei, & proximi*. Propriè sumitur iustitia pro virtute nos ad alterum ordinante, & inclinante, vt cuique, quod suum est, prout expedierit, reddamus; & hæc est notio iustitiæ, quam Plato, & Aristoteles, simulque cæteri homines laudauere. Apud Sacram Paginam, iustitia aliquando sumitur pro virtute in genere. Matthæi 5. *Beati, qui esuriunt iustitiam*; aliquando pro beneficentia, charitate, eleemosyna alteri data; Matthæi 6. *Attendite, nè iustitiam vestram coram hominibus faciatis*, idest, eleemosynam, vt habent Codices Græci. Tullius *lib. 2. de Inuentione, & lib. 1 Officiorum*, ita definit iustitiam: *est habitus animi vtilitati communi prospiciens*. Sanctus Ambrosius *lib. 1. Officiorum cap. 24.* sic definit: *est virtus moralis, qua vnicuique, quod suum est, tribuitur, vel redditur*. Alij ita definiunt: *est virtus voluntatis circa ius simpliciter*. Iurisconsulti sic iustitiam definiunt, *vt sit perpetua, & constans voluntas ius suum cuique tribuendi*: Moneo, quòd Iurisconsulti hac in definitione non accipiunt, *ly voluntas*, vt est facultas animæ, sed vt est actus voluntatis.

6 Di-

6 *Dicerem tamen ego*, esse inclinationem quamdam voluntatis ad retribuendum cuicumquè suum; non est ergo formalis, seù identica propositio, sed causalis, vt sit sensus: iustitia est virtus causans voluntatis actum; vel iustitia est habitus inclinans voluntatem ad habendum actũ, quo vult vnicuique reddere, quod suum est. Dicitur *constans, & perpetua*, vt explicetur vis, & natura habitus, qui huius naturæ est, vt quandiù durat, constanter, & firmiter inclinet ad agendum. Hunc ergo dico esse sensum: iustitia est habitus in voluntate, quo constanter, firmiter, & perpetuò, quantùm est ex vi habitus, voluntas inclinatur ad tribuẽdum cuique suum. Dicitur: *tribuendi ius suum cuique*, vt explicetur iustitiæ officium, & per ius accipitur, quidquid ex legibus est debitum alteri, siue sit pœna delictis debita: vndè *Scotus in 4. dist. 50. q. 2. litt. B.* docet; malum pœnæ esse iustum, & bonum; siue præmium meritis tribuendum; siue quodlibet aliud ius, quod secundùm leges, vel est alterius, vel debet fieri alterius; & hoc modo in præsenti sumitur illud *suum*, videlicet pro eo, quod est in bonis alterius, vel ita debet esse in bonis alterius, vt si id denegemus, teneamur ad restitutionem.

7 *Eiusdem ad seipsum* non est propria, & rigorosa iustitia. Ita *Philosophus 3. Ethicorum cap. vltimo*: iustitia ergo in hoc distinguitur à cæteris moralibus, quòd cæteræ non sint ad bonum alterius, sed ad proprium cuiusque; iustitia verò est ad bonum alterius; hinc est virtus propriè nata ad stabiliendum bonum alterius. Monemus tamen, quòd dùm pronunciamus, iustitiam esse bonũ alterius, alias verò virtutes esse bonum habentis; non est nostræ mentis dicere, quominùs iustitia sit etiam bonum habentis, & illum delectet: quia de ratione virtutis est facere bonum habentem, & vt ipse in proprio opere delectetur. Sensus ergo nostri pronũciati est, quòd iustitia non solùm est vtilis habenti, sicut aliæ virtutes, sed etiam alijs, quibus reddit, quòd debet; & quamuis aliæ virtutes valeant etiam interdùm prodesse alijs, & illos delectare; hoc tamen non habent ex sua ratione formali, sed tantùm consequenter, & quodammodò secundariò. *Moneo etiam*, quòd, etsi iustitia sit ad alterum, non indè tamen est necessarium, vt ille alter actù existat, sed sufficit, aliquando existere: actus enim iustitiæ dicit firmitatem quamdam voluntatis determinantis reddere vnicuiquè, quod suum est, quando opus fuerit. Fit res clara in eo, qui habet propositũ reddendi depositum, vel quid aliud debitum filijs alicuius, qui nascentur: quandiu enim illi sunt in potentia, ille habet ve-

rum actum iustitiæ in voluntate.

8 *Oppones*: homicidium sui ipsius est peccatum contrà iustitiam; ergo iustitia non semper est ad alterum. *Sanctus Thomas 2.2. qu.64. art.5.* docet: homicidium sui ipsius esse contra iustitiam; tùm quia vita cuiuscumquè est in bonum Reipublicæ, cuius quisque est pars. Tùm quia Deus habet dominium vitæ cuiuscumque, & sicut, qui occidit seruum alterius facit contrà iustitiam Domini, sic qui occidit seipsum, facit contrà Deum, qui est Dominus vitæ. *Aristoteles tamen lib.5. Ethicorum cap. vltimo* apertè ostendit, eiusdem ad seipsum non esse iustitiam, & consequenter neminem sibi ipsi iniuriam inferre: quia *scienti, & volenti non fit iniuria*. Puto, non posse negari, aliquam iniustitiam committi, si Respublica aliquo commodo priuetur; scilicet si is, qui seipsum occidit, sit maximè vtilis Reipublicæ. Secundò etiam negari nequit, quin occidens seipsum faciat contrà præceptum Dei prohibentis homicidium omne.

9 *Tota ergo* difficultas est: *an homicidium ipsius ex natura obiecti sit semper cōtrà iustitiam?* Nam fingere possumus, vnum tantùm esse in mundo, qui seipsum occidat, nullumquè præbeat incommodum Reipublicæ, quia supponitur, non esse Rempublicam. *Item* etsi Deus habeat dominium omnium, illud est dominium quoddam commune; at verò peccatum contrà iustitiam est contrà aliquod particulare dominium præter Deum, cui per iniustitiam infertur iniuria. Certè homicidium sui ipsius sæpènumerò est contra charitatem, & spem, ita vt sit odij, vel desperationis peccatum; strictè verò, & propriè non est peccatum iniustitiæ, quale est homicidium alterius: quia *nemo volens* (vt ait Aristoteles) *iniustitiam patitur*, & tamen occidere seipsum est grauius peccatū, quàm homicidium alterius: quia licèt homicidium alterius sit contrà iustitiam alteri debitam, quilque tamen maiorem charitatem debet sibi, quàm alteri, & ita magis peccat contra charitatem, seipsum occidendo, licèt non agat contra iustitiam strictè sumptam, vt clariùs dicam infrà.

10 *Quod dixerim*, iustitiam esse ad alterum; non ita debet intelligi, quòd iustitia necessariò requirat diuersitatem suppositorum, sed sufficit diuersitas secundùm quid. Non me latet, oppositum tenere *Diuum Thomam*, sed probabilior mihi apparet sententia, quam notaui: illam habet *Scotus in 4. dist. 46. quæst.1. & dist.14. qu.2. lit.D.* vbi probat, actum vindicatiuæ iustitiæ posse exerceri, & in alterum simpliciter, & in alterum secundùm quid, scilicet in seipsum; sed

ſed non niſi, vt in alterum. Fauet nobis ratio: nam religio, & obedientia ſunt etiam virtutes ad alterum, & tamen Chriſtus ſolùm ratione diuerſarum naturarum exercuit actum religionis, & obedientiæ ergà Deum; ergo à ſimili ratione diuerſarum naturarum poterat exercere actum propriæ iuſtitiæ: nam ſi vna illarum naturarum valeat ſe alteri ſubditam reddere; ergo & illi ex iuſtitia obligare; ergo nõ requiritur diuerſitas ſuppoſitorum. Probationem alteram deſumimus ex caſu aliquo ſucceſſo in Francia, & adducto *à Scoto in 4. diſt. 6. q. 2. §. de quarto membro in fine, verſ. breuiter euidentiſſimum, &c.* Verba Scoti: *Ponitur, fuiſſe in Francia monſtrum adultum habens duo capita; quorum vnum expreſſit nolle de eo, de quo aliud expreſſit velle; vnum enim voluit continere, & ſobriè viuere, & aliud laſciuire, & epulari: & cùm vnum per os ſuum excederet, reliquum clamabat, ſe grauari.*

11 *Sit tale argumentum.* Si in eodem ſuppoſito vnirentur duæ naturæ, Antonij ſcilicet, & Caroli, poſſet Carolus contradicere Antonio, ipſum odio proſequi, quinimò & calumniare: ergo illi faceret iniuriam: ergo eadem ratione poſſet illi ſatisfacere ex iuſtitia: ergo inter duas naturas ſubſiſtentes vna ſubſiſtentia intercederet iuſtitia: ergo iuſtitia etiã poteſt eſſe tum vnitate ſuppoſiti. *Accedat altera ratio.* Chriſtus Dominus de facto ob dualitatem naturarum non ſolùm ſatisfecit Patri, & Spiritui ſancto, ſed etiam ſibi ipſi, vt Deo, & à ſeipſo perſonaliter nõ diſtinguebatur: ergo iuſtitia nõ requirit diuerſitatem ſuppoſitorum. Probatur antecedens: nam ſatisfactio ex iuſtitia fieri debebat illi perſonæ, quæ fuit offenſa; ſed non ſolùm Patri, & Spiritui ſancto, ſed etiam ipſi filio allata fuit iniuria à noſtro primo Parente: ergo, &c. *Adde*, quia dominium in homines eſt commune toti Trinitati: ergo qua ratione dicimus offenſam perſonam Patris, & Spiritus ſancti, eadem ratione perſonam Filij; non minùs ergo natura humana aſſumpta ſatisfecit Filio, quàm Patri, & Spiritui ſancto; & ita inter naturam humanam, & filium interceſſit iuſtitia, quamuis non fuerit diuerſitas ſuppoſitorum.

12 *Placet etiam opinio* docens, cõceptum iuſtitiæ non neceſſariò expoſtulare diuerſitatem naturarum; hanc partem defendit *Scotus in 4. diſt. 14. qu. 2. lit. D.* Sit ratio Scoti: poteſt quis agens ſecundùm rectum rationis dictamen exercere in ſeipſum, quaſi vt in alterum, actum iuſtitiæ vindicatiuæ: ergo iuſtitia, quà iuſtitia, non neceſſariò expoſtulat diuerſitatem naturarum. Pro complemento vos remitto ad Tractatũ de Pœnitẽtia.

13 Mo-

13 *Moneo*, iustitiam esse diuisam in distributiuam, & commutatiuam. Omnes hanc amplectuntur partitionem; disconueniunt tamen in assignando discrimen inter vnam, & alteram. Breuiter dico, hoc esse discrimen, quòd distributiua non supponit dominium proprietatis in personis ad præmia, & onera communia, quę ipsis distribuenda sunt. Commutatiua verò dominium proprietatis supponit respectu illius boni, quod alicui auferendum non est. Iustitia distributiua est Principis ad ciues. Commutatiua ciuium inter se. *Nùm verò distributiua iustitia necessariò expostulet pluralitatem Personarum, inter quas onera, & commoda communia distribuantur?* Pars affirmatiua verior; & patet ex ipsa voce distributiua, seù distributione facienda à Principe inter ciues. Si quæ sunt rationes impugnantes necessitatem pluralitatis personarum, solùm euincunt, dabilem esse casum executionis iustitiæ distributiuæ cum vnitate personæ.

14 *Restitutionem* fundare suas radices in sola iustitia, suppono; & facilis probatio est, quòd materia, & obligatio restitutionis eò tendit, vt vnicuique ius suum seruetur, & reparetur, qua parte læsus est. Clarioribus terminis possumus dicere, quòd intentio ipsius restitutionis eò respicit, vt vero Domino ius suum reparetur, reddendo ipsi, quod suum est, & iure suo, ac titulo dominij exigit: quia iustitia definitur: *constans, & perpetua voluntas, ius suum cuiquè tribuendi.* Non me latet, communiter definiri restitutionem, *quòd sit actus iustitiæ commutatiuæ, quo res ablata Domino redditur*. Circa quam definitionem Theologi varia dicũt. Ego rem ita declaro: *restitutio est redditio rei alienæ, ius læsum Domini reparans*. Vndè ad restitutionem plura requiruntur. *Primum*, quòd res non sit à suo Domino possessa, sed in alterius potestate. *Secundum*, quòd veri Domini ius læsum existat per rei spoliationem, siue per iniuriam, siue per ignorantiam in eo, qui rem possidet. *Tertium*, quòd huiusmodi res suo Domino reddatur, vel saltem quòd illam habens se expoliet eo animo, & modo, quo res ad Dominum peruentura sit.

15 *Hinc hæc accipe*. Primò: restitutio distinguitur à mera redditione, quia restitutio reddendo aliquid, reparat ius Domini læsum; mera verò redditio non reparat ius Domini læsum: quia læsus non fuit, vt quando quis vero Domino reddit mutuum, commodatum, depositum, aut pignus, & similia, ad quæ præcedit Domini contractum celebrantis voluntas; ea est mera redditio, non restitutio: quia non est actio reparans ius Domini læsum, quod sanè læsum

non

non fuit: cùm ipse Dominus voluerit rem suam mutuo, commodato, deposito, aut pignori dari: scientis autem, & volentis ius non violatur. *Secundò*; restitutionem differre à mera solutione propter eandem rationem; nam siquis mihi vendat domum, equum, aut librum pretio, tali tempore offerendo, vel mihi suo etiam pretio domum, aut equum cõducat; postmodùm cùm ipsi Domino pretium reddo; tunc quidem soluo, quia reddo, quod debeo; cæterùm non restituo, quia non reparo ius Domini læsum; Dominus enim ita sciuit, & voluit; quapropter ipsius ius per iniuriam lædi non potuit. *Tertiò*, restitutionem differre à satisfactione; satisfactio enim significat cuiuslibet operis debiti adimpletionem, siue debitum ex religione, vt peregrinatio voto promissa; siue debeatur ex obedientia, vt res præcepta; cùm hæc omnia operamur, satisfacimus præcepto, & voto: cæterùm restitutio satisfacit obligationi solius iustitiæ commutatiuæ fũdata in iure Domini priùs læso: satisfactio verò pro iniuria strictior est, & solam significat restitutionem honoris, & reuerentiæ ex iustitia debitæ: Restitutio verò non solùm honorem, sed autem reliqua bona oblata, quæ debentur ex iustitia, reddit.

16 *Datur præterea* iustitia generalis, & particularis; particularis iustitia est, qua pars comparatur ad partem, vt ciuis ad ciuẽ; generalis verò, quæ communiori nomine etiam iustitia legalis dici solet, est, qua comparatur pars communitatis ad totum, subditus ad communitatem. Denique datur iustitia vindicatiua, quæ hominum culpas punit, attenditquè ad æqualitatem pœnæ cum merito. *Plures quæstiones iustitiæ* libenter omitto: quia nobis sufficit ad rem nostram, vocum significationem proposuisse.

17 *Noto tamen*, obligationem restituendi oriri ex iustitia commutatiua. *Probatur*: quia materia, seù obiectum iustitiæ commutatiuæ est æqualitas seruanda iuris, seù dominij alicuius ita, vt Domino inuito nihil auferatur, ac detineatur ex illis, quæ ipsius dominium exigit. Idem autem attendit restitutio, vt sæpiùs explicuimus. Addidi autem illa verba (*Domino inuito*). Primò: quia dùm Dominus non est inuitus, sed potiùs ita vult, quamùis lædatur eius dominiũ, non læditur ab alio, sed ab ipso ita volente, qui sibi iniuriam non infert. Secundò, quia suum non lædit dominium, sed potiùs in alterum transfert.

18 *Ex his hæc accipe.* Primò. Illis, qui sciunt, & volunt, sui dominij bona sibi auferri, restitutionem non deberi. Ratio est: quia sicut sibi ipsi nullus iniuriam infert,

infert, eò quòd respectù sui non potest esse inuitus; cùm non possit habere voluntates contrarias; ita nequè volenti fit iniuria: quia voluntas auferentis non est Domino volenti contraria; ita marito volenti vxoris adulterium non fit iniuria: proindequè ipsi non debetur satisfactio, quamuis reuera in vxore, & complice sit delictum specie diuersum à simplici fornicatione, & propterea explicādum in confessione: quia habuit malitiam cōtra bonum Sacramenti, coniugis, & prolis, cui iuri maritus cedere non potest, sed tantùm iuri proprio. *Ita Cardinalis de Lugo tomo primo de iustitia disput.* 8. *sect.* 1. *num.* 6.

19 *Accipe secundò*, qui voluit ab alio occidi, idquè petiuit, vt Saul, licèt passus fuerit iniuriā quòad vitam, cuius iuri cedere non potuit; tamen occisorem non teneri ipsi, aut hæredibus pecuniam restituere; quia hoc ius remittere potuit, & remisit. *Tertiò collige*, Martyres etsi cum Christo Domino occisos, veram tamen iniuriam in occisione passos fuisse; cuius rei non est facilis ratio, vt videre licet in ratione Cardinalis de Lugo, &c. Ratio nostra est primò: quia quædam bona sunt, quorū dominium transferre non possumus, sed illis tantùm frui: horum sunt vita spiritualis gratiæ, qua fruimur, eam autem alteri non damus, nimirùm quia solùm nobis vtilis est: cuiusmodi etiam sunt corporis membra, & ipsa vita. *Secundò*, quia Martyres non ita iuri suo cedebant, vt Tyrannis, aut tortoribus potestatem facerent, volendo, vt occiderent; sed tantùm volebant occidi, & non resistere, sibiquè oblatam mortem vltrò excipere; cæterùm non volebant, vt Carnifex sibi mortem inferret; alioquìn vellent actionem Carnificis malam: sed tantùm volebant pati, hoc est, excipere mortem, si nefarij homines sibi illā causa virtutis inferrent.


20 *Obijciet aliquis*: non possumus transferre dominium vitæ nostræ, aut manus, itaut alter possit sinè iniuria nobis illas auferre: ergo neque maritus iuri suo cedere poterit circa vxorē. *Confirmatur*: quia maritus iuri cedēs, vult etiā malū vxoris vsū, sicut qui vellet actionē occidētis, vellet etiam malum vsum suę vitæ.

*Respondeo*, longam esse disparitatem: nam dominium proprietatis alicuius rei sola illa creatura habere potest, quæ potest frui talis rei vtilitate; inde fit, me solùm habère posse propriæ vitæ, manusuè dominium; quia solus ego possum mea manu, aut vita viuere. Quapropter etiamsi ego vellem cedere, Dominus tamen manebo, meūquè dominium occisor lædet; vt si puellus impotens sola sua voluntate quarumdam rerum dominium transferret, etiam si vel-

vellet cedere ipsi, tamen inferretur iniuria: quia sola sua voluntate dominio illo non spoliatur. Cæterùm vtilitate vxoris etiam non maritus frui potest: quapropter potuit etiam illius habere dominium, si illam duxisset; proindè maritus validè poterit cedere iuri, & alter vtens illius vxore, non inferret sibi iniuriam: quia non peccauit contra iustitiam respectù mariti, sed contra alias virtutes.

21 *Imò addit Cardinalis de Lugo disp.* 8. *sect.* 1. *num.* 40. posse alterum Coniugum conueniendo priùs, & hortando alterum, nè peccet, cedere iuri suo, vt coniux, alioquin adulterium commissurus, minùs peccet, ablata circumstantia iniuriæ coniugi allatæ, quìn tamen ea cessione mortaliter peccet. Item etiam infertur, posse quem iuri suo cedere, vt aggressor ipsum mutilaturus, aut occisurus minùs peccet, ablata circumstantia iniuriæ aduersùs occidendum. Ego verò de valore vtriusquè cessionis iam dixi, dominium propriæ vitæ, & membrorum in alium validè transferri non posse, quamuis possit maritus. De honestate autem cessionis, si cedere potest, quìn velit malam vxoris operationem, id licitè poterit, de quo valdè dubito: quia cedens suo iuri, vidètur velle, vt alter sua vxore vtatur: nam qui transfert dominium, vult alteri etiam vsum rei dominatæ: propterea, cùm personæ vxoris dominium transferri non possit, vult ipsi dare vxoris vsum, ac si conduceretur, aut commodaret equum; voluntas autem illius vsus mala est.

22 *Notandum etiam*, varias conditiones requiri ad exactam iustitiam, & communiter sex enumerantur. ***Prima est***, quòd satisfactio sit ad alterum. ***Secunda***, quòd sit ab ipso debitore personaliter. ***Tertia***, quòd non possit non acceptari. ***Quarta***, quòd sit ex proprijs, & non ex bonis creditoris. ***Quinta***, quòd fiat ex aliàs indebitis. ***Vltima***, quòd nō sit ex acceptis ab ipso creditore, vel fundata in gratia ipsius. ***Per omnes ergo istas conditiones transferenda est resolutio, vt sciamus, vbi specialiter defecerit satisfactio Christi à rigore iustitiæ. Quare sit***



# PROPOSITIO PRIMA.

## *Satisfactio Christi fuit sufficienter ad alterum; vndè ex hac parte non defecit à rigore iustitiæ.*

23 PRobatur: quia ad satisfactionem non requiritur distinctio suppositorum, vt supra notauimus; sed sufficit distinctio naturarum; at in Christo cum vnitate suppositi fuit distinctio naturarũ: ergo satisfactio Christi fuit sufficienter ad alterum. *Vrgetur difficultas*: non magis requiritur aleitas ad satisfactionem, quàm ad alios actus in specie, verbi gratia, ad obedientiã, ad orationem, &c. sicut enim nemo seipsum offendere potest, aut placare, ita ridiculum esset, si quis diceretur, seipsũ orare, sibi obedire, &c. at Christus verè fuit obediens, verè orauit: ergo in ipso fuit sufficiens aleitas ab eo. *Accedat altera ratio*: quælibet natura habet distinctam voluntatem ab altera, vt quælibet possit operari, cessante altera, adeoquè esse, vel non esse offensa, iniusta, &c. *Item*, habent, vel habere possunt, quantùm ad præsens pertinet, distincta dominia, & ius vnius lædi posset, iure alterius non læso, & reparari ius vnius sinè reparatione alterius.

24 *Obijcies commune argumentum*: satisfactio facta est Trinitati: sed Persona satisfaciens est vna ex Personis Trinitatis: ergo ipsa est, cui fit satisfactio. *Confirmatur*: quia ipsa Verbi Persona influit valorem satisfactorium in opera Christi: ergo principium adæquatè satisfactiuum non distinguitur ab eo, cui fit satisfactio. *Huic obiectioni* iam fuit ad plenum responsum supra. *Ad confirmationem* distinguitur antecedens; influit valorem seipso immediatè, ita vt in valore includatur ipsa Persona, negatur antecedens; influit valorem à se distinctum; conceditur antecedens, & negatur consequentia. *Deindè*, quantumuis ipsa Persona includeretur in valore operis, itaut seipsa dignificaret opus immediatè, non probaret, quòd satisfaciens sit ille, cui satisfit, sed quòd opus satisfactorium sit ipse. *Replicabis*. Christus satisfecit pro omnibus peccatis: sed aliqua peccata fuerunt contra Christum, vt alapa, contumelia, & verbera Carnificum, quæ passus est, & fuerunt iniuriæ personales contra ipsum: ergo saltem in his eius satisfactio non fuit ad alterum. *Concessis*

om-

*omnibus præmissis*, negatur consequentia. Ratio est, quia Christus satisfecit pro omnibus peccatis hominum, quatenus fuerunt contra Deum: iam autem ostendimus, quòd respectù Dei satisfactio eius fuit plenissimè ad alterum; non satifecit omnibus, contra quos fuerunt peccata; hinc non satisfecit Martyribus, contra quos fuerunt peccata occidentium ipsos; & ita Christus nec satisfecit sibi.

## PROPOSITIO SECVNDA.

### *Satisfactio Christi non fuit ab ipso debitore personaliter, adeòque ex hac parte defecit à rigore iustitiæ*

25 PRobatur: quia Christus non contraxit debitum satisfaciendi, quia non fecit iniuriam Deo, peccando in ipsum, & licèt subierit peccata nostra, & se obligauerit satisfacere pro ipsis; tamen totum hoc non intulit ei debitum iustitiæ, sed ad summum debitũ fidelitatis: sed de hac re infra.

*Suarez arbitrans*, hanc conditionem minimè requiri ad iustitiam, ita contra nos argumentatur. Quamquàm in iustitia vindicatiua posset Iudex non esse contentus vllius pœnæ, nisi illius, qui offendit; tamen in commutatiua non sic res se habet: si enim amicus soluat pro altero amico mille aureos, tenetur creditor amici esse contentus: ergo ita in casu nostro. *Respondetur*, concedendo instantiam adductam in commutatiua iustitia; non tamen ita, & vniuersaliter in ipsa commutatiua, sed solùm quando compensatur iniuria realis, vt per restitutionem bonorum, verbi gratia, pecuniæ, quam si alius resarciat in integrum, ego liberor à restitutione: quia scilicet iam est posita æqualitas rei; non ita est in restitutione honoris: quia sicut ego abstuli illum per personalem contumeliam, verbi gratia, in Carolum, ita Carolus habet ius, vt ego reddam ei reuerentiam in persona mea, & non sufficit, quòd alius id faciat, quia non reddit ablatum, scilicet testificationem excellentiæ alienæ, seù Caroli à me faciendam. *Sit exemplum* in ipsa commutatiua: nam siquis furatus est à me librum, tenetur eundem reddere, si existat; & non sufficit æquiualens reddere, nisi ego liberaliter

voluero esse contentus æquiualenti. Ita similiter in casu nostro.

26 *Accedat secunda ratio* ex eodem Suarez, qui vult, quòd licèt requireretur illa conditio, eam tamen, dicit, hic non defecisse: quia satisfactio Christi facta est ab eadem natura, nec simpliciter ab eadem, sed ampliùs in vno indiuiduo; quod erat cæterorum caput. *Confirmatur*: quia peccatum Adami factum est nostrum omnium, & singulorum; quia scilicet Adamus peccauit, vt caput: ergo similiter Christi satisfactio censeri potest sufficienter nostra. *Respondeo*, euidens esse, non sufficere conuenientiam in natura specifica ad specialem illam rationem capitis in Christo; & similiter ad confirmationem dico, Christum nō similiter fuisse caput nostrum, vt Adamus; hic enim fuit caput nostrum nō solùm naturale, sed etiam morale per alligationem nostrarum voluntatum in ipsius voluntate, itaut ipsius opus censeretur nostrum; vndè inquit Apostolus: *Omnes in Adam peccauerunt*. At verò Christus non fuit Caput per alligationem nostrarum voluntatum in ipso; aliter omnes nos satisfaceremus: quia Christus satisfecit. *Confirmatur*, quia aliter non diceretur, gratis remitti nobis peccata, quod euidenter est contra Scripturam. Sequela patet, quia peccata non sunt gratis remissa Christo, sed per solutionem pretij superabundantis.

## PROPOSITIO TERTIA.

### *Potuit satisfactio Christi non acceptari à creditore; vndè ex hac parte defecit à rigore iustitiæ.*

27 Facillimo negotio hęc nostra propositio probata manet ex antecedenti propositione: nam quandiù aliquid debetur creditori, siue de substantia, siue de circumstantia iuris, potest non acceptari, quod offertur: sed ex supra probatis patet, aliquid defuisse satisfactioni Christi: ergo &c.

## PROPOSITIO QVARTA.

*Quarta, & quinta conditio, scilicet, quòd sit ex proprijs, & non ex bonis creditoris, & quòd fiat ex aliàs indebitis, saluari possunt in satisfactione Christi, vt ex hac parte nil defecerit à rigore iustitiæ.*

28 Probatur: quia satisfactionem fieri ex proprijs, quæ est quarta conditio, vult dicere, non quòd debeat fieri ex rebus, quæ alia via possent esse in bonis creditoris; vndè sensus est, vt non fiat ex his, quæ actù sunt bona creditoris, seù titulo iustitiæ debita ei. Ad propositum omnes actiones, & passiones Christi Domini sinè dubio fuerũt sub dominio proprietatis Dei, & potuerunt exigi ab eo; & in eo casu non satisfaceret Christus per eas: at defacto Deus eas nõ exegit titulo iustitiæ; igitur Christus ex his capitibus satisfecit. *Dices*, actiones Christi Domini, & passiones fuerunt sub dominio Dei, idquè in solidum: quamuis enim antequàm elicerentur illæ actiones, non tenebatur eas Christus elicere; vt tamen, postquàm elicitæ sunt, statim transeunt in dominium; quia sunt entia existentia creata, quæ non possunt esse, nisi ipsius sint: ergo iam sequitur euidenter, quòd non potuerit Christus satisfacere vllo titulo iustitiæ ad Deum per ipsas.

29 *Respondeo*, negando consequentiam: quia actiones illæ nõ ita transeunt in dominium Dei, vt non sint etiam sub dominio elicientis; quod euidens est; aliàs per illas nec mereri, nec demereri posset. *Res declaratur*: secundùm se illæ actiones transeunt in dominium Dei, quia sunt res creatæ: ergo ita transeunt, vt cæteræ creaturæ: sed aliæ non sic transeunt, vt non maneant sub dominio hominũ; aliter homo non posset alteri vendere propriam vestem, vineam, &c. & multò minùs donare: ergo &c. *Confirmatur*. Ex eo, quod pro se afferunt Aduersarij, quia definit *Tridentinum sessione 6.* opera nostra esse Dei dona; vndè sequitur euidenter, quòd nostra sint: quia donans transfert dominium in alium. Itaque euidens est, manere apud nos ius aliquod rerum nostra-

rum,

rum,non obstante supremo dominio Dei in illa; & per illud ius possumus nos mereri, & satisfacere tàm inter nos, quàm apud Deum, transferendo illum titulum dominij,qui in nobis remanet in Deum.

# PROPOSITIO QVINTA.

## *Vltima conditio defuit satisfactioni Christi ad rigorem iustitiæ.*

30 Conditio erat, vt satisfactio non fiat ex bonis acceptis à creditore. Hanc requiri ad iustitiam, clarum est: nam si fiat satisfactio sinè hac, erit potius remissio debiti; proindè est enim Carolo creditori, quòd remittat Ludouico debitum mille aureorum, ac quòd det ei mille aureos, quos sibi persoluat; itaque debet omninò non inuolui in rigorosa satisfactione gratia creditoris, nam tantum demitur iustitiæ, quantum miscetur misericordiæ. Patet iam propositio: nam bona omnia, quibus mediantibus Christus satisfecit, accepit à Deo; ab eo accepit vnionem hypostaticam,& ipsam gratiam sanctificantem, à quibus prouenie bat totus valor operum ipsius: ergo &c.

*Dices cum quibusdam*, non omnem gratiam impedire iustitiam in satisfactione, sed illam tantùm, quæ inuoluitur in ipsa satisfactione,non autem eam,quæ antecedit satisfactionem, verbi gratia, si donentur antecedenter Paulo mille aurei sinè respectu ad debitum, potest ex iustitia soluere debitum per illos; cur ergo Christus non possit similiter satisfacere iustitiæ Dei? *Respondeo statim ad hos*, & dico, quòd ratio ipsorum est in oppositum; nam secundùm Aduersarios nostros Christus accepit vnionem hypostaticam non antecedenter, & sinè respectu ad rationem, sed ex motiuo illius præcisè; volunt enim, propter peccatum tantùm, factam esse Incarnationem.

31 *Dices*. Saltem valet contra nos replica, qui ponimus, Incarnationem decretatam esse antecedenter ad peccatum. *Respondetur*, negando assumptum: quia etiam nos ponimus, quòd Incarnatio ipsa in substantia sit volita propter peccatum,& non sola circumstantia carnis passibilis; hoc autem sufficit ad propositum; quia licèt antecedenter

ter sit volita absolutè, tamen per hanc secundam volitionem fuit restricta donatio illa ad hũc finem. *Sit secunda responsio*, & probatio nostræ propositionis: quia actiones satisfactoriæ Christi erant dona Dei, & ipsa voluntas satisfaciendi, qua immediatè satisfecit: ergo iam donũ, & benignitas Dei creditoris erat imbibita in ipsa satisfactione Christi. *Confirmatur*, quia qui accipit ab alio comprincipium, sinè quo non potest physicè agere, accipit ab eo actionem saltem partialiter: sed Christus Dominus accepit à Deo auxilia gratiæ, sinè quibus non poterat agere meritoriè, aut satisfactoriè: ergo accepit similiter, &c.

# PROPOSITIO SEXTA.

## *Non fuit exacta satisfactio Christi in ipso genere Vindicatiuæ Iustitiæ.*

Concludimus, satisfactionẽ Christi non fuisse omninò de rigore iustitiæ. Ita communis Scotistarum, *Rada tomo 3. Controuersia 13. Faber in 3. disp. 46. Aretinus ibidem articulo 6.* Fauet huic parti *Scotus in 4. dist. 46. qu. 1. 2. & 3.* vbi negat, in Deo reperiri rigorosam iustitiam respectũ nostri. Item *in 3. dist. 19. & 30.*

32 *Probatur propositio* de Vindicatiua, ex dictis de iustitia commutatiua: qui enim furto abstulit alterius inuiti librum, si reddat pretium libri, non satisfacit omninò de rigore iustitiæ; potestq; ab alio repelli pretium, & cogi ipse ad reddẽdum librum: ita similiter per omnia; qui ex iustitia vindicatiua dãnatus est exilio, vel seruitute vnius anni, licèt afferat aliam satisfactionem æquiualentem, potest repelli, & cogi à Iudice ad pœnam secũdùm prolatam sententiam ei inflictam. Quia verò nostri discursus vis tota est in comparatione ad actum illum iustitiæ commutatiuæ; probo casum illum de libro sic: nam fur libri non acquirit furto ius eius; sed iniustè eum possidet, & ius manet penès priorem Dominum. *Sit tale argumentum*: quando ipse Dominus libri eum retinuit, non poterat ab eo, qui est fur, vel alio cogi ad vendendum ei librum, estò offerat pretium sufficiens libri, vel etiam abundans: ergo similiter non potest cogi, vt acceptet pretium, & cedat iuri suo circa librum. *Ad rem nostram*: Christus Dominus sinè

finè dubio obtulit satisfactionem sufficientem, imò superabundantem pro debito generis humani; nihilominus si Deus vellet vti rigore suæ iustitiæ, potuisset totam repellere, & exigere pœnam à se inflictam in peccatores, tradendo eos æternis cruciatibus.

33 *Succedat altera ratio*: nam ex eodem iure prouenit Iudici, vt quamuis ipsa pœna per latam sententiam soluatur ab alio; potest adhuc ipse non esse contentus, nisi soluatur à reo, qui per sententiam eius damnatus est: sicut enim habet ius exigendi pœnam à se inflictam, ita habet etiam exigendi personam; gratiam omninò facit reo, si eius loco patiatur, alterum puniri. Ex quo iterùm sequitur defectus satisfactionis Christi: quia ipse nõ erat debitor pœnæ, nec damnatus per Iudicis sententiam. *Dices*. Magnitudo pretij compensat omnem aliam inæqualitatem; Christi autem pretium fuit infinitum; adeòque, quamuis omnia alia defuissent, hoc vnum erit satis. Ostenditur assumptum: quia quælibet conditio ex ipsis, est pretio æstimabilis: ergo infinitas pretij supplet, quascumque deficientes conditiones. *Respondetur*, negando maiorem in rigore iustitiæ, de qua agitur; verum quidem est, quòd expediret admittere abũdans pretium pro alijs conditionibus: nam, si Domino libri ablati detur centuplum plus; quàm valeat liber, stultè agit, nisi acceptet; non tamen iniustè. *Adde*, quòd in casu Iudicis est alia ratio: ipsius enim est attendere non solùm ad pretium, aut vtilitatem vllius, adeò quòd nõ solùm non tenetur, sed nec expedit, vt sit contentus commutationibus pœnarum, & personarum.

# PROPOSITIO SEPTIMA.

## *Notantur nonnulla pro maiori solutione suprapositæ difficultatis.*

34 MOneo, discrimen esse inter satisfacere pro peccato, & satispati pro peccato: nam peccatores redeuntes spontè ex motione Diuina, & dolentes, & affectu charitatis resipiscẽtes, & subeuntes volũtariã pœnitentiã iure taxatam, satispatiuntur, & satisfaciunt pro suis peccatis. Damnati verò in inferno satispatiuntur quidem, sed non satisfaciunt. *Aduerto*

etiam

*etiam*, quòd satisfactio præsupponit debitum, & debitum præsupponit conuentionem, & ratione conuentionis insurgit ratio iustitiæ. Satisfactio, quia includit debitum, distinguitur à merito, meretur enim quis apud eum, qui priùs non tenebatur illi, sed nemo satisfacit, nisi præsupposito debito. Debitum est multiplex; quoddam nascitur ex mandato superioris, cui satisfit per obediẽtiam; quoddam oritur ex suscepto beneficio, cui satisfit per gratiarum actionem; quoddam nascitur ex meritis, cui satisfit recompensatione; quoddam nascitur ex contractu personarum, cui satisfit solutione, vel rerum permutatione; quoddam nascitur ex ablatione alieni, vel damnificatione, cui satisfit per restitutionem æquiualentis; & quoddam est debitum, quod oritur, offendendo superiorem, cui satisfit pœnali subiectione; & sunt notandi isti duo præsertim modi debiti vltimo loco dicti: quia sic debitores sumus Deo, & pęnaliter satisfaciendum erat Deo à nobis.

35 *Moneo item*, quòd debitum, aliud est ciuile, aliud criminale; aliter satisfit iustitiæ in debito ciuili; aliter in debito criminali. Alter potest satisfacere pro ciuili debito alterius; sed non ita pro debito criminali: hinc pro sicario non potest satisfacere innocens, quamuis ex charitate se offerat morti; quia si Iudex acceptaret mortem Innocentis pro sicario, non seruaret iustitiam, quamuis gratiam faceret sicario, & ratio est, quia pœna criminalis, vel potiùs personalis non ordinatur tantùm ad satisfactionem pro offensa; sed etiã pro medicina aliorum.

36 *Moneo vlteriùs*, quòd boni operis quatuor possunt esse effectus, beneficientia, meritum, medicina, & satisfactio. Bonum opus, in quantum est virtuosum, est etiam beneficum, quia facit bonum ipsum operans; & si fiat in gratia iuxtà inclinationem charitatis, est etiã meritorium; si autem adhuc est pœnale, & pœna non sit alia ratione debita, sic est medicinale. Postremò si sit opus bonum moraliter, & pœnale, & debitum, sic est satisfactorium, ita quòd satisfactio potest definiri sic *ex Scoto in 4. dist. 16. qu. 1. Satisfactio est redditio voluntaria pœnalis æquiualentis aliàs indebiti.* Cùm dicitur *redditio*, distinguitur à merito; cùm dicitur *voluntaria*, distinguitur à satispassione; cùm dicitur *pœnalis*, distinguitur ab omni virtuoso moraliter; cùm dicitur *æquiualentis*, iterùm distinguitur à merito; & cùm dicitur *aliàs indebiti*, exprimitur propriũ ipsius satisfactionis. *Aequiualentia*, de qua dictum est, *secum trahit multas difficultates.*

37 *Et primò dubium est: an æquiualens, quod redditur, debeat proportionari Arithmeticè, vel Geome-*

*tricè damno allato, vel bono ablato?* Sed ad hoc communior sententia tenet, quòd sufficiat proportio Arithmetica, verbi gratia: si peccator commisit decem peccata, reddat aliquid æquiualens decem peccatis; si commisit centum, reddat centum, sed non requiritur, vt tanto conatu affectus diligat Dominum satisfaciendo, quanto conatu affectus auersus est à Deo peccãdo.

38 *Secundò* dubium est: *an pondus, & valor in satisfactione sumi debeat à natura ipsius operis, an ab æstimatione acceptantis?* Constat in humana iustitia, quæ dicitur commutatiua, quòd pretium non iudicatur semper secũdùm valorem naturalem rei, sed secundùm valorem vsualem, vel iuxta vtilitatem rei: hinc qui emit equum, si indiget, pro illo maiorem quantitatem pecuniæ soluit, quàm alter minùs indigens, & hoc propter vtilitatem rei. Item annona est carioris pretij circa finem hyemis, quã tempore messis, & hoc est propter valorem vsualem: & quãtùm ad hoc dicerem, quòd satisfactio rigorosa, de qua hìc loquimur, debet esse redditio boni æquiualentis secũdùm naturam suam.

39 *Tertiò* dubium est: *an valor operis magis debeat pensari ex charitate, à qua oritur, an ex dignitate facientis?* Quantùm ad hoc noto, quòd vita æterna tribus modis datur; per modum hæreditatis, mercedis, & per modum brauij. Primo modo datur filijs, & sic valor operis filij consequentis vitam æternam mensuratur secũdùm dignitatem personæ; quando verò datur per modum mercedis, valor operis mensuratur secũdùm quantitatẽ charitatis; at quãdo datur per modum brauij mẽsuratur opus bonum secundùm mensuram acceptationis actiuæ ipsius acceptantis; sed quia (vt dictum est) satisfactio distinguitur à merito, in proposito valor operis debet accipi ab ipsamet essentia operis, aut à charitate operãtis. *Item notandum*, quòd omne bonum opus nostrum est Deo debitum pluribus titulis, præsertim pro beneficijs acceptis: hinc minus erit ad satisfaciendum Deo vlteriùs pro peccato, & iniurijs illatis.

40 *Quia in Titulo quæstionis dicitur*: an Christus satisfecerit ex rigore iustitiæ? notanda est didistinctio inter iustitiam commutatiuam, & distributiuam, & notanda est ratio, in qua conueniunt. Cõueniunt igitur in hoc, quòd præsupponunt aliquam conuentionem; de commutatiua patet tàm in emptione, & venditione, quàm in locatione, Emphiteusi, & quocumque humano contractu: in iustitia quoque distributiua præsupponitur conuentio, vt sit Dominus brauij, qui primò tetigerit brauiũ: Deus proposuit vitam æternam à nobis acquirendam non sinè pas-

passione; hinc *si vis ad vitam ingredi, serua mandata, &c. si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum: si præcepta mea seruaueris, seruabunt te*. Et hìc notandũ est ex *D. Bernardo lib. de gratia, & libero arbitrio*, quòd inter Dominum, & nos potest assignari iustitia tàm cõmutatiua, quàm distributiua, quamuis Deus sit simpliciter Dominus omnium humanorum actuum, omniumquè bonorum: quia cùm non teneatur promittere vllam recompensationem benefacienti, voluit tamen promittere: *hoc fac, & viues*. Vndè Bernardus dicebat: *promissum quidem ex misericordia, sed tamen est iustitia persoluendum*. Differunt tamen iustitia commutatiua, & distributiua, quòd iustitia commutatiua requirit absolutam æqualitatem inter meritum, & præmium; ac iustitia distributiua contenta est proportionari æqualitate; & si rectè expendamus Diuina iudicia; quibus spopondit nobis vitam, eamquè largitur, patebit, quòd substantia, vel essentia Diuini iudicij, quo iudicat nos dignos vita æterna, & remissione culpæ, est secundùm iustitiam distributiuam, at modus istius iudicij est secundùm iustitiam commutatiuam.

*Vltimò moneo*, quòd rigor iustitiæ, de quo in titulo propositionis, importat concursum multarum conditionum, quas notaui in propositione antecedenti. *His stantibus*, sit

# PROPOSITIO OCTAVA.

## *Illud, quod est solutum Deo à Christo pro homine, excedit id, quod ablatum fuit, & amissum per peccatum hominis.*

41 PRobatur: citrà infinitum nullum bonũ est maius, quàm bonum vitæ, & animæ Christi: sed Christus obtulit, & soluit Deo pro homine, & pro amissis ab homine meritum animæ suæ, suamquè vitam; & realiter, & in effectu mortuus est: ergo id, quod à Christo solutum est Deo pro homine, excedit id, quod ablatum fuit per peccatum hominis. Maior probatur ad aures Scoti, qui *in 3. dist. 13. qu. 2.* ex professo concludit, quòd gratia animæ Christi, defacto fuit summa, ita quòd defacto nulla datur nec maior, nec æqualis: ergo excessit gratiam cuiuscumque creaturæ; *Nunc sit tale argumentum*. Gratia, & meritum possunt commensurari, & ad æqualitatem

ponderari: ergo meritum Christi defacto fuit summum: ergo excessit omne bonum ablatum, & demeritoriè amissum per peccatum. *Item Scotus qu. 19. quolibetali art. 3.* tenet, quòd dependentia actualis naturæ assumptæ ad personam Diuinam est actus supernaturalis, in tantùm quòd ad sic dependendum non datur potentia naturalis, sed tantùm obedientialis; ad reliquas verò formas supernaturales, etiam ad ipsam Beatitudinem Patriæ, etiam in speciali, tenet, esse potentiam naturalem, vt patet *in 4. dist. 49. qu. 9. & 10.* Hoc sit argumentum: dignitas naturæ humanæ personatæ in Verbo est bonum excedens quodcumque bonum creatum amissum per peccatum: sed Christus obtulit, & soluit hanc dignitatem, offerendo, & soluendo propriam vitam: ergo &c.

42 *Sit tertium argumentum* ex authoritate D. Pauli Rom. 6. *Vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia*; in quo loco illud aduerbium, *vbi*, quod est aduerbium loci, stat pro aduerbio temporis, & frequentissimè accipiuntur pro eodem, *vbi*, & *postquàm*, nisi post Athanasium in Tractatu de salutari aduentu Christi, dicamus, *vbi*, idest in qua natura abundauit delictum. *Item* in Christo consideratur triplex gratia, scilicet gratia habitualis, gratia singularis personæ, & gratia Capitis, de duabus primis dictum est, quòd vtraque est summa, de tertia probatur: gratia Capitis debet redundare ad membra; sed omnes, præsertim saluandi, siue homines, siue Angeli sunt mystica membra vnius Ecclesiæ; ergo oportuit gratiam capitalem Christi esse summã; sed hanc obtulit: ergo, &c. Maximum enim fuit, quòd talis, ac tantus Pontifex, quem Deus dedit Caput super omnem Ecclesiam, dignaretur subire supplicium, & mortem Crucis.

# PROPOSITIO NONA.

## *Christus per modum Redemptionis satisfecit ex condigno perfectè, & ex rigore iustitiæ.*

43 HOc potest defendi, etiã ad aures Scoti, vt n. 51. & 52. ostendam Propositionem declaro. Redimere est rem suo iusto pretio recuperare secundùm *Alensem 3. p. qu. 18. art. 2.* & differt à liberare: quia quis potest liberare captiuum vi, fraude,

de, commutatione, aut etiam alio modo, quem non potest redimere sinè iusto pretio. Ex quo patet, quòd in scripturis nomine *Redemptionis* explicatur pœna peccati, pro quo peccator traditur tanquàm captiuus potestati Diaboli, prout colligitur ex illo Ioannis 12. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eijcitur foràs*; & iterum cap. 14. *iam non multa loquar vobiscum; venit enim Princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* Cùm ergo dicimus, quòd Christus satisfecit ex rigore iustitiæ per modum Redemptionis, tamen nostra intentio non est asserere; quod satisfecerit rigorosè pro iniuria Deo facta.

44 *Hìnc probatur conclusio.* Primò quoad primam partem, per Extrauagantem *Clementis Sexti, quæ habetur extra de Pœnitentijs, cap. Vnigenitus, &c.* in qua Clemens loquitur semper de satisfactione per modũ Redemptionis, vt patet ibi, & per authoritates ibi adductas, vt puta: *Misit Deus filium suum factum sub lege, vt eos qui sub lege erant, redimeret, &c.* Ad Gal. 4. *Factus est nobis Sapientia, iustitia, sanctificatio, & Redemptio, &c.* Prima Corinth. 10 *Non per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta*; Alibi: *Non corruptibilibus auro, & argento, sed pretioso sanguine immaculati Agni, & incontaminati redempti estis, &c.* Dicit Pontifex, vnam guttam sanguinis propter vnionem ad Verbum pro Redemptione totius humani generis fuisse sufficientem; cùm tamen à planta pedis vsque ad verticem copiosè sanguinem fuderit: ergo satisfactio per modum Redemptionis fuit condigna, perfecta, & secundùm rigorem iustitiæ.

45 *Secũdò probatur* ex illo Psalmi 19. *Copiosa apud eum redemptio*: sed si non satisfecisset rigorosè, potuisset fieri redemptio copiosior: ergo &c. Vt verum fatear, hæc authoritas parùm cõcludit: nam premittitur: *apud Dominum misericordia*, deindè dicitur: *copiosa apud eum redemptio*; posset ergo dici, quòd redemit copiosè, non tamen secundùm rigorem iustitiæ, sed ex misericordia Dei acceptantis. *Rursùs*, si dicitur esse copiosa redemptio, non negatur, quin potuerit esse copiosior. *Item* iustus secundùm inclinationem charitatis meretur de condigno: sed Christus habuit maximam charitatem: ergo meruit de condigno. Nunc ita; sed rogauit multa pro nobis, vt patet Ioannis 12. *Rogo, Pater, vt hi vnum sint, sicut & nos, &c.* & iterum ibidem: *Non rogo pro eis, vt tollas eos de mundo, sed vt serues eos à malo;* Marci 15. *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Et D. Paulus ad Hebræos 5. inquit: *Exanditus est pro sua reuerentia.*

Ma-

Maior propositio probatur per illud 2. ad Timotheum cap. 4. *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.*

46 *Non me latet,* huic argumento responderi posse ad maiorem, primò, quòd iustus meretur ex condigno vitam æternam, & hanc potuit nobis mereri Christus; sed iustus non meretur ex condigno exaudiri, nec semper exauditur, & Christus nè frustra oraret, orauit conditionaliter, vt si fieri posset, transiret ab eo calix, & sic præsupposito, quòd Deus acceptauerit passionem Christi, tãquàm satisfactoriam, non ex rigore iustitiæ, sed ex misericordia, sequitur postea, quòd Deus voluerit, ipsum exaudire ex rigore iustitiæ, & per eius preces reddere vitam æternam redemptis. *Secundò posset dici,* quòd Christus meruit ex rigore iustitiæ aliqua, vt verbi gratia, suæ fidei dilatationem, sui nominis exaltationem; & aliqua alia; non tamen ex rigore iustitiæ meruit nostram redemptionem. *Ad illam authoritatem: exauditus est pro sua reuerentia;* diceretur, quòd illa reuerentia fuit actus iustitiæ Dei acceptantis, sed non rigorosè obligati ad acceptandum; vel si illud, *pro sua reuerentia*, referatur ad Christum, posset concedi, quòd exauditus fuerit de congruo, & præsupposita acceptatione Dei. *Item,* nisi Christus satisfecisset rigorosè per modum redemptionis, aut nihil, aut certè parùm concluderet illud Pauli ad Hebræos 9. *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, &c. quantò magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, &c.* & illud ad Hebræos 10. *Impossibile est sanguine vitulorum, & hircorum auferri peccata, idcircò ingrediens mundum, dicit: hostiam, & oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi, holocausta pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi; tunc dixi: ecce venio, &c.*

47 *Fateor,* hoc argumentum esse optimum, sed non ad probandum nostrum intentum. Posset ergo negari consequentia; & ad primum argumẽtum dici, quòd Paulus probat excellentiam sacrificij Christi, quantum ad hoc, quòd sacrificia veteris legis auferebant irregularitates, & pœnas Canonicas, vt patet ibi; inquit enim: *Si enim sanguis hircorum, &c.* inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quæ emundatio erat quædam absolutio ab irregularitate; at sacrificium Christi est multò excellentius: mundat namque animam à peccato. *Ad secundum diceretur*, quòd D. Paulus probat eandem excellentiam per hoc, quòd sacrificium Christi placuit Deo ex opere operantis, & ex opere operato; sacrificia verò veteris legis placuerunt Deo ex opere significato, sed non ex opere operato, & quandoque non placuerunt, neque etiam

etiam ex opere operantis.

48 *Fortiùs igitur probatur conclusio* authoritate Isaiæ 53. vbi loquitur expresse de Saluatore, & textus clarus est, de quo propè finem sic dicit: *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur; pro eo quòd laborauit anima eius, videbit, & saturabitur in scientia sua iustificabit ipse iustus seruos meos multos, & iniquitates eorum ipse portabit; ideò dispertiam eis plurimos, & fortium diuidet spolia pro eo, quòd tradidit in mortem animã suam, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogauit.* Quòd Isaias loquatur de Christo, indè probatur, quòd Lucæ 22. & Marci 15. citatur hic locus. Sunt autem animaduertenda in hac authoritate quatuor. *Primum*, id, quod dicitur: *voluntas in manu Domini dirigetur*, ac si diceret: Christus de voluntate patris disponeret. *Secundùm*, id, quod dicitur statim: *pro eo, quod laborauit anima eius*; ac si diceret: tanti valoris fuit labor animæ eius, vt Deus acceptaret laborẽ, quia acceptabilis erat; & voluntatem suam constitueret (vt ita dicam) in manu Christi. *Tertium*, id, quod dicitur: *iustificabit seruos meos multos, & iniquitates eorum portabit*; ac si diceret: si peccatores habuissent, vndè satisfacerent ex condigno, potuissent se redimere: Christus ergo supra se hoc debitũ sumpsit, & cum haberet, vndè satisfaceret, satisfecit. *Quartum, & vltimum*, id, quod dicitur: *pro transgressoribus rogauit*; ac si diceret, dignus fuit exaudiri: quia passus est; ergo si orationem suam fudit ad redimendum, satisfecit rigorosè, & per hoc vltimum dictum possunt confirmari aliquæ authoritates superiùs positæ.

49 *Præterea* idem Isaias cap. 10. nu. 22. *Si enim fuerit Populus tuus Israel*, quasi *arena maris, reliquiæ conuertentur ex eo. Consummatio abbreuiata inundabit iustitiam.* Quo loco *Tertullianus aduersùs Marcionem per iustitiam* intelligit legem scriptam, per *consummationem abbreuiatam*, Euangelium, ac si diceret: Euangeliũ, quamuis breuissimum, superaddit iustitiam, quæ erat ex lege. Sed multò meliùs Clauis multorum Doctorum intelligit per *abbreuiationem consummatam*, Verbum incarnatum, ex cuius merito inundat iustitiam: quia tanti pretij sunt sua merita, vt non solùm satisfaciant pro redimendis peccatoribus, qui conuertuntur, sed superabundanter excedant, ita vt infiniti propemodùm peccatores redimi possint. *Item Leo ser. 1. de Natiuitate Domini. Si non esset* (nempè Christus) *verus homo, non præberet exemplum; si non esset verus Deus, non afferret remedium.* Subsumo: absurdum est dicere, quòd Deus

non

non possit sufficienter secūdùm rigorem iustitiæ afferre remediū ad redimendum; ergo allatum remedium per Christum satisfecit rigorosè per modum redemptionis. Notantèr dixi, *per modum redemptionis*: quia si mulier ad redimendum filium captiuum soluat dotem, vel partem dotis suæ à Patre acceptam, rigorosè redimeret, quamuis non posset nec pecunia, nec redemptione reconciliare filium, nisi Princeps acceptaret.

50 *Rursùs D. Augustinus* 13. *de Trinit. cap.*14. vbi quærit, quomodò Christus dicatur resurrexisse propter iustificationem nostram, & elegantissimè soluens difficultatem, ostendit, quàm sapienter Deus voluerit vti iustitia, & potentia ad redimendum nos; cuius verba sunt ista: *Quæ est igitur iustitia, qua victus est Diabolus; quæ nisi iustitia Christi; & quomodò victus est, quia, cùm in eo nihil morte dignum inueniret, occidit eum tamen, & vtique iustum est, vt debitores, quos tenebat, liberè dimittantur in eum credentes, quem sinè vllo debito occidit*; hoc est, quòd iustificari dicimur in Christi sanguine, &c. post verò in resurrectione secuta est potentia, qua reuixit mortuus, nūquàm postea moriturus, sed nonnè iure æquissimo vinceretur Diabolus, si potentia tantùm Christus cum illo agere voluisset; vtiquè id postposuit Christus, quod potuit, vt priùs ageret, quod oportuit; iustitia ergo humilitatis hominum liberauit, quem sola potentia æquissimè liberare potuit. *Hæc sufficiant pro prima parte Propositionis.*

51 *Probatur secunda pars, nempè quòd Scotus id senserit.* Primò per ipsum *in* 3. *dist.*19. *qu. vnica,* vbi passionem Christi vocat metaphoricè medicinam. Arguo sic: medicina naturalis non medetur, nisi habeat virtutem liberandi infirmum ab infirmitate; ergo nec passio Christi est moralis medicina ad redimendum, nisi habeat virtutem in se, vndè possit redimere. *Secundò ibidem dist.*20. §.*contra ea, quæ &c.* (reijciendo opinionem asserentem fuisse necessarium, genus humanum redimi passione Christi: quia non satisfacit quis Deo, nisi offerat Deo aliquid maius formaliter, quàm pro quo peccare non debuit) ait Scotus: *Credo: quod hoc non est verum; non enim oportuit, satisfactionem pro peccato primi hominis excedere totam Creaturam formaliter in magnitudine, & perfectione; suffecisset enim obtulisse Deo maius bonum, quàm fuerit malum illius hominis peccantis.*

52 *Tertiò ex* 3. *dist.* 3. *qu.* 1. vbi quærit, *an Beata virgo contraxerit peccatum originale*, & ibi citat D. Thomam pro parte affirmatiua, quia Christus fuit Redemptor vniuersalis, & omnibus aperuit ianuam; sed si Beata Virgo non contraxisset, &c. non indiguisset

guisset Christo Redemptore: ergo, &c. Scotus ibi §. *contra primam rationem, &c.* argumentatur contra hanc rationem ex excellentia filij sui in quantum Redemptor; reconciliator, & mediator, ita. *Perfectissimus enim mediator habet perfectissimum actũ mediandi respectũ alicuius personæ, pro qua mediat; sed Christus est perfectissimus mediator: ergo, &c.* Hæc ratio ita probatur de Christo, inquantùm perfectissimus Redemptor, sicut etiam inquãtùm perfectissimus mediator, & reconciliator; sunt enim officia distincta Redemptoris, reconciliatoris, & mediatoris; verùm quia in ratione D. Thomæ inferebatur, quòd Christus non fuisset Redemptor Beatæ Virginis; oportet consequenter dicere, quòd Scotus velit probare, Christum fuisse perfectissimum Redemptorem; sicut probat, quòd fuerit perfectissimus reconciliator, & mediator; sed perfectissimus Redemptor est ille, qui satisfacit de condigno, & secundùm rigorem iustitiæ: ergo Christus per modum redemptionis satisfecit rigorosè. *Quartò* probatur, & ratio sumitur *ex 4. dist. 15. qu. 1. §. de secundo, &c. lit. B. vers. contra.* Sic enim argumentatur: *Satisfactio est redditio æquiualentis pro æquiualente; sed quantum malum fuit peccatum auertens à Deo, tantum bonum est conuersio ad Deum ex charitate;* subsumo minorem: Christus obtulit pro nostra redemptione multos actus, & acceptatio nem passionis ex charitate, ergo reddidit æquiualẽs pro æquiualenti: ergo satisfecit rigorosè. *Denique* secundùm omnes Theologos (quibus non contradicit Scotus, nec directè, nec indirectè) Christus fuit Redemptor, & perfectissimè redemit secundùm Scotum: ergo perfectissimè satisfecit.

## PROPOSITIO DECIMA.

### *Christus perfectè reparauit damna generis humani.*

53 PRobatur eadem authoritate superiùs allegata ad Rom. cap. 5. nu. 15. *Non enim sicut delictum, ita & donum;* sed vbi abundauit delictum, superabundauit & gratia, vt sicut regnauit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per iustitiam in vitam æternam per Iesum Christum Dei Verbum. Concilium Tridẽtinum sessione 6. declarat, quomodò iustitia, & meritum Christi in Sacramento regenerationis abstulit totum id, quod ha-

habet veram,& propriam rationem peccati, relicta tamen pœna peccati, nempè morte,& relicto fomite, ac multis alijs, quæ deseruiunt ad exercitationem,& sunt materia virtutis. Hoc est etiam, quod notauit Ecclesia; *ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret*; hoc est, quod dicit D.Leo sermone primo de Natiuit. Domini: *agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & Diuinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conuersatione redire*. Tandem potest probari propositio nostra hac ratione: homo per peccatum læsus fuit in corpore, & anima ex bonis gratiæ,& famæ: Sed Christus reparauit damna corporis, inquãtùm meruit nostram resurrectionem; damna animæ, inquàntùm meruit nobis primam gratiam, & damna famæ, inquantùm meruit nobis adoptionem filiorum, & vt essemus sub ipso capite: ergo &c.

## PROPOSITIO VNDECIMA.

### *Ad Christi satisfactionem fuit necessaria Diuina acceptatio.*

54 PRopositionem hanc supra tetigimus,& probauimus varijs rationibus. Illis adde has. Est de fide dicere, quòd Christus satisfecit ꝑ humano genere; aut igitur satisfecit, quia Deus acceptauit opus exhibitum à Christo, aut Deus acceptauit, quia opus per se erat acceptãdũ, vt satisfactorium; non est dicendum secundum: ergo primum. Probatur minor: nullus potest satisfacere pro iniuria alteri illata, nisi offensus acceptet; sed satisfactio Christi fuit pro iniuria Deo facta: ergo satisfactio Christi nõ fuit satisfactio, nisi quia à Deo acceptata. Probatur maior,& est argumentum principale. In crimine læsæ Maiestatis, nullo pacto potest satisfieri, nisi Maiestas læsa acceptet satisfactionem: sed peccatũ mortale est crimen læsæ Maiestatis; ergo satisfactio nõ est satisfactio, nisi Deus acceptet.

55 *Succedat altera ratio*: plus requiritur ad satisfaciendum pro alio, quàm ad merendum, & maximè in subiecta materia, quando satisfactio est pro peccato; sed opera Christi non fuerunt meritoria, nisi quia à Deo accepta; ergo nec satisfactoria, nisi quia accepta. Maior probatur, ad merendum sufficit opus volũtatis,& gratia; at ad satisfacien-

ciendum pro peccato, & requiritur opus bonum voluntatis, & gratia, & commensuratio operis ad debitum: ergo &c. *Item*: nostra satisfactio facta Deo pro peccato conuenit cum satisfactione humana secundùm iustitiam punitiuam, siuè vindicatiuam criminalem; imò hæc iustitia est quædam participatio iustitiæ Diuinæ: sed per iustitiam vindicatiuam humanam non potest satisfieri ab innocente pro reo, nisi Princeps acceptet; ergo nec satisfactio Christi fuit satisfactio, nisi quia Deus acceptauit: quia etiam illa satisfactio Christi fuit quædam specialis satisfactio, quia specialiter accepta; nam Princeps non potest sinè iniustitia acceptare mortem innocentis pro reo: quia Deus hoc prohibet: ergo satisfactio Christi eatenùs fuit iusta, quia iustè acceptata.

56 *Item*, si passio Christi fuit satisfactoria, quia erat acceptabilis, minùs fuisset satisfactoria, quàm credimus: ergo, &c. probatur sequela: acceptabilitas operis Christi aut sumitur à valore charitatis, aut à dignitate satisfacientis; si à valore charitatis, habetur intentum, quia tanti valoris est opus elicitum à charitate, quantum Deus vult acceptare; si à dignitate satisfacientis. *Contra*; maius bonum est opus ex charitate factum, quàm ex dignitate facientis; sed illud est bonum, quia acceptum: ergo & istud. *Vel si neges*, quòd istud sit bonum, quia acceptum, inferam, quòd erit minus bonum; primum enim est intrinsecè, & essentialiter bonum, secũdum verò extrinsecè, & per quandam relationem, quæ relatio non est principium formale elicitiuum boni operis. Præterea, qui tenent, Christum satisfecisse rigorosè pro iniuria, dicunt, satisfactionem acceptari propter dignitatem satisfacientis: si ita est, ergo frustrà fuit collata animæ Christi gratia habitualis, quia gratia personalis reddebat acceptabile opus Christi.

57 *Sancta Romana Ecclesia* in Missali statim post actionem, *offerimus* (inquit) *preclaræ Maiestati tuæ de tuis donis, ac datis; hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ; supra quæ propitio, ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel, & sacrificium Patriarchæ nostri Abrahæ, & quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech*. Subsumo; ad quid postulat Ecclesia, Deum acceptare id, quod per se est acceptabile? ad quid comparatur sacrificium Christi cum oblationibus, vel etiam cum sacrificijs Abel, Abrahæ, & Melchisedech, si pro dignitate sacrificij, & hostiæ Christi est acceptabile? non est quoddam exina-

nire excellentiam sacrificij Christi? *Item* eadem Ecclesia Romana in Missali, & Breuiario, in sacrificio Missæ, & in horis Canonicis, diurnis pariter, & nocturnis: *Dominica* 18. *post Pentecosten in Collecta* dicit: *dirigat corda nostra, quæsumus Domine, tuæ miserationis operatio, quia tibi sinè te placere non possumus*; ergo nihil Deo placet, nisi quod ipse Deus acceptat.

58 Essent aliæ authoritates ex Collectis, quibus vtitur Sancta Romana Ecclesia, maximè in secretis orationibus Missarum, quas prætermitto, contentus supradictis, quia possent respondere aliqui, quòd in sacrificio considerandum est opus oblatum, & opus offerentis; quando precatur Ecclesia pro acceptatione sacrificij, dicerent, eam precari, vt acceptetur opus offerentis, non autem opus oblatum, quia (dicerent) opus oblatum est acceptabile de se. Hanc responsionem non debent adducere ad authoritatem præcedentem; quia constat, quòd Ecclesia orat, Hostiam acceptari, & panem sanctum, & calicem salutis, & loquitur, vt patet, de re oblata.

# PROPOSITIO DVODECIMA.

## *Pro iniuria Deo facta à peccatore non potest satisfieri Deo secundùm rigorem iustitiæ, circumscripta acceptatione Diuina.*

59 Propositio hæc clara redditur ex supra probatis. Nunc de nouo probatur. Si posset satisfieri iniuriæ Deo factæ per opus acceptabile ex natura sua, talis iniuria non esset summa; consequens est falsum: ergo &c. Probatur consequentia; maior est culpa, & iniuria, quæ non potest aboleri satisfactione rigorosa, sed gratiosa tantùm; ergo si dicatur, quòd potuit aboleri satisfactione rigorosa propter excellentiam, & dignitatem satisfacientis, & hoc pacto fuit satisfactoria passio Christi. *Contrà ita argumentor*: per solutionem creditoris non satisfit rigorosè in causa criminali: sed dignitas personalis Christi fuit dignitas creditoris, & non debitoris; ergo per illam dignitatem non est satisfactum rigorosè. Notanter dixi *in causa criminali*: quia Caietanus super 3. *par. D.Th. qu.*48. *art.*2. hallucinatur, & cum ipso multi alij, vt patet in exemplo ipsius; inquit enim:

*Ad.*

*Aduerte hic, quòd aliquid exhibitum offenso dupliciter potest satisfacere. Primò ex gratia offensi acceptantis illud exhibitum pro sufficienti, quamuis illud in se non esset sufficiens pro satisfactione, sicut si Rex pro iniuria sibi facta acceptet solam petitionem veniæ. Alio modo ex sufficientia ipsius rei exhibitæ; quia scilicet illud exhibitum est secundùm se tantæ bonitatis, amabilitatis, dignitatis, & excellentiæ, vt adæquet offensam, aut excedat; vt si pro offensa debetur libra Argenti, & daretur libra Auri.* Hic Caietanus confundit acceptationem satisfactionis ciuilis cum criminali suprema.

60 *Accedat altera ratio* pro nostra propositione. Si dignitas offerentis sufficeret ad satisfactionem rigorosam, Christus gratis, vel etiam frustrà mortuus esset; consequens est hæreticum: ergo &c. *Sit tale argumentum.* Qui exhibet offenso id, quod magis diligit, quàm oderit offensam, satifacit rigorosè: sed Christus ab instanti suæ conceptionis vsque ad passionem exclusiuè innumera propemodùm bona attulit Deo, quorum quodlibet propter dignitatem illius personæ erat magis diligibile, quàm esset odibilis omnis offensa Deo facta: ergo frustrà mortuus est. *Item,* Deus minùs exigit de satisfactione, quàm culpa meretur; ad quid ergo voluit, Christum tanta pati?

# PROPOSITIO TERTIADECIMA:

## *Adducuntur, & soluuntur impugnantia nostras propositiones.*

61 PRimò *Eminentissimus Bellarminus* ita arguit: si humana persona pro nobis satisfecisset, non ex rigore iustitiæ satisfecisset, ac propterea non fuisset necessaria Incarnatio, & sinè persona Diuina ex rigore iustitiæ satisfecisset. *Concedimus,* quòd humana persona non satisfecisset rigorosè; cùm dicitur: ergo non fuit necessaria Incarnatio; concedo simpliciter; fuit tamen necessaria ex suppositione, quia à Deo promissa. *Secundò dico,* quòd Incarnatio fuit congrua, quia multò meliùs satisfit Diuinæ iustitiæ per opera habentia valorem aliquem à dignitate personæ. *Tertiò dico,* quòd si non fuit necessaria ad satisfactionem rigorosam pro iniuria facta Deo, fuit tamen necessaria ad perfectã redemptionem hominis.

62 Sec-

62 *Secundum argumentum.* Lutherani putant, opera bona non esse verè bona, si examinentur iuxta legem Diuinam, imò esse peccata, & iniuriosa meritis Christi, & est sententia hæretica; ergo oppositum est catholicum: ergo sententia dicens, bona opera Christi esse satisfactoria, quia accepta à Deo, eodem pondere examinat opera Christi cum operibus nostris; ergo opera Christi ex se fuerunt acceptāda. *Respondetur:* imò (quia Lutherani negant bonitatem operum nostrorum, in quantum examinantur iuxta Diuinam acceptationem) hoc argumentum militat pro nobis, nec tamen sequitur, opera nostra esse iniuriosa, quia Christus non solùm meruit nobis remissionem culpæ, & adoptionem filiorum, sed meruit etiam nobis acceptabilitatem nostrorum operum. Nec indè sequitur, quòd opera Christi cum nostris ponderentur ad æquilibrium, vt intendit argumentum: quia opera Christi erant acceptabilia, quatenùs procedebant à perfectiori charitate, & à dignitate suæ personæ.

63 *Tertium argumentum.* Filio ratione personæ tantùm debetur aliquid de iure, quod non debetur extraneo: sed si extraneus satisfecisset pro nobis, satisfecisset imperfectè: ergo ex quo Christus erat filius, & non adoptiuus, satisfaciendo pro nobis, satisfecit perfectè de condigno, & secundùm rigorem iustitiæ. *Respōdetur,* quòd filio nihil debetur de iure ratione personę, nisi propria eius hæreditas, & si aliquid acquirit iure castrensi, vel quasi castrensi, quidquid sit illud, quod acquirit, non est illi retribuendum ratione dignitatis personalis, sed ratione meriti. Christo igitur debebatur hæreditas, hoc est, vita æterna, iure filiationis, & dignitatis; sed non debebatur remissio debiti alieni iure dignitatis personalis, idcircò quòd huiusmodi remissionem meruerit, hoc fuit ex gratia Dei acceptantis.

64 *Quartum argumentum.* Dei est respicere dignitatem personæ, plus, quàm valorem operis; sed valorem operis acceptat ex Iustitia: ergo dignitatem personæ multò magis acceptat ex iustitia. Probatur maior per illud Gen. cap. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, & ad Cain autem, & ad munera eius non respexit;* vbi Patres animaduertunt ad litteram, quòd Deus priùs respexit ad Abel, quàm ad munera. Minor etiam probatur per illud secūdæ ad Timotheum: *In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ:* ergo &c. *Ad authoritatem Genesis* respondeo, quòd ibi tria sunt consideranda. Primum est dignitas personalis, hoc est, innocentia Abel. Secundum charitas ipsius Abel erga Deum. Tertium, materia oblationis.

Scrip-

Scriptura comparat secundum ad tertium, dicens, Deum non respexisse primogenita gregis Abel, quæ obtulit, nisi quia respexit charitatem offerentis; idcircò posset negari maior: Admissa tamen propositione, dico, quòd Deus aliqua respicit sibi oblata, tanquàm cultu religionis, & sic primò, & plus respicit personam. Aliquando respicit sibi oblata iure satisfactionis, & hoc pacto tantus est valor satisfactionis, quanta est acceptatio Diuina; verum est tamen, quòd pro dignitate satisfacientis oblatio est de congruo acceptabilior. Est ad propositum, quod adducitur hìc de corona iustitiæ, quia huiusmodi corona in sensu D. Pauli erat vita æterna sibi reddenda, quæ præsupponebat satisfactionem de iniuria facta Deo, quam satisfactionem Deus acceptauerat ex gratia, & semel pro semper. *Animaduertat lector*, quòd termini bonorum operum aliquando sunt recuperatio gratiæ amissæ; aliquando redemptio à captiuitate, aliquando satisfactio pro iniuria.

65 *Quintum argumentum*. Quicumque meretur ablationem peccati, meretur satisfactionem de iniuria; sed Christus meruit ablationem peccatorum secundùm rigorem iustitiæ: ergo meruit secundùm rigorem iustitiæ satisfactionem pro iniuria. Maior est manifesta; probatur minor à D. Paulo Hebræorum 10. nu. 14. *vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos*, & nu. 17. *peccatorum, & iniquitatum eorum iam nõ recordabor ampliùs*, & cap. 9. nu. 13. vbi argumentatur: *Si enim sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis; quantò magis sanguis Christi, &c. emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis*? Respondetur, negando minorem, scilicet quòd abstulerit rigorosè peccata; & quòd ita sit de mente eiusdem Apostoli, patet eodem cap. 9. nu. 15. ad Hebræos, vbi continuando ad præcedentia, inquit: *Et ideò noui testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt æternæ hereditatis*. Hìc satìs constat, Apostolum non loqui de rigorosa satisfactione.

66 *Sextum argumentum*. Capite 7. ad Hebræos nu. 26. *talis enim (inquit Paulus) decebat, vt nobis esset Pontifex. Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior Cælis factus, qui non habet necessitatem quotidiè (quemadmodùm Sacerdotes), priùs pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi: hoc enim fecit, semel seipsũ offerẽdo; lex enim homines cõstituit Sacerdotes, infirmitatem habentes, &c.* Item ad Coloss. cap. 2. nu. 13. *Et vos cum mortui essetis in delictis, & præputio carnis*

*ve-*

*vestræ conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delēs quòd aduersùs nos erat chirographum Decreti, quod erat contrarium nobis, & ipsum tulit de medio affigens illud Cruci, & expolians principatus, & potestates traduxit confidenter palàm triumphans illos in semetipso.* Respondetur, quod vtraque illarum authoritatum valet ad concludendum satisfactionem factam à Christo; sed neutra concludit hunc modum, qui est satisfacere rigorosè, quin potiùs illa *ad Coloss.* cōcludit, quòd satisfactio fuerit ex gratia, cùm dicit: *donans nobis omnia delicta, & delens chirographum, &c.* Si donauit: ergo ex gratia; si deleuit, ergo ex benignitate: etenim in calculis rationalibus, si apparet solutio debiti; non est necesse delere chirographum; conferendo enim accepta datis, statim patet solutio; vbi tamen quis non exigit solutionem, quia est impossibilis, acceptando ex gratia aliquid pro integra satisfactione, delet chirographum.

67 *Septimum argumentum.* Augustinus 10. de Trinitate cap. 10. vsque ad 14. *Ideò autem potentia vincere noluit. (nempè Christus), quia Diabolus vitio peruersitatis suæ amator est potentiæ, & desertor, oppugnatorquè iustitiæ, in quo homines magis eum imitantur, qui neglecta iustitia potentiæ magis student, eiusquè vel adeptione lætantur, vel cupiditate inflammantur, ideòque placuit Deo, vt non potentia, sed iustitia vincens, hominem erueret.* Hæc Augustinus. *Vt Respondeamus*, dico, quòd duplex est iustitia, scilicet possibilis, & rigorosa; non dicit Augustinus, quòd Christus liberauerit hominem rigorosa iustitia; magna tamen iustitia est exhibere, quod potest pro satisfactione, quamuis exhibitum non adæquet debitum. *Secundò dico*, quòd Augustinus loquitur non de satisfactione, sed de liberatione; & cōcedo, quòd Christus liberauit, & redemit iustè, & rigorosè; qua responsione satisfieret etiam authoritati *D. Leonis ser. de Natiuit. Domini*, vbi loquens de victoria Christi post bellum initum contra Diabolum, & de ipso bello, inquit, *quòd Deus naturam generis assumpsit humani, vt inuentor Diabolus per ipsam, qua vinceret, vinceretur; in quo conflicto pro nobis inito magno, & mirabili æquitatis iure certatum est, &c.* Ex cuius verbis constat, ipsum non loqui de satisfactione facta pro iniuria Dei, sed de pugna cum Diabolo, vel de satisfactione redēptiua; diceret etiam Iurista, æquitatem valdè distare à rigore iustitiæ. Leo loquitur de iure æquitatis, vel, vt alij dicerent, de iure congrui. *Tertiò* diceret, quòd etiamsi Christus liberasset hominem potentia suæ Diuinitatis, iustè liberasset, quia per potentiā Diuinam est Dominus omnis creaturæ; Dominus autem quidquid faciat de creatura, iustè facit.

cit. Arridet huic doctrinæ idem *Augustinus vbi supra cap.* 14. dicens: *Sed nonnè iure æquissimo vinceretur Diabolus, si potentia tantùm Christus cum illo agere voluisset? Vtique postposuit Christus, quod potuit, vt priùs ageret, quod oportuit. Iustitia ergo humilitatis hominem liberauit, quem sola potentia æquissimè liberare potuit.*

68 *Andreas Vega* adducit, D. Paulum ad Rom. 3. n. 25. de Christo dicentem: *quem proposuit Deus propitiatorem per fidem ad ostensionem iustitiæ suæ.* Sed respondeo, quòd iustitia ostenditur, dùm ostēditur iniuria facta Deo, quæ talis est, ac tanta, vt nulla sit recompensatio adæquās debitum. Adducit etiam illud ad Rom. 5. nu. 18. *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ.* Argumentaturquè sic: nulla esset comparatio peccati Adæ cum iustitia Christi, si non satisfaciat Christus rigorosè. Probatur assumptum, quia Adam ex iustitia omnes condemnauit: ergo Christus ex iustitia omnes iustificauit. *Respondeo*: iniustitia Adæ, qua omnes condemnauit, non erat ex sua natura talis iniustitia, qua omnes damnaremur; sed ex voluntate Diuina prohibente esum ligni cum hac conditione; sicut omnes Theologi confitentur. Ita etiam iustitia Christi diceretur comparari ad iniustitiā, quòd etsi non sit talis, ac tanta, vt de rigore sit acceptabilis pro satisfactione, est tamen talis, ac tanta, quòd Deus vult illam acceptare, & esse satisfactoriam. *Dico tamen meliùs*, quòd comparatio D. Pauli inter iustitiam Christi, & iniustitiā Adæ consistit in hoc, vt patet ibidem, quòd sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per vnius obedientiam iusti cōstituuntur multi. Comparatur igitur obedientia inobedientiæ, iustitia iniustitiæ; & quemadmodùm ab vnius iniustitia, & inobedientia deriuauit peccatum in omnes, sic ab vnius iustitia, & obedientia deriuauit sanctificatio, & iustificatio.

69 *Octauum argumentum*. Augustinus ita dicit: *Melior fuit vita Christi, & maius bonum, quàm fuerunt peccata hominum, quia Christi fuit vita Dei*: ergo erat acceptanda, tanquàm vita Dei. *Respondeo*, quòd vita Christi humana erat acceptanda; & quia erat vnita personæ Diuinæ, dicitur vita Dei, & sic etiam erat acceptanda; sed non ex rigore iustitiæ; si autem per *vitam Dei* intelligatur ipsa Diuinitas, constat, quòd per Diuinitatem Christus non meruit, nec satisfecit, quia ipse Deus sibimetipsi satisfecisset per seipsum, quod est nihil; nec Christus satisfecisset ex proprijs, sed ex his, quæ sunt Dei. *Sed potest replicari secundùm ipsum*: si Pater soluendo

dotem filiæ potest eandem dotem acceptare à Genero pro solutione debiti contracti ante nuptias; quare non potest Deus recipere sua, sed collata homini iure satisfactionis? *Respondetur,* quòd satisfactio, de qua loquitur, non est ciuilis, sed criminalis; hoc autem argumentum procedit per locum à simili in causa ciuili. *Secundò dico,* admittendo similitudinem; nàm sicut Pater nō tenetur tradere filiam, & dotem illi Genero, sed ex suo beneplacito tradit, ita Deus ex beneplacito suo semetipsum dedit homini, & propter hoc beneplacitum acceptat valorem operis prouenientem à dignitate personæ; in hoc tamen casu non relucet rigor iustitiæ.

70 *Nonum argumentum.* Aut nullus potuit satisfacere ex condigno, aut passio Christi potuit; non est dicendum, quòd nullus: ergo ille, qui potuit, fuit Christus sua passione. *Respondeo,* quòd assumitur vnum probandum, dico, quòd nullus de condigno, & solus Christus ex congruo. *Dices*: hoc est vilificare meritum, & dignitatem Christi. *Item* hac oblatione nihil potest dari acceptius; sed homo purus potest satisfacere ex congruo; ergo Deus homo satisfecit ex condigno. *Respondeo,* quòd in satisfactione de congruo dantur gradus; satisfactio Christi, eiusquè oblatio fuerunt in supremo gradu satisfactionis, & acceptabilitatis de congruo.

71 *Decimum argumentum* desumitur ex varijs dictis Scoti. *Scotus 3. sentent. dist. 20 qu. vnica,* in qua quærit, *vtrùm necesse fuerit, genus humanum reparari per passionem Christi?* in corpore quæstionis *lit. D.* de mente propria resoluendo, sic dicit: *Tunc ad quæstionem dico quòd omnia huiusmodi, quæ facta sunt à Christo circa redemptionem nostram, non fuerunt necessaria, nisi præsupposita ordinatione Diuina, quæ sic ordinauit fieri, & tunc tantùm necessitate consequentiæ necessarium fuit Christum pati, sed tamen totum fuit contingens simpliciter, & antecedens, & consequens; vndè credendum est, quòd ille homo passus est propter iustitiam, &c.* & aliquantulùm inferiùs dicit: *Christus igitur volens eos ab errore illo reuocare per opera, & sermones, maluit mori, quàm tacere, quia tunc erat veritas dicenda Iudæis, & ideò pro iustitia mortuus est.* Item paulò inferiùs *vers. si autem volumus* saluando sententiam, & modum respondendi D. Anselmi, concludit, *quòd omnes rationes eiusdem Anselmi* (quibus probat, necesse fuisse, Christū pati pro redemptione nostra) *procedunt, præsupposita ordinatione Diuina, quæ sic ordinauit, hominem redimi, &c. ita quòd Deus ex præordinatione non voluit acceptare pro redemptione hominum, nisi mortem filij sui; nulla tamen necessitas absoluta fuit, vndè in psalmo 129. copiosa apud eum redemptio.* Patet ergo ex his Sco-

Scoti dictis, satisfactionem Christi fuisse ex iustitia. Item *Scotus in 4. dist. 2. qu. 1. §. hinc sequitur Corollarium, &c.* dicit, fuisse opus maximæ iustitiæ acceptare obsequium tàm gratum personæ tàm dilectæ: ergo obsequium Christi ante acceptationem fuit gratum, & acceptabile ex se de rigore iustitiæ, & fuit opus maximæ iustitiæ illud acceptare.

72 *Pro responsione moneo*, quòd *Scotus in 4. dist. 46.* quærens, *an in Deo sit iustitia*, respondendo *ad tertium*, dicit, quòd *Deus non simpliciter est debitor, nisi bonitati suæ, vt diligat eam. Creaturis autem est debitor ex libertate sua*, quòd est dicere, Deum esse debitorem ex pacto, & promissione. *Ex qua doctrina colligo*, duplicem iustitiam Deo assignari posse, absolutam scilicet, & côditionatam. *Prima est*, qua Diuina voluntas essentiam suam diligit iustè, adeò quòd, nisi illam diligeret, faceret contra iustitiam absolutam, quæ habet correspondentiam ad rem ex se acceptabilem, & diligibilem infinitè. *Secunda est*, qua voluntas Diuina se conformat suis legibus, & decretis; & ideò cùm ordinauerit acceptare satisfactionem Christi pro peccatis hominum, iustum fuit, vt acceptaret; non quòd necessariò debuerit illam acceptare, ita quòd egisset contra iustitiam suam absolutam, si aliter fecisset, cùm Diuina voluntas nihil ad extra necessariò respiciat, sed sola necessitate consequentiæ, & non consequentis, vt expressè indicat *Scotus in 3. dist. 20. in corpore quæstionis*, dicens in principio: quæ facta sunt à Christo circa redemptionem nostram, non fuerunt necessaria, nisi præsupposita ordinatione Diuina, quæ sic ordinauit fieri, &c. Et in fine ante solutionem argumẽtorum ait: si volumus saluare D. Anselmum, dicamus, quòd omnes rationes suæ procedunt, præsupposita ordinatione Diuina, quæ sic ordinauit, hominem redimi.

73 *Nota*, quòd de mente Scoti possumus admittere, satisfactionem Christi fuisse secundùm rigorem iustitiæ moralis. Hinc duplicem do iustitiam; vnam dico physicam, & ista est independenter à pacto, promissione, & acceptatione. Alteram dico moralem, cuius radices fundantur in acceptatione, & promissione. Ad omnes ergo authoritates desumptas ex Scoto dico, Scotum esse locutum de iustitia morali; non verò de iustitia physica, quæ dicit rigorem iustitiæ.

74 *Vndecimum argumentum*. Si Christus non satisfecisset ex rigore iustitiæ, sed ex Diuina acceptatione: sequeretur, quòd sacrificia veteris legis potuissent sufficienter placare Deum, & satisfacere; consequens est contra illud psalmi 39. nu. 7. *Sacri-*

*ficium, & oblationem noluisti; corpus autem adaptasti mihi, &c.* quem locum citat D. Paulus Hebræorum 10. nu. 5. vt probet, sacrificia illa nō potuisse Deum placare, & ideò fuisse missum filium Dei, vt placaret illum. Consequentia probatur: nàm si satisfactio consisteret in acceptatione, potuisset Deus acceptare sacrificia veteris legis, vt satisfactoria, sicut acceptauit passionem Christi. *Respondetur*, quòd potuisset Deus de potētia absoluta acceptare illa sacrificia, vt sufficientia, sed non de potentia ordinata; quia iam decreuerat, non acceptare, nisi sacrificium Christi ad talem effectum ordinatum. Moneo tamen, quòd in passione Christi fuit congruitas quædam ad acceptationem, quæ non fuit in sacrificijs veteris legis.

75 *Duodecimum argumentum*. Sicut grauitas iniuriæ attenditur ex dignitate personæ offensæ comparatæ ad offendentem, vndè quantò dignior erit persona offensa, & vilior offendens, tantò grauior illa iniuria; ita satisfactio tantò maior erit, quantò dignior erit persona satisfaciēs: cùm igitur persona Christi sit infinita, consequenter infinita pariter erit eius satisfactio. *Confirmatur*, quia ratio satisfactionis consistit in exhibitione eiusdem honoris; honor autem maior censetur, si à persona digniori exhibeatur: igitur, &c. *Respondetur*. Valor satisfactionis desumitur ex dignitate personæ satisfacientis, quando persona illa est intrinsecè capax satisfactionis & meriti; at persona Diuina non est capax satisfactionis, cùm nequeat alteri subijci, neque ad aliud ordinari, quamuis per extrinsecam denominationem dicatur persona filij Dei satisfacere per actiones humanæ naturæ, quam substentabat. Bona responsio; dic: quòd quando natura est aduentitia supposito, eius dignitas non attenditur secūdùm dignitatem suppositi, sed secundùm rationem propriam formalem; vndè sicut, si natura Angeli vniretur supposito lapidis, talis natura non perderet suam dignitatem grandem ob debilem dignitatem suppositi lapidis; ita cùm natura minùs perfecta vnitur digniori supposito, non attenditur eius dignitas ex dignitate suppositi.

# PROPOSITIO QVARTADECIMA.

## *Peccator non facit iniuriam veram Deo, quandocumque peccat: vndè peccatum ex se non continet veram iniustitiam: potest tamen fieri peccatum, quod sit vera iniuria Deo.*

76 INtricatissima difficultas inuoluitur in hac nostra propositione, quæ nu. 99. suadebitur. Ad quam resoluendam necessariò præmittenda sunt nonnulla. *Moneo itaque primò* pro intelligentia dominij, ipsum non posse benè explicari, nisi intelligatur natura iuris. Ius autem, quod hîc accipimus, potest sic explicari: *Vt sit facultas aliquid faciendi, vel obtinendi, vel in eo insistendi, vel aliquo alio modo se habendi: cui si sinè legitima causa contraueniatur, fit iniuria illam legitimam causam habenti, ita vt hoc ius sit, veluti mensura iniuriæ, & quantum illi sinè legitima causa præiudicetur, tantum fiat iniuriæ.* v.g. facultas, qua aliquis potest in domo sua, vel in via publica ambulare, est ius, cui si sinè legitima causa contraueniatur, fit iniuria illam habenti. Ius autem se extendit ad omnia illa, nimirùm ad faciendum, vel obtinendum, vel insistendum, vel aliquo alio modo habendū aliquid: qui enim habet aliquod, quod suum est, potest circa illud facere, quidquid vult, & si sinè legitima causa prohibeatur, nè hoc faciat, fit illi iniuria. Similiter, qui aliquid commodauit alteri, habet ius illud recuperandi, & obtinendi; & qui potest emere aliquid, habet ius obtinendi illud; qui etiam potest insistere in aliquo, & perseuerare, habet ius insistendi, & sic de alijs.

77 *Diximus* autem (*si sinè legitima causa impeditur*), quia si causa sit legitima, potest quis impediri à suo iure, & nullam illi fieri iniuriam, sicut potest prohiberi ebrius, aut furiosus, nè recipiat suum ensem sinè vlla iniuria. Quare ius nihil aliud est, formaliter, & metaphysicè loquendo, quàm habitudo, vel quędam relatio personæ, à qua habetur tale ius, ad id, ad quod habetur, cui fit iniuria, si, manente illo iure, impeditur sinè legitima causa. Si enim auferretur illi ius, nulla fieret iniuria. Vt si quis à suo procuratore auferat ius, quod illi concesserat ad tempus, nullam

lam facit iniuriam. Quòd si, manente iure, impediat sinè legitima causa, nè illo vtatur, tunc facit iniuriam: vndè facere iniuriam, supponit ius, etsi ius explicetur per hoc, quòd fiat iniuria, hoc tamen est à posteriori. Non est tamen necessarium, vt ille, qui habet ius, semper quando vtitur illo, exerceat actum iustitiæ, estò ille, qui hoc ius impedit, faciat actum iustitiæ.

78 *Moneo secundò*, quòd ius, quod facit ad nostram rem, duplex est, nimirùm, *ius in rem*, *& ius ad rem*. Ius autem hìc sumitur pro facultate sic agendi, quæ impediri non potest sinè legitima causa, & sinè iniuria illius, in quo est. *Ius in rem* dicitur, dùm qui hoc iure gaudet, potest rem illam sibi vendicare, vbicumque illa sit, & cuiuscumque in manus venerit, itaut quisquis rem illam acceperit, teneatur eam Domino restituere. *Ius ad rem* est illud, vi cuius res non est tali modo illi deuincta personæ, in qua est tale ius: *sit exemplum*. Carolus à Ludouico emit equum centum aureis, persoluit pretium, sed equus nondùm est traditus; tunc ergo Carolus nōdùm est equi Dominus, habet quidem ius ad equum, sed non in equum, defectu traditionis; quare si tunc pereat equus, perit venditori, non emptori, qui tamen emptori periret, si facta fuisset traditio; sed si Ludouicus eundem equum rursùs Socrati vendat, & tradat, non potest Carolus à Socrate equum, quem emerat, repetere, quòd tamen posset, si haberet ius in rem: hinc, vt aiunt Iurisconsulti, tunc quidem locus est actioni personali, sed non reali: hoc est, primus emptor agere potest cōtra personam venditoris, sed nō potest rem ipsam sibi vendicare, quia non fuit illius Dominus. *Itaque dominium est ius in rem.*

79 *Dominium dicitur dupliciter*, primò latè, prout complectitur vsufructum, vsum, & cæteras aliquid habendi rationes, quo sensu nihil aliud est, quàm ius gubernandi, administrandi, vel quolibet modo disponendi de re aliqua, tanquàm sua, hocquè modo dominium duplex est, vnum *Publicum*, *& Ciuile*, quale habet Princeps in suo Regno tùm erga subditos, tùm erga redditus publicos, quibus duobus ad commodum publicum vti potest: alterum est *Aeconomicum*, quod vel respicit personas familiæ, vel res ipsas: si respicit personas, vel est *Paternum*, hoc est, patris in liberos, quod ad liberorum educationem maximè comparatum est: vel est *Maritale*, quod ad mutuam coniugum vtilitatem refertur: vel est *Herile, seù Dispoticum*, idest Domini in seruos, quod per se tendit in vtilitatem Domini, non seruorum; si verò respicit res ipsas familiæ, hæ quidem in familiæ totius, sed præsertim capitis bonum

num institutæ sunt: hocquè dominium *Acconomicum* in res ipsas duplex est; primum dicitur *Plenum*, quod continet proprietatem rei, & commodum eius: alterum est *Imperfectum*, quod nempè, vel continet tantùm proprietatem sine fructibus, & emolumentis: vel emolumenta sine re ipsa. Imperfectum subdiuiditur in *Directum*, & *Vtile*. Directum est, quod solam rei proprietatem includit, quale dominiũ habet Princeps in suis pheudis, in prædio ad emphiteusim dato, & filiusfamilias in bonis ipsi aduentitijs; nondùm tamen emancipatus: *Vtile* est, quod sola rei emolumenta spectat, quale dominium habet vsufructuarius, pheudatarius, & cæteri huiusmodi.

80 *Dominium autem* propriè sũptum discrepat à dominio iurisdictionis, Paterno, maritali, & imperfecto, præsertim verò ab vtili, quare debet esse, vel plenum, vel saltem directum, si de dominio rerum sermo sit: si verò de dominio circa personas, debet esse *Herile*, dicitur enim à domando, quòd nempè Dominus propriè dictus, res, & personas, quarum est Dominus, perfectè domet, sibiquè subijciat. *Rursùs* dominium aliter diuiditur *in Altum*, & *Humile*. *Altum* est iurisdictionis, quod vel in iure gubernandi consistit, vel in proprietate; sic Deus gaudet altissimo dominio, non tantùm iurisdictionis, sed etiam proprietatis in omnes penitùs creaturas; sic & Communitas respectù bonorum, quæ ipsi propria sunt. *Dominium Humile seù vulgare*, vel est *Naturale*, vel *Positiuum*: quilibet homo suorum actuum liberorum est Dominus naturalis: at verò Positiuum est, quod introductum est libera hominum voluntate, hocquè vel *Commune est, vel particulare*. Cõmune est in oppidanis respectù communium, puta Pratorum, Montium, Paludum, Fontium, &c. *Particulare* est, quod particulariter personæ conuenit ex titulo speciali.

81 *Denique dominium* propriè dictum, prout à cæteris speciebus iuris distinguitur, definitur: *Ius, seù potestas re aliqua vtendi, tùm abutendi, quatenùs lege permittitur*. Aliter definitur ius in rem, extendens se ad quemlibet eius vsum, & dispositionem, nisi lege prohibeatur: quare qui rei alicuius est propriè Dominus, potest suo iure rem illam alienare, vendere, destruere, &c. At vsufructuarius, nec non ille, qui iure emphiteusis aliquid possidet, emolumenta solùm percipere potest, non verò rem ipsam distrahere. Distinguitur etiam dominium propriè dictum à iure politico, & paterno: nam Rex subditis, paterquè liberis potest imperare, sed neuter potest de ijs ad libitum disponere: in definitione additur (*nisi lege prohibea-*

*beatur*) nempè quia per accidens, lege scilicet prohibente, ligatur aliquando ius illud disponendi, nam pupillus, *verbi causa*, res suas alienare non potest, quarum Dominus est: vndè quantùm ad executionem videtur non esse Dominus, vt habet Apostolus ad Galatas 4. Itaque dominij duæ sunt partes integrantes, nempè proprietas, & vsufructus, proprietas respicit rem ipsam, vsufructus respicit rei emolumenta. *Ad pleniorem intelligentiam moueo hoc*

# DVBIVM.

## *An definitiones possessionis, & proprietatis sint legitimè assignatæ.*

82 POssessio *est rei corporalis detentio, corporis, & animi, iuris adminiculo interueniente*. Proprietas *est dominium rei iustis modis acquisitum*.

Probatur, *malã esse definitionẽ possessionis*. Primò raptor habet possessionem rei raptæ, & tamen ea non detinet iuris adminiculo interueniente. Probatur *ex cap. in litteris extra de restitutione spoliatorum,* quo loco dicitur in calce cap. quòd præda, etiãsi possessa, secundũ rigorem iuris est restituenda. *Secundò*, sequitur ex definitione, quòd volens aliquam rem possidere, deberet eam corpore attingere; & tamen secundùm iura, si ante fores cellęuinariæ, vel horrei vendendo vinum, vel frumentum, alicui claues traduntur animo tradendi possessionem illam, jam est adeptus: Et tamen corpore non attingit rem illam. *Tertiò*, si possessio esset rei corporalis detentio: ergo quando Dominus habitat in domo, non haberet eius possessionem, quod est cõtra omnes Doctores.

*Quartò contra definitionem proprietatis*. Vsurarius habet proprietatem, & dominium vsurarum, & tamen non acquisiuit iustis modis; ergo definitio est inepta. Propositio probatur: aliàs enim qui emeret aliquid ab Vsurario esset obnoxius restitutioni, quod esset illaqueare homines. *Quintò*, meretrix habet verum dominium proprietatis, hoc est, pretij meretricij, & tamen non acquisiuit illud modis iustis; ergo, &c. *Ad hæc argumenta respondebitur propositione secunda.*

83 *Pro solutione noto*, quòd hæc nomina, *possessio*, *& proprietas*, dupli-

dupliciter accipi possunt. *Vno modo* pro materia, circa quam hæc iura versantur, & isto modo dicimus, agrum, vel domum esse possessionem, vel proprietatem; & in hoc significato inpræsentiarum non definiuntur. *Secundo modo* accipiuntur pro iure, quo illas acquirimus, & hac ratione vertitur in dubium: *an benè definiantur?* Moneo secundò ex libris Posteriorum, discrimen esse inter definitionem, quæ datur per formam, & eam, quæ datur per causam efficientem: nam prior definitio conuertitur cum suo definito; posterior verò non, loquendo de prædicatione formali, vt apparet in hac descriptione: *Vox est aeris repercussio*; definitio enim hæc prædicatione formali non prædicatur de suo definito semper, propterea quòd aliquo tempore est vox, & permanet transacta aeris repercussione; prædicatur tamen de suo definito prædicatione secū dùm causam. *Nunc circa dubium sit*

# PROPOSITIO PRIMA.

## *Definitio possessionis non est assignata secundùm formam, sed secundùm causam; & ita est bona.*

84 PRobatur ex eo, quòd non recurrant definitum, & definitio: quia potest stare vera possessio absque actuali rei corporeæ detentione, vtpotè, cùm quis post acceptam possessionem domus, ab ea discedit. *Secunda pars probatur*, quia id, quod efficit possessionem, est contactus rei corporeæ, & hoc explicatur à definitione. *Tertia pars propositionis*, hoc est, *quòd definitio sit bona*, probatur ex singularum partium eius explicatione: nam primò, loco generis apponitur *detentio*, & hoc congruè: quia secundùm iura possessio dicitur, quasi pedum positio; perindè enim homo iure acquirit possessionem firmam, ac cum quis pedibus firmiter innititur terræ, quibus totum corpus sustentatur. Secundo loco apponitur *rei corporalis*: nam spiritualia propriè non possidentur, sed quasi possidentur: quia cùm talis detentio nedùm animo, sed corpore effici debeat, & spiritualia corpore attingere non possumus, quia corpus non potest in spiritum agere; cōsequenter, &c. Tertio loco; apponitur, *corporis, & animi*; quia non sufficit internus animi actus ad possessionem explicandam, & exhibendam: quantumuis enim quis velit, cu-

piatquè rem possidere, etiamsi ius ad illam habeat, si actu corporeo rem ipsam aliquo modo non attingat, non extabit possessio. Item siquis corporeo actu contingat rem, non tamen animo illam possidendi, non habebit possessionem illius. *Hinc sequitur*: quòd Bruta, dormientes, & amentes, quia nō habent animum possidendi, quamuis rem contingant, non obtinent eius possessionem. Postremò additur, *iuris adminiculo interueniente*; nam si ius desit, non erit possessio, quantumuis adsit rei detentio, sed erit iusta detentio.

85 *Si quis* tamen vult possessionis exactam definitionem secundùm formam, & quæ complectatur terminum, quem ipsa respicit; hanc accipiat. *Possessio est ius rem corpoream habendi, retinendi, ac eidem insistendi, natum inducere acquisitionem dominij, & eorum, quæ ex eo sequuntur, acquisitum per rei corporeæ detentionem animo, & corpore factam, iuris adminiculo interueniente*. Hanc definitionem componit, & exponit *Conradus Tractatu de contractibus quæst.* 14. *in solutione argumentorum*. Sit

# PROPOSITIO SECVNDA.

## *Definitio proprietatis est bona, & assignatur per causam, cùm dicit, dominium rei iustis modis acquisitum.*

86 TAmetsi definitio hæc cōuertatur cum definitione dominij cōmuniter assignata, tamen secundùm rationem differunt; quia in illa explicantur effectus dominij, in hac verò exponuntur causæ, quibus dominium acquiritur, &c. & nō ad maiorem explicationem, vt sentiebat *Conradus quæst.* 14. *in solutione tertij argumenti*: nam exponit, vt dictum est, ea, quæ longè diuersa sunt ab his, quę in definitione dominij apponũtur.

87 *Nunc ad argumenta* proposita nu. 82. contra prædictas definitiones respondendum est. Ad primum igitur dicimus, raptorum propriè non habere possessionem rapinæ, vel furti. Et ad Decretale in litteris de restitutione spoliatorum. *Respondemus*, Papam, non in fauorem raptorem, vt eis velit possessionem exhiberi, sed in odium spoliantium violenter homines rebus suis, illud statuisse: cùm nemo debeat esse Iudex in causa propria:

pria: vndè vt habet *Glosa ibidem*; quæstio spoliationis est priuilegiata; imò vt sentit Innocentius super illa Decretalia; si per confessionem raptoris constaret, ipsum rem repulsasse, vel constaret ex tempore quis esset verus Dominus, deneganda esset illi possessio; quia nunquàm possedit nec naturaliter, nec ciuiliter, sed solùm habuit iniustam detentionem. Ita apud *Sanctum Antoninum 3. parte, titulo 3. cap. 3. §. 2.* & apud multos ex Summistis, verbo *Possessio.*

88 *Ad secundum argumentum*, vt planè satisfaciamus, moneo, quòd res, quæ sunt subiectæ possessioni, sunt in duplici differentia. *Quædam sunt*, ad quarum possessionem habendam non exigitur voluntas tradentis, vtpotè, quæ sub nullius dominio sint, antequàm habeatur earum possessio, quales sunt aues in aere, pisces in mari, gemmæ, quæ in littore maris apparent: & ad dominium harum habendum, necessaria est illarum detentio, ita quòd corpore, & animo possidendi eas contingantur; quãtumuis enim quis priùs altero hæc videat, vel digito demonstret, si alter priùs ea contingat corpore, & animo possidendi, erit verus illarum possessor. *Aliæ verò* sunt, ad quarum possessionem acquirendam exigitur voluntas tradentis, quales sunt res, quæ dominos destinatos habent, & ita in ijs non est necessarius ipsius rei contactus; sufficit tamen, quòd interueniat aliquis actus corporeus, quo ex voluntate tradentis rem, vt homo habeat possessionem, & ita contingit in hypothesi secundi argumenti; sunt enim varij modi acquirendi possessionem absque actuali contactu ipsiusmet rei, quæ possidetur, de quibus latè agit Hostiensis in Summa, titulo *De causa possessionis.*

89 *Ad tertium argumentum respondetur*, quòd cùm hæc definitio sit assignata per causam efficientem, non oportet, eam prædicari de suo definito prædicatione secundùm formam: nam ipsa possessio non est actualis rei detentio, quin potiùs causa, & ita semel habita, sufficit, vt permaneat possessio.

*Ad quartum respondetur*, vsuram non esse vsurarij proprietatem. Ad probationem cùm dicitur, quòd aliàs non possumus habere contractus cum vsurario. *Respondemus cum dist.* vel vsurarius habet plura bona, quorum restitutioni sit obnoxius, vel non; si plura habet: est etiam distinguendum hoc modo; vel materia circa quã tractatus versatur, versatur domus, v.g. quæquidem reo est ipsissima vsura; hoc est, comparata tãquàm pretium mutui; si ita sit, non potest quis circa illam rem cum vsurario contractus componere; & ratio est: quia dominium illius domus non manet in vsurario,

sed in solo Domino illius, qui illam, tanquàm vsuram, dedit, & vsurarius est iniustus detentor, quamuis habeat vsum facti; & ita non potest in alterum transigere ius dominij, vel vsus, vel vsusfructus illius rei, & non posset excusari à peccato mortali, & restitutione is, qui contractat cum vsurario, nisi ignorantia inuincibili. Si verò est res, quæ vsu consumitur, tunc quia cum vsu illius recedit dominium, si per talem contractum non efficitur vsurarius, tenet. *Et si dicas*, quòd vsurarius per talem contractum non dat pecunias suas, sed alienas. *Respondetur*, quòd ipse non tenetur, eandem secundùm numerum pecuniam restituere; quia sufficit, quòd secundùm arbitrium bonorum virorum tantumdem restituat, sufficit, vt iste, qui contrahit cum illo, tantumdem det vsurario, vt faciat pecuniam suam: si verò per talem contractum efficitur impotens vsurarius ad vsuras persoluendas, non tenet contractus.

90 *Ad Quintum*, concessa propositione, negatur assumptum: nam licèt fornicatio fuerit occasio, propter quam accepit pretium meretrix; tamen causa proxima est pactū inter ipsam, & hominem constitutum: vtpotè, quòd, ea faciente illi copiam sui corporis, ipse teneatur illi soluere tantum pretij: quia licèt illud pactum sit contra charitatem, non tamen est contra iustitiam.

## ALIVD DVBIVM.

### *An vsusfructus, & vsus distinguantur, rectèque definiantur?*

91 VSusfructus *est ius vtendi, fruendiquè alienis rebus, salua eorum substantia*. Vsus est *ius vtendi rebus, salua eorum substantia.*

*Contrà* has definitiones sunt hæc argumenta: Dominus alicuius proprietatis, nisi ei lege vetitum sit, habet vsumfructum, & vsum illius, & tamen non est res aliena, ergo definitio nulla. *Secundò*, quicumque habet ius vtendi, fruendique aliqua re, habet ius vtendi illa: ergo vsusfructus, & vsus non distinguuntur. *Tertiò* Dominus vtilis alicuius proprietatis habet ius vtendi, fruendiquè illa, quæ est res aliena, quia Dominus directus est eius verus Dominus, & salua substantia illius; & tamen non dicitur vsusfructuarius, vel

vsua;

vsuatius: sed Dominus, quia dominium vtile differt ab vsufructu, & vsu, ergo definitio nulla. Horum solutiones nu. 96. & seq.

92 *Vt Respondeamus moneo*, quòd vsusfructus, & vsus accipiuntur dupliciter. *Vno modo* pro simplici actu fruendi, vel vtendi; *alio modo* pro facultate, & potestate hos actus exercendi. Isti modi differunt inter se, perindè atque potentia, & actus: nam potest aliquis habere illam facultatem fruendi, vtendiquè absque eo, quòd actù vtatur, & fruatur, & idem potest quis actum nudum vtendi, vel fruendi, qui dicitur facti, habere absque tali facultate, vt apparet de latrone, qui vtitur re, quam furatus est, absque eo quòd habeat facultatem. *Moneo secundò*, quòd res, quibus homines vtuntur, sunt in duplici differentia; quædā enim vsu non consumuntur, vt domus; equus, &c. Alia verò, quæ vsu consumuntur, vt cibus, pecunia, &c. Si modò in pecunia meditemur illius vsum, eo quòd pecunia est: nam est adinuenta tanquàm mensura, & meta cōmutationis rerum; vsus illius rei est eam consumere, non quòad substantiam: quia manet; sed vt est mensura pretij rerū: nam qui erat eius Dominus, non poterat ea aliter vti, nisi consumat dominium, quod in eam habet.

93 *Moneo tertiò*, quòd vti, & frui in præsentiarum non accipiuntur eo modo, quo à Theologis, hoc est, pro actibus internis, quibus ferimur in aliquas res propter alterum, qui dicuntur vsus, vel tanquàm in vltimum finem, qui dicuntur fruitio; sed accipiuntur pro actibus externis, quibus rei vtilitatem non potest homo in alterum, nisi in seipsum solùm conferre, & isti dicuntur vsus; aut quibus vt in seipsum, & alterum potest vtilitatem rei referre; & isti dicuntur vsusfructus: nam sicut fruitio est rei perfecta, & iucūda possessio, & de sententia Augustini nullius boni sinè socio est iucunda, perfectaquè possessio, ita qui vtilitatem alteri potest conferre, dicitur illa frui, & habere ius in vsumfructū. *Moneo quartò*, quòd vsusfructus dicitur dupliciter, aut secundùm formam, aut secundùm causam; vel, vt Iurisperiti aiunt, *formalis*, *vel causalis*. Dicitur formalis in eo, qui est merus vsusfructuarius; causalis verò in eo, qui habet rei dominium, aut post vsumfructum cui voluerit conferre. *His notatis*, pro dubij solutione.

94 *Primò dico, quòd secundum iura ciuilia bonæ sunt istæ definitiones.* Probatur. Ea definitio est bona, quæ constat ex genere, & differentia: at istæ diffinitiones sunt huiusmodi; ergo sunt bonæ. Probatur: nam primo loco constituuntur genera, hoc est ius; secūdo loco differentiæ apponuntur,

tur. Primum dicitur, *vtendi*, propter eum, qui habet ius in pignus, in quod nō est vsuarius, vel vsusfructuarius, quia non potest illo vti diligentia Domini; additur, *fruendi*, ad differentiam meri vsus. Tertiò ponitur *rebus alienis* ad differentiam Domini, quia aliud propriè non est vsusfructus, nam secundùm iura ciuilia nemini seruit sua res, hoc est, suarum rerum homo Dominus dicitur, quæ denominatio maior est, quàm vsusfructuarius; subiungitur postremo loco, *salua rerum substantia*, propter res, quæ vsu consumuntur; nam istarum non est propriè vsus. *Itidem* etiam potest probari definitio vsus per exempla. Nobis sufficiat hoc. Si Ludouicus præbet Carolo vsum sui agri, potest Carolus fructus agri, & prouentus in suam vtilitatem conuertere, nulla tamen ratione eos potest in alios distrahere, si verò sit vsusfructuarius, potest in suum vsum illos conuertere, & in alios destrahere.

95 *Secundò dico, quòd secundùm iura Canonica, & doctrinam Canonistarum, vt bonæ sint, demendæ sunt duæ particulæ ita quòd ad hunc modum definiantur: vsus est ius vtendi re, vsusfructus est ius vtendi, fruendique re*: est Sancti Antonini 3. *parte, titulo* 3. *cap*. 3. §. 1. & probatur per iura Canonica, in quibus Summi Pontifices docent, rerum, quæ vsu consumũtur, esse vsum, & hominem propria re vti. Probatur etiam ratione naturali: nam vnusquisque re sua vtitur, vt vtens cibo, illum consumit.

*Tertiò dico, quòd quamuis dici possit quòd vsusfructus, & vsus habēt se, tanquā superius, & inferius, tamen ad distinctionem iurium explicandam, & confusionem euitandam, distinguuntur communiter vsusfructus, & vsus, tanquàm duæ species, quæ continentur sub eodem genere, idest, sub iure*. Hoc patet ex communi vsu loquentium.

96 *Respondendum est modò* ad argumenta posita nu. 91. Ad primum igitur respondetur negando maiorem secundùm iura ciuilia, nam ad rationem vsufructuarij, vel vsuarij oportet, rem esse alienam, potest tamen secũdùm hæc iura vocari vsuarius secundùm causam. Si verò loquamur secundùm iura Canonica, concedimus antecedens, & negamus argumentationem, habent enim se tanquàm superius, & inferius: nam omnis Dominus, nisi lege prohibitus sit, est vsusfructuarius, & vsuarius, & non è contra: non tamen sequitur, dominium esse vsumfructum, vel vsum, quia licèt sint idem subiecto quandoque, rationes tamen illorum semper sunt distinctæ. *Ad secundum*, negandum est antecedens; nam ius vtendi, prout habet definitio vsus, est intelligendum præcisum, idest, quòd vsus sit

ius

ius vtendi re præcisè, hoc est, amplius non faciendi præter vsum; & vsusfructus dedit rationem fruendi.

97 *Ad tertium* sunt duæ opiniones respondentium, primam citat Hostiensis in sua Summa *titulo de fraude*, quæ negat, dominium vtile esse quidpiam distinctum, ac separatum ab vsufructu. Hanc opinionem vnico argumento probant: contingit omninò distingui dominium directum, & dominium vtile, & vsumfructum non solùm ratione, sed subiecto: ergo sunt penitùs diuersa. Antecedens probatur, si ex hypothesi constituamus, quòd Petrus sit Dominus directus alicuius proprietatis, & Ioannes Dominus vtilis eiusdem, qui testamentum legauit Socrati filio dominium vtile domus, & Michaeli vsumfructū, tunc & ratione, & subiecto distinguuntur. *Secunda opinio est Conradi qu.* 12. *de Contractibus in solutione duorum argumentorum* dicentis, dominium vtile, & vsumfructum non differre secūdùm proprias rationes, & internas, sed solùm secundùm externas circumstantias; quia dominium vtile potest transferri in alterum per testamentum, vel donationem dotis, vel venditionem ex consensu Domini directi; vsusfructus autem non potest vendi; sed hæc, inquit, externa sunt. *Ista opinio* impugnatur hac ratione: Cùm ius sit relatum, de interna ratione eius erit terminus eius, quia relata dicuntur ad alterum: ergo vbi termini sunt distincti, intrinsecè relata; etiā intrinsecè distinguentur; sed termini iuris, vsusfructus, & iuris dominij vtilis sunt diuersi: ergo intrinsecè differunt. Patet assumptū: nam terminus iuris vsusfructus est solùm vti, vel frui, quia ad ampliora non se extendit, termini dominij vtilis non sunt isti solùm, sed donare, vendere de licentia Domini directi, legare per testamentum, donare dotem: ergo intrinsecè differunt.

98 *Nunc ad argumentum* respondemus negādo antecedens, prout intelligitur in definitione, nam vbi ius vtendi, fruendiquè re, vt intelligitur cum præcisione, ita quòd ad ampliores actus non se extendat, vt dominium vtile ad amplius se extendit, & ita non competit ea definitio. *Quòd si replices*, quòd idipsum potest facere vsusfructuarius, nam, cùm ille sit Dominus huius fructus, potest distrahere, & donare, quia ratio dominij, vt dictum fuit, expostulat, quòd ad libitum possit vti re. *Respondemus ad hoc*, quòd vsusfructuarius sit Dominus, nam dominium, & vsusfructus sunt duæ species, quæ continentur sub eodem genere, & ideò non dicitur Dominus, sed vsusfructuarius; sed non diffitemur, quin fructuum, & prouentuum rerum sit

ve-

verus Dominus, & ita potest illos distrahere, vendere, & donare. Secundò respondere possumus, quòd etiamsi esset Dominus vsusfructus, non sequitur indè, illum posse vendere, donare, & distrahere; nam in definitione dominij postremo loco ponitur, *quocumque vsu lege permisso*; at lex non permittit, imò prohibet, quòd vsusfructuarius, vel vsuarius vendat, distrahat suum ius.

*His præmissis, iam tempus est, vt reuertamur ad nostram propositionem n. 76. in qua dicebamus, quòd*

## *Peccator non facit iniuriam veram Deo, quandocumque peccat, vndè peccatum ex se non continet veram iniustitiam; potest tamen fieri peccatum, quod sit vera iniuria Deo.*

99 PRobatur prima pars. Quia ex opposito sequeretur, quòd in omni peccato esset duplex malitia, & ita quodlibet peccatum esset duo peccata, hoc autem est absurdum: igitur &c. sequela patet: quia in omni peccato est inobedientia, quia fit contra legem Dei, atque adeò est peccatum; quia contra legem: ergo si in eo est ratio iniuriæ, iam est iterùm aliud peccatum iniustitiæ. *Probatur secundò*, præmissa distinctione inter dominium proprietatis, & dominium iurisdictionis, dominium proprietatis est, quòd facit iniuriam, quando violatur, non verò dominium iurisdictionis; commune est exemplum: si Magistratus præcipiat subditis, vt portas domorum occlusas teneant tempore belli, aut pestilentiæ; certè si Magistratus ampliùs circa hoc nil dictet, & seruus eius relinquat portas apertas; erit quidem inobediens, nõ tamen dicetur iniurius; quia Magistratus in illa lege vsus est dominio iurisdictionis tantùm, non verò proprietatis, ratione cuius habet ius in opera serui, quod non habet in alios ciues: Nunc

100 *Tale sit argumentum.* Vt homo sit iniurius Deo, non sufficit, actum esse contra Dei præceptum, sed opus est, vt sit contra Deum imperantem, vel prohibentem aliquid, tanquàm Dominum proprietatis, vtramque potestatem habet in nos Deus, vt licèt possit exigere opera nostra titulo proprietatis, tamen defacto ita non facit, saltem nobis non exprimit; & vbi ipse non exprimit, nos non debemus id præsumere, sed oppositum po-

potiùs. Tùm quia hoc fauorabilius est; tùm quia præcepta Diuina posita sunt per modum legis, quod semper inculcat Scriptura; lex autem est à potestate iurisdictionis. *Confirmatur*, quia Prælatus prohibens religioso esum carnium certo tempore, non præsumitur obligare ex iustitia, sed solùm ex obedientia;& tamen si vellet, posset etiam sic obligare, & reddere esum carnium sequentem, non solùm rebellem, sed etiam iniurium contra votum paupertatis, quia tunc esset contractio rei alienæ: ergo idem dicendum in casu nostro; quod totum patet à paritate.

*Altera ratio*; quia sequeretur, quòd peccator differens pœnitentiam, de nouo peccaret; probatur consequentia, quia teneretur statim pœnitere: nàm qui iniuriam facit auferendo rem alienam, tenetur statim restituere, ita vt mora restitutionis sit nouum peccatum.

## PROPOSITIO QVINTADECIMA.

### *Peccator ex peccato suo quomodocumque non est debitor alicuius reddendi Deo per modum satisfactionis, & reparationis damni ex iustitia commutatiua.*

101 PAtet ex propositione antecedenti; vbi enim non fit vera iniuria, ibi non est debitum redditionis ex iustitia: sed in peccatis quibuslibet contra Deum non fit vera iniuria: ergo, &c. Minor iam ostensa est. Maior est quasi primum principium in hac materia iustitiæ. Hinc enim in exemplo suprapositio, si quid damni patitur herus; qui imperauit seruo, & dominio speciali proprietatis, tenetur seruus reddere æquiualens; ciues autem, si inobedientes fuerint, non tenentur ad restitutionem vllius.

102 *Ad solutionem obiectionum* suppono, partitionem iustitiæ supra notatam. Suppono pro nūc cum cōmuniori sententia Scotistarum *in 4. dist. 46. q. 1. sub. lit. B.* in Deo respectù nostri non esse iustitiam propriè, & simpliciter; cuius rei, illa est ratio, quia scilicet Deus non potest nobis de iure obligari; cuius adhuc vlterior causa est, quia ipse est ita supremus Dominus essentialiter, vt non possit se priuare dominio, nec illud transferre in creaturam,

taliter, quòd Deùs ipse ex iure teneatur creaturæ. Potest quidem, & defacto tenetur nobis multa dare, sed vi pacti sui tantùm, & ex fidelitate, non verò ex iustitia physica.

103 *Quæ pugnant contra nostram primam propositionem sunt ista.* Primum, pugnat contrà nos illud Psalm. 106. n. 17. *propter iniustitias enim suas humiliati sunt*, & alibi passim Scriptura vocat peccata iniustitiam, seù iniuriã; nec præsumendum est, quòd vbique velit abuti vocibus extra proprium sẽsum ad mysticũ, vel minùs litteralem: ergo peccatũ verè facit iniuriam propriè dictam Deo. *Respondetur*, concedendo totum antecedens, & negando consequentiam. Dico ergo, Scripturam non abuti voce ad sensum mysticum, sed vti ea litterali sensu, licet non semper in maximè rigido, aut proprijssima acceptione: est enim peccatum iniuria, quia opponitur iuri, quia ius, seù dominium iurisdictionis est ius, non tamen est tale, cui opponitur summè iniuria; sed huiusmodi est tantùm dominium proprietatis.

104 *Secundum argumentum.* Si peccatum non esset propriè sumpta iniuria: ergo peccator non tenetur satisfacere Deo pro peccatis: obligatio enim satisfactionis est ex debito iustitiæ propriè sumptæ. *Retorqueri potest argumentum*: quia tunc sequeretur, quòd statim post peccatum teneretur peccator pœnitentiam agere: iniurius enim tenetur statim restituere, & ipsa mora est peccatum. *Respondetur ergo*, hoc debitum satisfactionis in peccatore oriri ex alijs capitibus, alterum est præceptum dilectionis, quòd ipsum obligat ad tollenda impedimẽta amicitiæ Diuinæ, quæ sunt peccata. Alterum est præceptum, seù virtus, quæ obligat eum ad suæ salutis procurationem.

105 *Tertium argumentum*: in omni peccato vtitur peccator re aliena, inuito Domino, scilicet vtitur seipso; & suis potentijs, quæ omnia sunt Dei: ergo, &c. *Confirmatur*: quia saltem in homicidio non potest peccator excusari ab iniuria: quia lædit ius Dei notabiliter, & aufert rem etiam à dominio proprietatis Dei: ergo, &c. *Respondetur*, peccatorem non vti his, inuito Deo, vt Dominus proprietatis est, sed vt superior, vel legislator, vndè negatur consequentia. *Ad confirmationem* (quæ etiam locum habet, quando quis occidit iumentum alterius inuiti, quia etiam Deus est Dominus iumenti) *Respondetur*, fieri quidem iniuriam in occisione iumenti, sed fit homini, cui aufertur, non Deo, sicut nec Principi Reipublicæ, verbi gratia, fit iniuria, licèt etiam derogetur dominio eius iumentum occisum. *Præterea*; etiamsi Deus habeat magis propinquum ius, quàm Princeps

ceps Reipublicæ in singulos, tamen non obijcit nobis illud ius volendum, aut seruandum; sed solum ius iurisdictionis.

*Quòd detur peccatum verè iniurium Deo*, patet, & habetur in casu, quo quis læderet æstimationem Dei apud populum notabiliter, quod fieret per peccatum blasphemiæ; est enim illa vera iniuria, & etiam est inhonoratio, aut contemptus Dei actu externo testatus: Hinc deindè fit iniuria personalis, siuè realis, de quo nihil nunc. Vtrobique tenetur peccator ad reparationem honoris Diuini, non tamen ad contritionem, vel pœnitentiam quamprimùm.

# PROPOSITIO SEXTADECIMA.

## *Satisfactio Christi non fuit in materia iustitiæ.*

106 PAtet ex dictis, quia peccata nostra, & specialiter originale, non fuit in materia iustitiæ, vndè sequitur vt supra, quòd non influit debitum satisfactionis ex iustitia commutatiua. *Probatur secundò*; quia estò contraheremus nos debitum satisfaciendi ex mera iustitia, tamen actus Christi, quo se obtulit pro nobis, non fuit ex iustitia: quia actus iustitiæ supponit debitum in agente: sed Christus non erat debitor pœnæ ex Psalmo; *quæ non rapuit, tunc exoluebat*. Hinc confirmatur prior ratio: quia licèt dentur peccata, quæ sunt fortassis veræ iniuriæ contra Deum, vt blasphemia, &c. tamen satisfactio in his debet fieri ab iniurio ipso, & non sufficit, quòd alius honoret personam offensam. *Sit alia ratio.* Quando satisfactio fit ex iustitia, tenetur creditor ad acceptationem eius, vt sit contentus: sed hic ex satisfactione Christi non tenetur creditor acceptare: ergo &c. Maior patet ex communi ratione contractus iustitiæ, vbi est obligatio vtrobique; sicut enim tenetur debitor ponere æqualitatem, seù æquiualentiam acceptam à creditore, ita similiter tenetur creditor non exigere ampliùs, quia ibi cessat ius eius. Minor autem patet: quia creditor hic est Deus optimus maximus, qui nemini obligari potest ex iustitia.

107 *Dices*. Christus non ex misericordia obtulit se pro nobis, sed ex debito: ergo fuit actus iustitiæ. Antecedens probatur: quia habuit debitum moriendi ex præcepto Diuino: ergo, &c. *Respondetur*, quidquid sit pro nunc, transeat antecedens, & negatur

consequentia: ratio est; quia non omne debitum facit, actum sequentem esse iustitiæ actum, sed solùm debitum, quod ipsum est iustitia propriè sumpta; non autem debitum ex obedientia gratitudine, charitate, &c. Christus autem habuit tantùm debitum obedientiæ ex præcepto, vndè &c. *Replicabis*, quòd habuerit debitum propriæ iustitiæ: quia fuit fideiussor pro nobis, & fideiussor tenetur ex iustitia ad debitum soluendum, si minùs id præstet principalis debitor. Antecedens communiter supponitur. *Respondetur*, Christum non fuisse propriè fideiussorem; ratio est, quia fideiussor est, qui se obligat ad solutionem debiti, si ipse debitor non satisfaciat; hic autem contractus non potuit fieri à Christo cum Deo, quia sciuit, hominem nec posse soluere debitum, si vellet, neque si posset, soluturum in re: quia sciuit, Deum decreuisse, vt ab homine innocente, qui non contraheret partem vllam debiti, & haberet præterea vnionem hypostaticam, fieret satisfactio. Itaque, eatenùs erat fideiussor, quia promisit solutionem; hoc autem modo non obligauit se ex iustitia, sed ex misericordia, aut ex fidelitate. *Ex quibus patet*, quàm improbabilis sit eorum sententia, qui non solùm dicũt, satisfactionem Christi fuisse actum veræ iustitiæ, sed adhuc ponunt in Christo specialem habitum, qui sit iustitia.

108 *Tandem obijcies* Isaiæ 1.n.27. *Syon in iudicio redimetur*, quod etiam habet alibi Scriptura: conueniunt Patres; & testimonium clarissimè habetur ex Apostolo ad Rom.3.n.25. de Christo dicẽte: *quem proposuit Deus ad ostẽsionem iustitiæ suæ*. Et prima Corinthiorum 1. n.30. *factus est nobis à Deo sapientia, & iustitia*. Ad hæc omnia dicimus, ea intelligi de iustitia non propria, sed appropriata; nam etiam obedientia, & gratitudo, & vniuersaliter omnis virtus, quæ ordinat nos ad alterum, est iustitia; maximè verò illa, quæ fundat aliquod debitum.

*Restat tandem examinandum.*

## *An genus humanum potuerit per satisfactionem puri hominis reparari.*

109 SVppono, posse Deum constituere hominem caput aliorum in ordine gratiæ, quam possit aliquo modo in alios influere. Ita Theologi *in 3. dist. 19. Scotus in 4. dist. 15 qu. 1. art. 2. Sanctus Thomas qu. 64. art. 4.* qui affirmant, quòd purus homo potuit

tuit à Deo habere potestatem excellentiæ, vt sacramenta in virtute meritorum ipsius alijs peccata remitterētur. Tùm quia non potest dari ratio repugnantiæ. Tùm quia Adam fuit nostrū caput morale quòad damnum; ergo potuit hominem caput instituere, &c. *Moneo secundò*, quòd purus homo, cùm includat exclusionem, potest dupliciter excludere. Primò omnem ordinem gratiæ, & doni supernaturalis, quod Theologi alio nomine solent dicere *in puris naturalibus*. Secūdo modo, vt solùm excludat vnionem hypostaticam, non dona supernaturalia. *Est ergo difficultas primò*, quid per purum hominem intelligant in hac controuersia Doctores.

110 *Caietanus* ex multis coniecturis conatur colligere, quòd Sanctus Thomas per purum hominem intelligit hominem purum primo modo, & secundo; hinc colligit Caietanus, quòd alij Doctores, qui per purum hominem excludunt tantùm vnionem hypostaticam, malè opposuerunt se Diuo Thomæ, cùm quæstio non sit in eodem sensu ab vtrisque accepta. Sed, bona venia Caietani, verior est sententia aliorum, quòd per purum hominem tàm Sāctus Thomas, quàm alij solùm excludunt vnionem hypostaticam, non gratiam, & charitatem, & hæc est mens multorum discipulorum Sancti Thomæ; & patet ex eius littera in quęstione citata, & art. in solutione ad secundum, vbi ait, quòd satisfactio puri hominis est sufficiens satisfactio; ergo non excludit gratiam: alioquin dictum illud esset Pelagianum.

111 *Moneo etiam*, quòd satisfactio secundùm *Scotum*, & *alios in* 4. *dist*. 15. secundùm suam generalem rationem est redditio debiti; nam vt ait *Sanctus Thomas in* 4. *dist*. 4. *quæst*. 1. *art*. 1. homo per peccatum abstulit Diuinum honorem, quem tenetur per satisfactionem restituere. Hæc autem est duplex: aut sufficiens, aut insufficiens. Hæc est quando illi, cui est facienda, non manet contentus, vt si debens quatuor, reddat duo. Illa etiam diuiditur in perfectam, & imperfectam; hæc est, quando non redditur debitum ad æqualitatem, sed secundùm facultatem satisfacientis; tamen est acceptatio ex parte eius, cui debetur, & manet contentus. Perfecta verò est, quando redditur æquale ipsi debito, quæ dicitur satisfactio de rigore iustitiæ; & definitur: *satisfactio est solutio æquiualentis aliàs indebiti.* Aliqui addūt *ex proprijs*. Vndè ad hanc tria requiruntur ex Scoto; & ex Soto *lib*. 3. *de Natura, & Gratia cap*. 6. Primò, quòd sit redditio, siue solutio voluntaria; & hinc latro, qui suspenditur, & animæ in inferno non dicuntur propriè satisfacere; sed potiùs satispati.

Se.

Secũdò, quòd sit redditio æquiualentis; & hinc non satisfacit hoc modo, qui debens decem, dat duo. Tertiò, quòd sit ex indebitis; hinc qui daret aliàs debitum, non satisfaceret. *Hit præmissis.* Sequentes quatuor cõclusiones, quid à nobis affirmãdum sit, declarant.

112 *Primò igitur dico, quòd loquendo de satisfactione de rigore iustitiæ ita-ut nullã supponat acceptationẽ tàm de potẽtia absoluta, quàm ordinata, nullus purus homo potest Deo satisfacere pro peccato suo, vel alterius.* Probatur. Si homo purus posset sic satisfacere; vel esset agendo opus bonum propter offensam, quod est sibi iniunctum ex præcepto, vel per opus ex consilio; vel substinendo aliquã pœnam, & passionem: sed nullo illorum modorum potest satisfacere: ergo &c. Minor probatur: non per opus ex ꝑcepto: quia aliàs debet: vndè apud Lucam c. 17. n. 10. ait Christus: *cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus.* Nec per opus ex consilio: quia licèt hoc non obliget, posset tamen nos ad illud iure obligare ex creatione, & conseruatione. *Adde*; quòd tale opus ex eius gratia, & acceptatione est alicuius valoris, quæ repugnant satisfactioni rigorosæ. Nec per pœnam, vel passionem: quia omnes pœnæ vitæ præsentis æquari non possunt cum pœna debita peccato: cùm illa sit æterna, & hæc temporalis.

113 *Secundò dico, quòd de lege ordinata, etiam posita acceptatione Dei, purus homo nec pro peccato suo, nec alterius potest satisfacere.* Probatur: quia omnis nostra satisfactio de lege communi innititur meritis Christi, sicut omne meritum nostrum; ergo opus puri hominis per se non sufficit ad satisfactionem.

*Tertiò dico, quòd, supposita Dei gratia, & acceptatione, de potentia Dei absoluta, aliqua pura creatura, vel Angelica, vel humana potuit satisfacere pro peccatis suis, & aliorum.* Ita communis Theologorum. Et in hoc sensu locutus est *Scotus*: nam tàm hìc, quàm in decimanona huius expresse habet, quòd opus intãtùm est meritorium, vel satisfactorium, in quantùm acceptatur. Vndè malè *Sotus loco citato* ait, *Scotum* sentire contrà *Sanctum Thomam*; nam in hoc sensu, non id negat *Sanctus Thomas*, sed tantùm primam cõclusionem, & inter alios Doctores solùm est lis verbalis, non realis.

114 *Quartò dico, quòd purus homo potest Deo reddere æquiualens, considerando peccatum quantùm ad essentialem, & intrinsecam malitiam; & ita satisfacere Deo ex iustitia posita secundo modo.* Hanc probant rationes supra adductæ. Illis adde, quòd *Scotus* plura argumenta adducit *lib. 3. dist. 20. qu. vnica*, quæ omnia ad hoc vnum reduci possunt. Vt Deo de rigore satisfieret, homoquè redimeretur, suf-

sufficiebat satisfactio meriti finiti: sed satisfactio cuiuscumque creaturæ rationalis est meriti finiti: ergo non erat necessarium, satisfactionem fieri, nisi à creatura finita. *Idem probat noster Aureolus* in hunc modum. Rigor iustitiæ exigit, quòd actus satisfactionis sit æquiualens in bonitate malitiæ peccati: sed possibile est haberi actum gratia informatum æquiualentem in bonitate malitiæ peccati: ergo potuit homo satisfacere: ergo non fuit absolutè necessaria Christi incarnatio, seù mors Christi. Minor probatur: si actus gratia informatus non posset æquiualere malitiæ peccati, hoc esset, vel quia culpa esset infinita ratione obiecti, vel ratione sui, vel ratione operantis. Si primo modo; non minor est actus gratia informatus in bonitate, quàm actus peccati in malitia; quia vterque habet Deum pro obiecto. Si secundo modo, certum est, actum peccati non esse infinitum formaliter, cùm sit priuatio rectitudinis debitæ inesse alicui, & tanta est priuatio, quantum id, cuius est priuatio: ideò non debet, sicut nec potest actus bonus satisfactionis, esse infinitus formaliter. Tertio sanè modo videtur, ex parte operantis, peccatum esse infinitum: quia in eo est magna iniustitia; cùm verò elicit homo actum satisfactionis, non videtur posse compensare actum peccati; quia etsi non peccaret, ex alijs beneficijs Dei teneretur, omnes suas operationes in Deum referre, maiora perpeti, & facere. Sed neq; hæc ratio concludit; quia licèt de cõgruo ad omnia opera bona teneatur homo, non tamen de rigore iustitiæ; hinc nemo peccat, non seruando euangelica consilia, quæ sunt perfectionis, & in hoc relucet Diuina misericordia; quia, cùm posset Deus plura à nobis exigere, pauciora exigit; nihil ergo prohibet, hominem in gratia existentem elicere actum satisfactorium adæquatum, & præponderantem malitiam peccati; non fuit ergo necessaria mors Christi.

115 *Quæ fuerit in tanto negotio* Patrum orthodoxorum sententia, siquis rogauerit, ingenuè fateor, me nescire. Fortè enim Sancti Patres locuti sunt de satisfactione, sistendo in potentia Dei ordinaria, quando dixerunt, non potuisse Christum, nisi Diuinam habuisset naturam, mediatorem, & Redemptorem nostrum esse per modum satisfactionis. *Scotus noster* Patrum sententijs satisfactum putat, dicens: *Patres intelligendos de necessitate consequentiæ, & data hypothesi, supposito videlicet decreto Diuinæ iustitiæ, quæ statuit, ab eo solo redemptionem fieri humanæ naturæ, qui Deus esset, & homo.* Optima solutio; nam antiquiores Patres mysteria explicabant, vt erant defacto, & missas faciebant

bant quæstiones de possibili; quę solutio, si non arridet, dicamus, Ecclesiam proficere ætate, & sapientia; & aliter censuisse Patres in exordio Ecclesiæ nascentis; iam verò in prouecta ætate Ecclesiæ, aliter esse sentiendum. Sententia Scoti, quæ negat necessitatem passionis Christi, amplificat Diuinam bonitatem ex eo, quòd cùm faciliores essent viæ ad reparationem generis humani, eam elegit, quæ Redemptori onerosior esset, & nos Deo magis coniungeret. Cui sit laus, honor, & gloria.

# FINIS.

# DISPVTATIONVM: QVÆSTIONVM, DVBIORVM, ET PROPOSITIONVM, ELENCHVS.

Prior numerus Quæstionem, vel Propositionem indicat, secundus paginam.

## DISPVTATIO PRIMA.

### *De Possibilitate, Cognoscibilitate, Conuenientia, & Necessitate Incarnationis.*



§ Quæst. 2.

DISPV-

# DISPVTATIO SECVNDA.

## *De Possibilitate Incarnationis secundùm alios modos.*

# DISPVTATIO TERTIA.

## *De Personalitate, seù subsistentia creata.*



DV-

## DVBIVM INCIDENS.



## DISPVTATIO QVARTA.

### *De Christo Deo, & homine.*

# DISPVTATIO QVINTA.

## *De Sanguine Christi.*

## DISPVTATIO SEXTA.

### *De Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis.*



## DE PARADISO TERRESTRI.

## DE IVSTITIA ORIGINALI.



7. *Fuis-*

## DE PECCATO ORIGINALI.

GRA-

## GRAVE DVBIVM.

## DISPVTATIO SEPTIMA.

### *De Maternitate Virginis Mariæ.*



## DISPVTATIO OCTAVA.

### *De Incarnatione Christi in facto esse, scilicet de vnitate, & simplicitate Christi.*

# DISPVTATIO NONA.

## *De Prædestinatione, & Filiatione Christi.*



11. De

## DISPVTATIO DECIMA.

### *De Adoratione Christi.* 344.



PA-

## PARAGRAPHVS PRIMVS.

### *An Deus sit adorandus, & qua adoratione? 356.*



## PARAGRAPHVS SECVNDVS.

### *An Christi humanitas adoranda sit, & qua adoratione? 360.*



## PARAGRAPHVS TERTIVS.

### *An Sancti, & B. Virgo adorandi sint, & qua adoratione? 366.*



2. B. Vir-

2. *B. Virgo non adoratur Latria propter periculum, quia, cùm sit intellectualis naturæ, posset quis existimare, quòd talis adoratio sibi daretur propter seipsam; tamen absolutè, & simpliciter est adorabilis Latria.* 368.

3. *B. Virgo Maria adoranda est Hyperdulia, minori tamen ea, quæ debetur humanitati Christi separatæ.* 369.

4. *Omnes sancti sunt adorandi Dulia. ibid.*

## PARAGRAPHVS QVARTVS.

### *An liceat sanctos apparentes adorare, & qua adoratione? 370.*

Prop. 1. *NOn licet sanctos apparentes, vel Christum absolutè, & sine conditione apposita adorare. ibid.*

2. *Non sufficit conditio habitualis ad adorandum sanctum apparentem, nec virtualis; sed requiritur omninò actualis.* 372.

## PARAGRAPHVS QVINTVS.

### *An Reliquiæ Sanctorum debeant adorari, & qua adoratione? ibidem.*

## PARAGRAPHVS SEXTVS.

### *An Imagines debeant adorari? 376.*

Prop. vn. *IMagines Christi, Hominis Iesu, & Sanctorum honorandæ sunt; ea tamen lege, vt, sicut Tridenti-*

num

# DISPVTATIO VNDECIMA.

## *De Peccato.*

# DISPVTATIO DVODECIMA.

## *De Sanctitate Christi.*



DE

## DE GRATIA CHRISTI.



## DE INFINITO.

# DISPVTATIO TERTIADECIMA.

## *De Christi scientia. Vbi de Lumine Gloriæ, Visione, &c.*

## DISPVTATIO QVARTADECIMA.

### *De Visione creaturarum in Verbo.* 494.



2. *Ani-*

2. *Anima Christi non videt actualiter in Verbo omnia, quæ videt ipsum Verbum. ibid.*

3. *Anima Christi non videt in verbo omnia possibilia. 504.*

## DISPVTATIO QVINTADECIMA.

### *De scientia Christi in proprio rerum genere. 506.*

Prop. 1. *CHristus habuit aliquam scientiam rerum in proprio genere. 506.*

2. *Christus habuit scientiam per se infusam de rebus in proprio genere. 507.*

3. *Hæc scientia per se infusa data fuit Christo ab instanti suæ conceptionis, quantùm ad habitum, seù actum primum adæquatum eius, & etiam quantùm ad aliquos saltem actus. 509.*

4. *Non habuit Christus scientiam per se infusam omnium rerum naturalium, quas cognoscebat in proprio genere. ibid.*

5. *Cognitiones Christi independentes à corpore, & similes illis, quas habent animæ separatæ de obiectis merè naturalibus, non fuerunt per se infusæ, nec quòad substantiam, nec quòad modum. 512.*

6. *Christus habet scientiam per se infusam de Deo secundùm quamcumque rationem obiectiuam, secundùm quam scit ipsum cognitione acquisita, siue dependenter à sensibus, siue independenter. 513.*

7. *Christus habet species per se infusas de omni obiecto, de quo habet scientiam per se infusam. 514.*

8. *Nec Christus, nec vllus alius, mediante quacumque specie,*

cie,

## DISPVTATIO SEXTADECIMA.

### De Potentia Christi.

## DISPVTATIO DECIMASEPTIMA.

### *De Dolore, & Tristitia Christi.*

Prop. 1. V*Erus in Christo dolor fuit, veraquè tristitia, sed longè aliter, quàm in nobis.* 544.

2. *Absolutè tristabatur Christus de peccatis alienis, & ex hypotesi de passione propria, idquè tàm secundùm portionem superiorem, quàm inferiorem.* 546.

## DISPVTATIO DECIMAOCTAVA.

### *De Christi mortalitate, & Morte.*

Prop. 1. M*Ortalis erat Christus, quia homo; & naturalem corruptionem non prohibebat vnio facta cum Verbo; sed prohibebat redundantiam gloriæ in corpus.* 549.

2. *Violenta morte obijt Christus, habens moriendi necessitatem ex vi tormentorum; fuit tamen voluntaria mors.* 550.

3. *Cruci affixus inter duos latrones æquinoctio verno congruentissimè mori Christus voluit.*

DIS-

# DISPVTATIO DECIMANONA.

## *De humana Christi voluntate, & oratione.*



# DISPVTATIO VIGESIMA.

## *De Merito Christi.*

## *De Operibus Præcepti.*

## DIFFICVLTAS.

## DISPVTATIO VIGESIMAPRIMA.

### *De Christo Redemptore, & Mediatore.*



9. Chri-

## DVBIVM.



## ALIVD DVBIVM.



16. *Sa-*

*FINIS.*

# INDEX
## BIBLICVS LOCORVM
## MAGIS NOTABILIVM,

### & ad rem facientium, per capita, & numeros.

Genesis.



Num.

Liber

# INDEX



Num. 9.

Marci Euangelium.



Euangelium Lucæ.



Cap. 6.

Euangelium Ioannis.

Actus Apostolici.



Ad Romanos.



Cap. 2.

Corinthiorum Prima.



Corinthiorum secunda.



Ad Galatas.



Ad Ephesios.



Ad Philippenses.



Num.

Num.10. *In nomine Iesu omne genu flectatur. disp.10. nu.30.*

Num.15. *Inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo. disp.6.nu.136.*

## Ad Colossenses.

*Cap.1.nu.20. Pacificans per sanguinem Crucis eius, siue quæ in Cœlis, siue quæ in terrris. disp.20.nu.168.*

*Cap.2. nu.13. Et vos, cùm mortui essetis in delictis, & præputio carnis vestræ, conuiuificauit cum illo, donans vobis omnia delicta, delens, quod aduersus nos erat chirographum decreti. disp.21. nu. 66.*

## Ad Timotheum Prima.

*Cap.2. nu.5.* Vnus *Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus. disp.1.nu.57. disp.20.nu.84. & disp.21.n.1.*

Num.6. *Dedit redemptionem semetipsum pro omnibus, &c. disp.6. nu.165.*

## Ad Timotheum secunda.

*Cap.2.nu.26. Det illis pœnitentiam, vt resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur ad eius voluntatem. disp.21. n.2.*

*Cap.3. n. 2. Quod sint homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi. disp. 1. n.64.*

*Cap.4.n.8. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. disp.21. n.45. & 46.*

## Ad Titum.

*Cap.3. n. 5.* Non *ex operibus, quæ fecimus nos, sed secundum misericordiam suam saluos nos fecit. disp.29.n.19.*

## Ad Hebræos.

*Cap.2.nu.9.* Videmus *Iesum propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum. disp.20. n.163.*

Num.10. *Decebat eum, &c. qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consumare. disp.20.n.135.*

*Cap.5. n.7. Exauditus est pro sua reuerentia. disp.19. n.17. & disp.21.n.45.*

Num.8. *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam. disp.15. n.25.*

*Cap.7. n.26. Talis enim decebat, vt nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus, &c. disp. 21. n. 66.*

*Cap.9. n.12.* Non *per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. disp.21. n.46.*

Num.13. & 14. *Si enim sanguis hircorum, & vitulorum, &c. quantò magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras ab operibus mortuis. disp.21.n.46. & 65.*

tan-

Apocalypsis.



Laus Deo Vni, ac Trino, & Immaculatæ Virginis Conceptioni.





